








[illegible] Ruggero [illegible]

aff.mo
[illegible] Bianchi

[illegible] Aprile 18[illegible]

DOCUMENTI

PER


LA STORIA DEL FRIULI

DAL 1326 AL 1332

RACCOLTI

DALL' AB. GIUSEPPE BIANCHI

Prefetto del Ginnasio Comunale di Udine



UDINE

DALLA NUOVA TIPOGRAFIA

di Onofrio Turchetto

1845

N. 420.

1326 5 *Febrajo Venezia.*

Privilegio concesso agli addetti alla Confraternita della B. V. de' Macellai di Udine.

Pergamena esistente nella Chiesa di S. Pietro Martire.

Devotis et in Christo dilectis utriusque sexus de Congregatione B. Marie Virginis in Ecclesia Fratrum Predicatorum de Utino, Frater Visualdinus Fratrum Ordinis Predicatorum Prior Provincialis in Provincia inferioris Lombardie, licet indignus, salutem in eo qui mentes fidelium unius efficit voluntatis.

Quanto divine pietatis immensitas que, peccatores veniens salvos fieri, neminem vult perire, congregationem Fidelium igne S. Spiritus inflammatam ad concordie et unitatis seu pietatis federa nectit intimis, et astringit, ut in caritatis officiis impleant legem Christi, tanto humani generis inimicus, qui piis et virtuosis actionibus adversatur ponendo scandala juxta iter eam sedulis insidiis prosequi nittitur ut seducat, destruat, et disperdat. Propter quod vestra devotio orationum nostri Ordinis auxilia postulavit, ne vos in nomine Domini congregatos contingat in via, que ducit ad portum celestis patrie, retardari. Attendentes igitur vestre sincere dilectionis affectum quem habetis ad nostrum Ordinem specialem, vobis omnium Missarum, Orationum, Jejuniorum, abstinentiarum, vigiliarum, laborum, predicationum, ceterorumque bonorum, que

per Fratres totius nostre Provincie fieri, divina gratia operante, contigerit, partecipationem concedo tenore presentium specialem in vita pariter et in morte, ut multiplici suffragiorum presidio, et hic augmentum gratie, et in futuro mereamini consequi premium beatitudinis sempiterne. In hujus autem concessionis testimonium sigillum nostrum duxi presentibus apponendum.

Datum Venetiis, anno Domini M. CCC. XXVI. Nonis Februarii. o.

N. 421.

1326 11 *Febrajo Cividale.*

Feudo d' Abitanza in Monfalcone accordato dal Vicario Patriarchale a Paolo Bojani.

Stefano da Cividale Not.

Die XI. intrante Februario. In Civitate Austria. In palatio Patriarchali. Presentibus D. Fedregino della Turre et Thomasutto de Pertinstayn Castaldione Tricesimi, Nicolussio Castaldione de Rosaciis testibus, et aliis.

Venerabilis vir D. Fr. Johannes Abbas Rosacensis Vicarius D. Pagani Patriarche Aquilegensis dedit Habitantiam, et investivit D. Paulo de Civitate Capitaneo Montisfalconis, recipienti ad beneplacitum dicti D. Patriarche, domum Montisfalconis cum quodam campo in suis pertinentiis, quos habebat Ottilus de Montefalcone habitator, etc. A. N. U. o.

N. 422.

1326 9 *Febrajo Gemona.*
Incanto e vendita delle Misure in Gemona.

Stefano Valconio Romano Not.

Die ix intrante Februario. Presentibus Hermano Notario, Josepho Cirioli, Mathiussio Fressoria, Tomasutto q.m Vuolii, et aliis.

Cum Mensure Communis Glemone incantarentur per Terram more solito ad incantum, dicte Mensure alta voce preconizando semel, bis, et ter per laudum preconis Communis Glemone, Ottolino dicto Virto, pro pretio trecentarum librarum veronensium parvorum, super foro Glemone vendite et deliberate fuerunt per unum annum completum, solvendo ipse Ottolinus dicto Communi dictam pecuniam in capite cujuslibet mensis in dicto anno.

Actum Glemone, in foro, super platea. A. N. U. o.

N. 423.

1326 23 *Febrajo, Aquileja.*
Feudo in Castel novo concesso a Francesco e Carlevario de la Torre.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xxiii. mensis Februarii. Aquilegie, in Curia Patriarchalis palatii. Presentibus D. Bernardo de Fixiraga,

Zorzolo filio q.m D. Alberti de Farra, Jacobo q.m D. Francisci de Zachis de Padua, et Francisco tubatore de Venetiis famulo D. Patriarche. D. Vicarius investivit Dominos Franciscum de la Turre pro se et fratribus suis recipientem, et Carlevarium de la Turre nepotes D. Patriarche de omnibus feudis vacantibus per mortem D. Rensi de Castro novo, que habebat ab Ecclesia Aquilegensi. C. F. o.

N. 424.

1326 8 *Aprile.*

L' Abbate di Obremburg va in cerca di un prestito in sostegno del suo Convento.

Archivio Cap. di Udine.

Universis presentes litteras inspecturis, Lempoldus Abbas et Capitulum Monasterii Obremburgensis Aquil. Diocesis salutem in Domino sempiternam.

Universitati vestre tenore presentium cupimus esse notum, quod nos facimus, constituimus et ordinamus Religiosum virum frat. Walterum Priorem Monasterii nostri predicti nostrum et dicti Monasterii procuratorem, Sindicum et nuncium specialem specialiter ad imveniendum mutuum in Contrata Forijulii, a quocumque mutuare volenti marchas ducentas solidorum nobis plurimum necessarias pro solvendis expensis per nos factis in guerra quam Nobiles de Altemburch nobis et Monasterio nostro de anno

nuper elapso fecerunt, et ad obbligandum specialiter cuicumque ipsam pecuniam mutuanti possessiones et bona que habemus in Budrio Forojulii, domum nostram de Civitate Austrie, mansos, afflictus, et bona ville de ....
site in Gastaldia Tulmini, et omnia bona Monasterii nostri pro hujusmodi pecunie solutione, sicut ipsi Procuratori melius videbitur expedire. Et generaliter omnia et singula faciendi et exercendi in predictis que nos memet ipsi facere possemus, si presentes essemus; ratum et gratum perpetuo habituri quidquid per dictum procuratorem nostrum factum fuerit in premissis et in quolibet premissorum, sub obligatione omnium bonorum nostrorum et Monasterii nostri. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum in Monasterio nostro predicto, die viii. mensis Aprilis sub anno Nativit. Dom. m. ccc. xxvi. Indicti: ix. A. C. U. o.

N. 425.

1326 29 *Aprile Cividale.*
De non tenendis Schrofis in Civitate.

Codice Belgrado.

Anno Domini m. ccc. xxvi. Indictione ix. die penultimo Aprilis ordinatum fuit, quod a Kalendis Junii in anteà nullus in Civitate teneat Schrofas, que vadant per vias. Si quis eas invenerit sic extra per plateas aut vias, et eas, aut earum aliquam interfecerit, aut acceperit, non teneatur restituere, aut emendare. Sed de illis tertia pars

sit Castaldionis, tertia Communis, et tertia accipientis. Si vero Castaldio acceperit, aut accipi fecerit, habeat medietatem, et Commune aliam medietatem: nec teneat alpos in stratis ad pascendos porcos sub pena VIII. denariorum Communi pro quolibet et qualibet vice.

Super eo quod pelliparii non verberent,
nec excorient pelles in stratis publicis.

Item nullus Pelliparius aut Capellarius verberet, aut excoriet, aut per alios fieri faciat in stratis publicis. Qui vero contrafecerit solvat pro qualibet vice denarios XII. videlicet tertiam partem Castaldioni. — tertiam Communi, et tertiam ... Nec teneat multitias in domibus apud stratas publicas sub dicta pena XL denariorum Communi. o.

N. 426.

1326 30 *Aprile, Cividale.*
Incanto dei posti pei giorni di fiera.

Antonio da Cividale Not.

Quicumque Calcifex tenuerit in Mercato aliquem discum ad vendendum sua opera de uno passu Communis descum, solvat quatuor veronenses pro qualibet die qua tenuerit postam foris.

Item quilibet Calcifex et mercator tenuerit arcus, aut stangas in mercato ad volendum postare sua opera, solvat quatuor veronenses pro die.

Item Cramarius pro quolibet desco de uno passu Communis, in quo teneat sua mercimonia posita ad vendendum, aut super Muro foris, persolvat denarium unum pro die si fuerit Vicinus, et Forensis denarios duos.

Item Piscator pro quolibet desco de uno passu Communis, in quo pisces postare voluerit ad vendendum, solvat denarium unum pro die.

Item Pancohule pro qualibet vincula, seu cisto de quo postare voluerit ad vendendum, solvat denarium unum pro die.

Item quelibet Vindehula postata, solvat Veronensem unum pro die.

Item quilibet Capellarius, qui tenet serraturas et res hujusmodi postatas ad vendendum, solvat veronenses quatuor pro qualibet die.

Item quilibet Sallarius pro quolibet desco de uno passu communis, solvat veronenses quatuor pro uno die.

Item Sallarius, aut Sallaria pro quolibet curru salis, quem teneat in mercato post macellum, solvat in hebdomada veronenses quatuor.

Item de quolibet desco, quem aliquis tenuerit extra suam tabulam antiquam, aut assidem, solvat Veronenses quatuor pro qualibet die.

M. CCC. XXVI. die ultimo Aprilis. Ordinatum fuit, ne ullus petet, aut exigat a predictis aliquid, nisi ille qui dictum jus habuerit a Communi. Salvo quod illi, qui habent suas domos, aut stationes suas, aut ad censum possint in domibus et stationibus suis, et super tabulis suis antiquis vendere suas mercationes.

Qui vero contra predicta exegerit, aut impedierit, solvat Comuni denarios XL.

M. CCC. XXVI. die primo Junii. Venditum fuit dictum jus per Mathiussium Preconem Folcho filio Antonii Canalye, pro marchis quinque, et uno denario ad habendum ipsum hinc ad Kalendas Augusti, et deinceps ad unum diem sequentem. A. N. U. o.

N. 427.

1326 3 *Maggio, Udine.*
Il Capitaneato di S. Steno dato per due anni in affitto a Nicolò Panigai e Consorti.

Melioranza Can. P.

Die tertia maii. In Castro Utini super Patriarchali palatio. Presentibus ser Mathia de Ragonea, Symone de Budrio, Federico de Soldoneriis, Magistro Gerardo Marescalcho, Bertholoto dicto Bot notario de Utino, Francino de Brambate, et aliis.

Venerabiles viri D. D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius, et Berofinus Canonicus Aquilegensis Vicedominus, ac procuratores Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, concesserunt, vendiderunt, et locaverunt discreto viro Nicolao de Panigali recipienti pro se et nomine et vice Francisci de Lamota et Vermilii, qui moratur in Meduna, Capitanariam loci S. Steni, et omnia jura, redditus et proventus quocumque nomine censeantur predicto D.

Patriarche in dicto loco spectantia, usque ad duos annos proximos et completos. Pro quibus Capitanaria et juribus antedictis dictus Nicholaus, nomine suo et nomine Francisci et Vermilei supradictorum, promisit dare et solvere predictis D. Vicario et Vicedomino libras mille et quingentas veronensium parvorum. Videlicet libras septingentas et quinquaginta usque ad .... presentis mensis Maii, et alias libras septingentas et quinquaginta in principio secundi anni locationis predicte: et dictum locum S. Steni suis expensis bene et fideliter custodire, et D. Patriarche in fine termini restituere. Hoc expresse adjecto, quod si dictus Nicolaus et Socii propter guerram, que esset inter D. Patriarcham et Venetos, dampnum aliquod incurrerent de juribus et redditibus supradictis, tantum debeat extrahi et defalcari de pagis predictis, quantum extimabitur hujusmodi dampnum. Promisit ad hoc dictus Nicolaus facere et procurare cum effectu quod supradicti Franciscus et Vermilius promissionem factam per ipsum usque ad quindecim dies proximos ratificabunt et approbabunt. Pro quibus omnibus et singulis firmiter attendendis et observandis dictus Nicolaus omnia sua bona mobilia et immobilia, presentia et futura dictis dominis Vicario, et Vicedomino obligavit, ita quod si dicte solutiones in termino non fuerint integre facte, liceat ipsis Dominis, aut cui commiserint accipere de bonis dictorum conductorum ubicumque illa invenerint, et illa vendere aut vendi facere usque ad integrum pagamentum sortis, dampnorum, expensarum, et interesse. C. F. o.

N. 428.

1326 31 *Maggio, S. Steno.*
Resoconto di Litolfo di Meda Capitano di S. Steno

Gabriele da Cremona Notajo.

Die ultimo mensis Maii, apud locum S. Steni, in domo in qua consuevit esse taberna, juxta ripam Liquentie. Presentibus d. d. Francisco de la Turre Canonico Aquil. Fantussio de la Frattina, Vermilio de Meduna, Floramonte not. de Meduna, Johannolo de Confanoneriis de Mediolano, et aliis pluribus.

Discretus vir D. Litolfus de Meda de Mediolano, et Johannolus ejus filius Capitaneus S. Steni volentes et intendentes simul cum ven. viro D. Frat. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, suam facere rationem, et computum tradere rationis, tam de hiis que ab hominibus habitantibus in S. Steno, et pertinentiis suis percipere debebant, quam de expensis factis per ipsos eo tempore quo resederunt ibidem, post rationem exhibitam antedictam, et deliberationem habitam inter ipsos, domus palearum constructe et reparate per ipsos inter Curiam loci predicti S. Steni, et extra in aliquibus locis, extimate fuerunt per bonos viros libre ducente parvorum, cui extimationi pars utraque consensit.

Item posite fuerunt in ratione predicta libre sexdecim denariorum parvorum, quas dicti Litulfus et Johannulus dederunt et solverunt D. Bernardo de Strassoldo

olim Capitaneo dicti loci pro quodam podioloto per ipsum ibidem constructo.

Item cum D. Litulfus et Johannulus ejus filius habere deberent ab infrascriptis personis libras centum et decem denariorum parvorum, idem D. Vicarius retinuit in se, et super se exactionem et debita ipsa; ita quod ipsi homines de dictis centum et decem libris ipsi D. Vicario, aut cui mandaverit, respondere et solvere amnodo teneantur. Qui omnes homines et unusquisque per se ibidem existentes, confessi fuerunt debita antedicta.

Item cum prefati Litulfus et Johannolus dedissent et assegnavissent Domine Abbatisse Sorori D. Patriarche libras ducentas parvorum, sicut apparuit per scriptum ejusdem Domine, ac etiam dedissent D. Carlevario de la Turre nepoti D. Patriarche libras centum parvorum, ipse D. Vicarius liberavit et absolvit eosdem a prestatione dictarum trecentarum librarum ulterius facienda, dicens ac volens nomine ipsius D. Patriarche, dictas summas tam expensarum, quam debitorum exigendorum, quam etiam denariorum assignatorum computari, et pro computatis habere in rationibus dictorum Litulfi et filii sui, et detrhai debere de summa alterius pecunie, quam dicti Litulfus, et Johannulus de redditibus S. Steni, juxta locationem eis factam, dare annis singulis tenebantur. Ac in se retinens, et dicens se velle substinere omne periculum, onus, et dampnum, quod occasione predicta de dictis summis, aut earum aliqua dicti Litulfus et Johannulus incurrerent, neu ad exhibitionem et prestationem ipsarum ulterius cogerentur. Debita autem exigenda ab hominibus S. Steni sunt ista.

Benedictus libras xi. et Solidos vii. parvorum.

Jacobus de Bania Solidos xx. grossorum.

Menegatius libras xvii. et Solidos xix. parvorum.

Tardivellus libras x. parvorum.

Tonsus libram i. et Solidos quatuor et medium parvorum.

Marcholinus Solidos v. grossorum.

Omnes predicti promiserunt solvere in festo proximo S. Jacobi.

Niger libras xii. et solidos vii. parvorum in festo proximo S. Laurentii. Dominicus de Burre Solidos x. grossorum in festo proximo S. Michaelis. Johannes de Mora libram unam, solidos ii. denarios viii. parvorum, usque ad quindecim dies solvere promiserunt. C. F. o.

N. 429.

1326 25 *Giugno Chiburgo.*

Federico Duca d' Austria promette di redimer Pordenone dato in pegno a Brizalia di Porcia.

Federicus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus prudentibus et discretis viris Potestati, Consilio et Communi Portusnaonis fidelibus suis dilectis gratiam suam, et omne bonum.

Scripsit nobis vestra fidelitas, quod quidam nobilis vir Brizalya de Porcileis civitatem et dominium Portus-

naonis, quam nomine pignoris tenet indempniter sine sui destructione, et pro honore nostro usque modo possedit, absolutionem eorundem pignorum, quam per strenuum virum Chonradum de Afenstain Capitaneum Padue fidelem nostrum dilectum fiendam promissimus, dignaremur vestre petitionis intuitu revocare. Super quo vestra fidelitas scire debet, quod hoc bono et convenienti modo facere non possumus, sed volumus quod predictum pignus per eundem Conradum de Afenstain redimatur, cui sicut petiistis seriose mandamus, ut nostro nomine ab incursibus hostilibus ac violentiis quibuscumque potenter defendat, vosque in juribus vestris manuteneat, et conservat: volentes semper, ut tenemur ex debito, vos in omnibus agendis vestris respicere gratiose.

Datum in Chiburgo, VII. Kalendas Julii. Regni nostri anno duodecimo. C. P. M. o.

N. 430.

1326 31 *Maggio*, *S. Steno*.

Consegna di S. Steno.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die, loco, et testibus antedictis. Discretus vir Johannulus filius D. Litolfi de Meda Capitaneus S. Steni, licet in loco predicto sibi concesso, sicut asseruit, per D. Patriarcham ad certum tempus futurum, sicut ostendit per quasdam litteras ipsius D. Patriarche, adhuc jus-

habere se credit, et illum retinere deberet, nolens mandatis ipsius D. Vicarii et requisitionibus suis resistere, et modo aliquo obviare, ob reverentiam ipsius D. Patriarche, ad requisitionem et instantiam D. Vicarii predicti, dedit et assignavit locum et Castrum predictum S. Steni venerabili viro D. Francisco de la Turre Canonico Aquilegensi, nepoti ejusdem D. Patriarche, et pro dicto D. Patriarcha recipienti; premissa tamen protestatione per dictum Johannolum, quod per hujusmodi assignationem et traditionem dicti loci non intendit discedere a concessione sibi facta de dicto loco, et renuntiare litteris D. Patriarche sibi super hoc concessis, cum credat adhuc et speret quod idem D. Patriarcha, visa concessione sua hujusmodi, sibi aut in hoc, aut aliter suis providebit defectibus, et dampna, que per suum patitur recessum, gratiose supplebit. Petens ab ipso D. Vicario litteras ipsius D. Patriarche sibi Johannolo tradi debere, per quas ad excusationem suam ostendere possit, quod de mandato D. Patriarche predicti locum assignavit predictum. Et tunc ipse D. Vicarius dicto Johannolo promisit quod quam citius poterit, et facultas affuerit, procurabit habere litteras antedictas a dicto D. Patriarcha, per quas ipse D. Patriarcha ratam et gratam habebit assignationem loci predicti.

Die, loco, et testibus antedictis. Cum discreti viri D. Litulfus de Meda, et Johannolus ejus filius ad requisitionem D. Vicarii tradidissent et assignassent locum S. Steni D. Francisco de la Turre Canonico Aquilegensi nepoti D. Patriarche, et ipsi credentes in dicto loco diutius permanere de territorio dicti loci coluissent, et se-

minassent; de quibus seminationibus videri et fieri quod justum et conveniens esset ab ipso D. Vicario petebant: ipse D. Vicarius volens predicta videri et examinari, ne dampnum aliquod suscipiant de seminationibus antedictis ex parte una: et ipsi Litolfus et Johannulus ex alia commiserunt, et compromiserunt in Dominos Fantussium, et Vermilium et Floramontem notarium testes predictos, dantes eisdem plenam et liberam potestatem videndi, examinandi, et precipiendi tam de seminationibus ipsis quam de palatis, que certo tempore clause remansisse dicuntur, quidquid eis placuerit et videbitur expedire. Promittentes dicte partes ratum habere et observare perpetuo quidquid dicti tres, aut duo ipsorum dixerint, ordinaverint et preceperint in predictis et circa predicta, et non contra dicere aut venire aliqua ratione aut causa. C. F. o.

N. 431.

1326 21 *Giugno Udine.*
Locazione di S. Steno.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die vigesimo primo mensis Junii. Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus nobilibus viris D. D. Hectore milite de Savorgnano, Francisco de la Turre Canonico Aquil. Fr. Bernardo de Novate Ordinis Cisterciensis, et Johannolo de Confanoneriis de Mediolano clerico testibus.

Ven. vir D. Fr. Johannes Ab. Rosacensis Vicarius


Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, ac ejusdem Domini et Ecclesie Aquilegensis procurator, et negotiarum gestor ad omnia et singula exercenda, prout constat publico instrumento confecto manu Eusebii de Romagnano not. et ipsius D. Patriarche sigillo pendenti munito, considerans diligenter et provide quod locus S. Steni, qui cum juribus suis locari consueverat libris trecentis annuatim, et nunc ultra trecentas libras propter ejusdem majorem cursum navigationum, si per plures annos locaretur, major D. Patriarche consequeretur utilitas, et etiam dictus locus multis poterat profectibus augmentari, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, et pro ipso, locationis titulo, dedit, vendidit, et concessit discretis viris Hermanno nato D. Jacobi dicti Fantussi, et Nicholao filio q.m D. Cerati della Frattina presentibus et recipientibus pro se et eorum heredibus, aut cui, aut quibus dederint et concesserint, locum et Capitaneatum S. Steni cum garito et universis redditibus, proventibus, juribus, jurisdictionibus, ripaticis, pascuis et nemoribus ad ipsum locum S. Steni et D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem spectantibus et pertinentibus, a festo proximo futuro S. Johannis Baptiste, usque ad tres annos proximos sequentes continuos et completos, nominatim pro noningentis et quinquaginta libris denariorum venetorum parvorum anno quolibet persolvedis. Quas iidem Hermannus et Nicholaus per se, suosque heredes steterunt et promiserunt dare et solvere eidem D. Vicario, aut Vicedomino D. Patriarche predicti, aut ejus Camerario, aut alteri persone de mandato ipsius recipienti pro dicto D. Patriarcha in infrascri-

ptis terminis, videlicet infra quindecim dies a tempore presentis contractus libras sexcentas prefate monete, et in festo proximo Nativitatis Domini libras trecentas et quinquaginta. In principio autem secundi anni dimidietatem dicti pretii noningentarum et quinquaginta librarum, et reliquam dimidietatem in medio ipsius anni, hoc est in festo tunc proxime secuturo Nativitatis Domini. Et sic modo simili in principio tertii anni dimidietatem dicti pretii, et reliquam dimidietatem in tunc etiam proxime secuturo festo Nativitatis Domini, cum omnibus dampnis, interesse, et expensis faciendis et substinendis a quolibet predictorum terminorum in antea pro ipsa pecunia petenda et exigenda, sive ejus occasione. Et insuper promiserunt Conductores prefati uti concessis ac tenere, servare et custodire bona fide, et propriis eorum expensis locum predictum S. Steni per totum tempus predictum trium annorum, et illud, finito dicto tempore, in eodem statu consignare et restituere D. Patriarche predicto, et Ecclesie Aquil. aut procuratoribus, aut factoribus suis, aut cui commiserit, et mandaverit liberum et expeditum, sub pena quingentarum marcharum frixachensium Aquil. monete. Ac ducere homines per Laudum et sententiam, appellationes petitas concedere, honorem D. Patriarche et Ecclesie Aquil. in omnibus servare, et custodire bona, et redditus ad dictum locum spectantes non diminuere, sed toto posse augere, et cetera agere que bona consuetudo hactenus observata requirit. Obligantes D. Vicario et procuratori predicto pro iis observandis omnia eorum bona mobilia et immobilia, presentia et futura, ita quod uterque eorum in solidum teneatur et

conveniri possit. Renunciantes legi de duobus reis debendi, privilegio fori, testium receptioni, et omnibus legum, consuetudinum, et statutorum auxiliis quibus contra predicta, aut aliquod predictorum se possent defendere, aut tueri. Ipse vero D. Vicarius et procurator predictus, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche et pro ipso, promisit Conductoribus antedictis tenere firmam locationem hujusmodi per totum tempus predictum, et concessa de jure manutenere et defendere ab omni persona ipsius D. Patriarche sumptibus et expensis, sub ypoteca bonorum dicti D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Convenit etiam per pactum expressum inter ipsum D. Vicarium et Conductores prefatos, quod si medio tempore dictorum trium annorum palata Portusgruarii aperiretur, per quam cursus navigii ad partes Venetiarum esse consueverat, et e converso, propter ea Liquentia multum presentem cursum perderet, et jus Ripatici S. Steni plurimum diminueretur, vel si propter discordiam aliquam, aut contentionem que oriri contingeret inter D. Patriarcham, aut aliquem ex subditis suis, et Commune Venetiarum, palata Liquentie, aut alterius aque clauderetur per quam navigium et Ripaticum in cursu suo deficeret apud S. Stenum, quod ad arbitrium duorum bonorum virorum, eligendorum unus videlicet pro qualibet parte, provideri debeat dampnis et defectibus emptorum predictorum, in eo quod conveniens esset, aut tantum de summa predicta defalcari quod satisfaciat eis de defectibus antedictis. Hoc etiam adjecto, quod si que reparationes, aut alique alie expense necessarie fierent in domibus loci predicti, que

tamen fieri non debent sine licentia D. Patriarche aut ejus Vicarii, quod facte intelligantur et esse debeant expensis D. Patriarche, et de summa prefate pecunie detrahentur. Ita tamen quod si contingat turrim, seu palatium, aut domos paleatas cooperiri per ipsos, et coopertas retineri sicut sunt ad presens, hoc fiat eorum expensis, et non expensis D. Patriarche.

Die, et loco, et testibus antedictis. Cum venerabilis vir D. Frater Johannes Vicarius et procurator predictus dedisset et vendidisset locum S. Steni cum redditibus et proventibus suis, juribus et jurisdictionibus ad eum spectantibus, discretis viris Hermano et Nicolao de la Frattina usque ad tres annos proximos venturos sub certis pactis et conditionibus, prout constat publico Instrumento scripto manu mei Gabrielis notarii infrascripti, voluerunt tamen et firmaverunt ad invicem, tam venditor, quam emptores per pactum expressum, quod finito primo anno Concessionis predicte, si aliquo tempore D. Patriarcha predictus aut propter guerram vellet locum predictum in se retinere, aut sine aliquo pretio alicui ex nepotibus suis concedere, et non de partibus Forijulii, hoc licite facere possit, non obstante concessione triennali predicta. C. F. o.



N. 432.

1326 7 *Luglio Udine.*
Indulgenze concesse agli aggregati alla Confraternita della B. V. de' Macellai nella Chiesa di S. Pietro Martire di Udine.

Pergamena esistente in detta Chiesa.

Frater Johannes Dei gratia Episcopus Buduensis, universis Christi fidelibus in Aquilegensi Ecclesia constitutis, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam.

Quoniam viam salutis eterne querentibus benigni favoris est suffragiis succurrendum, ut quos divini amoris fervor, et Spiritus Sancti gratia inspiravit ac bonum per adjectionem gratie in piarum operum inceptorum salubri proposito roborentur: idcirco de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatissime Virginis Marie, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non Beatorum Martirum Hermagore et Fortunati confisi suffragiis, ex consensu, et auctoritate pariter et assensu Reverendissimi Patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche nobis in dicta Diocesi concessa, omnibus vere penitentibus et confessis, qui sunt, vel pro zelo se constituent de Fradalia S. Marie Macellatorum de Utino, et qui ad Missam, quandocumque predicti Confratres ad honorem Dei et gloriosissime Virginis Marie Matris ejus in Ecclesia S. Petri Martiris et alibi, si contigerit, in Diocesi memorata fecerint celebrari,

devote interserint, et Missam audierint reverenter, et ad supportanda onera dicte Fradalie, et pro opere prosequendo de bonis sibi a Deo collatis manus porrexerint adjutrices, et ut dicta Fraternitas de bono in melius, auctore Domino, augmentetur, xl. dies de injuncta eis penitentia misericorditer in Domino relaxamus. In quorum omnium testimonium presentes scribi jussimus, et nostri sigilli appensione fecimus roborari.

Datum Utini, anno Domini m. ccc. xxvi.m. Nona Indictione die vii. mensis Julii. o.

N. 433.

1326 11 *Luglio Cividale.*
Super Ordinationibus treugarum fiendarum.

Codice Belgrado.

Anno Domini m. ccc. xxvi. Inditione ix. die xi. intrante Julio. Ordinatum fuit per D. Saginum Castaldionem Civitatis et per Consilium, et firmatum, quod si aliqua Mesela fiet in Civitate aut jura, D. Gastaldio, aut ille qui gesserit vices suas, aut Provisores Communis, sive aliquis eorum cogat partes ad faciendas treugas ad terminos consuetos: et si nullus eorum presens fuerit, tunc quilibet Consiliarius Communis Civitatis possit precipere, et treugas fieri facere ad minus pro octo diebus, ita quod precipiant, et mandare possint partibus ut faeiant treugas, facientes eis et cuilibet eorum discrete et distincte primum mandatum sub

pena L. librarum Veronensium parvulorum, et postea secundum mandatum sub pena centum et L. librarum veronensium, et deinde tertium mandatum, prout ipsis D. Castaldioni, sive suo Vicario, aut Provisori, aut Provisoribus, aut Consiliariis videbitur expedire. Ita quod ipsum tertium mandatum remaneat in arbitrio et taxatione Consilii. De quibus mandatis, si non fuerint observata antequam discedatur a loco sine fraude, due partes cedant Communi, et tertia Castaldioni. Et nihilominus Dominium, illum qui treguas facere noluerit, teneatur capere de persona, et detinere captum donec treuge facte fuerint, non obstante si habuerit facultates ad solvendas dictas penas, aut non. Hoc addito, quod populares, qui faciunt pedites pro Communi, solum ad medietatem dictarum penarum, si in illas inciderint, teneantur, et quod Vicini non teneantur facere aliam securitatem de observandis treugis, nisi sub pena quinque marcharum et manus; sed forenses faciant securitatem per fidejussores, aut recedant a Terra Civitatis: alioquin de personis, si redierint, capiantur. Si vero aliquis, quicumque sit, exiverit terram, ut evitet facere treugas, precipiatur domui sue, aut proclametur apud domum Communis sub penis predictis, ut infra quatuor dies compareat coram Dominio, et faciat dictas treugas: quas si non fecerit, aut si infra dictum terminum per se, aut suos amicos vindictam fecerit, aut processerit contra illum cum quo brigam habuerit, puniatur ac si treugas fecisset, et illas fregisset. Si autem in villis, in Castaldia Civitatis inter rurales et forenses treuge fuerint facte, et nullus de Civitate sit advoca-

tis pro eis, vel eorum aliquo, sub pena unius marche, que cedat Communi pro vice qualibet, et quolibet eorundem: et de predictis penis pecuniariis in Consilio summarie terminetur. o.

N. 434.

1326 13 *Luglio Udine.*
Collazione del Benefizio Parrocchiale di S. Cassiano del Mesco.

Miglioranza Can. P.

Die XIII. Julii. In Castro Utini, sub porticali novo Curie Patriarchalis. Presentibus Gabriele q.m D. Henrigini de Cremona Not. infrascripti D. Patriarche, Guecelone filio q.m Federici de Porcileis, Augustino Notario filio Todeschini de Utino, Rubeo de Murucio famigliare D. Morandi de Porcileis, et aliis.

Vacante Plebe S. Cassiani de Misco Aquilegensis Diocesis per obitum Presbiteri Baldinelli olim ipsius Plebis Plebani, ven. vir D. Frater Johannes Abbas Rosacensis, Vicarius Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, receptis ex parte ipsius D. Patriarche litteris ejus sigillo minori sigillatis, quarum tenor talis est. = Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, ven. viro Fr. Johanni Abbati Rosacensi Vicario nostro salutem, et sincere dilectionis affectum. Intelleximus nuper quod Plebs S. Cassiani de Misco nostre Diocesis per obitum Presbiteri Baldinelli,

olim ipsius Plebis Plebani, vacavit. Quare volentes de plebe ipsa fidelibus nostris de Porcileis complacere, discretioni vestre tenore presentium committimus et mandamus, quatenus Plebem ipsam sic vacantem Nanfosio eorum nato, nisi per expectantes occuparetur, debeatis auctoritate nostra conferre.

Datum Placentie xxii. Junii. Anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Indictione Octava. Volens juxta commissionem et mandatum supradicti D. Patriarche, prefato Nanfosio nato nobilis viri D. Federici de Porcileis, obtentu precum ipsius D. Federici et aliorum Nobilium de Porcileis, gratiam facere specialem, supradictam Plebem S. Cassiani vacantem cum omnibus juribus spiritualibus et temporalibus ipsi Plebi spectantibus, contulit discreto viro Presbitero Tyciano de Ceneta, qui moratur Brugnerie, recipienti nomine et vice dicti Nanfosii, ipsum investiens per fimbriam sue clamidos de eadem, et mandans ipsum induci, dicto nomine, in tenutam et corporalem possessionem plebis et jurium predictorum. C. F. o.

N. 435.

1326 24 *Luglio Cividale.*

La Gastaldia di Tolmino è dal Capitolo di Cividale accordata per nove anni a Fulcherino di Zucculа.

Anonimo Not.

Die viii. exeunte Julio. In Capitulo majoris Ecclesie Civitatensis. Venerabilis vir D. Guido Decanus et Capitu-

lum Ecclesie predicte, videlicet Philipponus Prepositus, Nicolaus de Portis, Mannus Prepositus Carnie, et alii Canonici in Capitulo more solito congregati, investiverunt D. Fulcherinum de Zuccula de Castaldia Tulmini a proximo festo S. Jacobi ad novem annos proxime subsequentes: ita quod dictus D. Fulcherinus teneatur rationem exhibere eisdem Dominis Guidoni Decano et Capitulo quandocumque per eos requisitus fuerit; excepto quod de quodam manso de terreno, de quo non teneatur facere rationem, nisi ad septem annos: nec teneatur de Collecta Pletii facere rationem, nisi reperiret quod collecta poneretur in redditibus dicte Castaldie. A. N. U. o.

N. 436.

1326 10 *Agosto*, *Spilimbergo.*
Statuto di Spilimbergo.

Cum Civitatum, Terrarum, et quorumcumque locorum Domini et Rectores affectantes virtutum osculo amplexari, ut merito scandere possint honoris apicem, ejusque astringi nexibus, quod premium est virtutis, et ut innocentibus non inferatur molestia, seu gravamen, ac ne mala remaneant impunita juris et rationis ordine observato debeant totis visceribus ac viribus justitie adherere juxta illud: diligite justitiam qui judicatis terram: idcirco Nos Pregonia ac Bartolomeus fratres de Spegnimberch cum deliberato consilio discretorum Virorum habitantium in loco prefato, nec non cum nostri

modici intellectus et defectuosi sciutillula qua fungimur, considerantes ex debito esse justitie totis viribns medulliter adherendum, et ejus laqueis circumdari volentes, que unicuique tribuit quod est equum; desiderando insuper virtuosorum et proborum sequi vestigia, et pessimis displicere, premissis omnibus diligenter juxta nostram facultatem inspectis, Deique nomine ac auxilio devotissime implorato, sine quo nullum recte fundatur exordium, statuimus et ordinamus infrascripta Statuta et ordimenta sociatim et sigillatim in omnibus et per omnia, sub penis et formis in eisdem contentis ab universis et singulis, inviolabiliter observari.

In Christi nomine amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo sexto. Indictione nona, die decima intrante Augusto.

Capitulum de Vulneratis.

Item statuerunt quod si quis vulneraverit aliquem in Speguimberch, ita quod ea de causa aliquod membrum perdiderit, xxv. libras parvorum solvat, medietatem Dominis, et aliam medietatem Communi, et passo solvat centum libras parvorum; et si solvere non posset, amputetur eidem simile membrum de persona offendentis.

Capitulum vulneratorum cum armis vetatis.

Item statuerunt quod si quis vulneraverit aliquem cum armis vetatis, xxv. libras parvorum solvat, medietatem Dominis, et aliam medietatem Communi, et satisfa-

ciat vulnerato ad arbitrium et dictum bonorum hominum.

Cruentati absque armis vetatis.

Item statuerunt quod si quis cruentaverit, vel percusserit aliquem absque armis vetatis, centum soldos solvat; medietatem Dominis, et medietatem Communi; et satisfaciat cruentato, seu percusso ad arbitrium bonorum hominum. Et si ille qui cruentatus fuisset aut percussus ostendere et probare non posset, et jurare voluerit coram Domino, et cruenta aut percussio existit presens et manifesta, debet ei fides per Dominum adhiberi, et plene dari si fuit de nocte, nisi ille qui ipsum cruentavit contra ostendet hoc sibi fecisse se tuente; si fuerit in loco remoto et in die, credatur cruentato, sicut de nocte.

Vaginare gladium aut Curtellum.

Item statuerunt quod si quis irato animo evaginaverit gladium, aut curtellum super alium, tres libras parvorum solvat, medietatem Dominis, et aliam medietatem Communi, et satisfaciat illi de injuria in arbitrio bonorum hominum, salvo hoc quod si traxit ad defensionem sui.

Si quis occurrerit super alium irato animo cum armis vetatis.

Item si quis irato animo occurrerit super alium cum armis vetatis, aut offensibilibus, tres libras denario-

rum solvat, medietatem Dominis, et medietatem Communi: et illi, in arbitrio bonorum hominum, satisfaciat de injuria sibi passa.

Si quis dismontaverit aliquem aut aliquam.

Item statuerunt quod si quis irato animo dismontaverit aliquem aut aliquam, XL. soldos parvorum solvat, medietatem Dominis, et medietatem Communi: et XX. soldos passo de injuria. Et si hoc esset coram Dominis, aut potestate, duplici pena puniatur in pecunia tam Dominis, quam passo dum esset in judicio.

Si quis verberaverit aliquem.

Item statuerunt quod si quis verberaverit aliquem aut aliquam irato animo, aut percusserit, seu scapillaverit, centum soldos parvorum solvat, medietatem Dominis, et residuum Communi. Et satisfaciat de injuria passo in arbitrium bonorum hominum. Et si solvere non poterit verberetur, aut scapilletur; et si ille qui verberatus et scapillatus fuerit reclamaverit, et sic esse probare non poterit, solvat quinque soldos parvorum tantum, et non plus. A. C. U. c.

N. 437.

1326 30 *Agosto Udine.*
Locazione della Muta di Chiusa e Monfalcone.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die penultimo mensis Augusti, Utini, in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus ven. viris D. Fr. Johan-

ne Abbate Monasterii Rusacensis Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, Berofino de Cremona Canonico Aquil. Fr. Bernardo de Novate Ordinis Cisterciensis, magistris Odorico et Francisco Notariis de Utino, Tobia q.m Merchadantis, Zuanutto notario de Utino, Petro q.m Lotti de Florentia habitatore Utini, et aliis pluribus vocatis et rogatis.

Ven. vir D. Zonfredus de Oppreno Capellanus et Vicedominus Rev. Patris D. Patriarche predicti, ac ejusdem Domini et Ecclesie Aquil. procurator et negotiorum gestor, habens ad hoc, et alia omnia et singula exercenda pro dicto D. Patriarcha et Ecclesia Aquil. plenam et liberam potestatem et generale mandatum, prout per litteras et instrumentum publicum ipsius D. Patriarche, ejus sigillo pendenti munitum, confectum manu Francini de Laude notarium plenius apparet, quarum tenor inferius annotatur, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, et pro ipso, ac nomine Ecclesie Aquilegensis, locationis titulo dedit, vendidit, et concessit Nobili viro D. Federico de Sevorgnano nato q.m D. Constantini de Utino, et Philippussio nato q.m D. Rayneroti de Venzono ibidem presentibus et recipientibus pro se et suis heredibus, aut quibus dederint et concesserint Mutas ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquil. de Clusa et de Montefalchone cum jure pegule, et omnibus aliis juribus et consuetudinibus ad ipsas Mutas spectantibus et pertinentibus, et hactenus observatis. Incipiendo eo die aut die sequenti quo expirabit et finiet terminus alterius locationis eis facte, et terminus concessionis eis facte de quatuor mensibus cum dimidio pro dampnis et defectibus eorundem, prout hec omnia

plene apparent publicis instrumentis per me Gabrielem Notarium infrascriptum confectis, usque ad duos annos tunc proxime sequentes, continuos et complectos, habendas, tenendas, utendas et fruendas pretio, seu fictu duorum millium et sexcentarum marcharum denariorum frixachensium Aquileg. monete. Quas iidem D. Federicus et Philippussius promiserunt et steterunt, stipulatione solempni, dare et solvere eidem D. Patriarche, aut procuratori predicto, aut aliis personis, juxta dispositionem ipsius, in terminis infrascriptis. Videlicet in festo Paschatis Resurrectionis Domini tunc proxime secuturo post inchoationem dictorum duorum annorum, marchas quingentas dicte monete. Et demum in festo B. Marie mensis Augusti tunc proxime venienti similiter marchas quingentas. Et in fine termini dicti primi anni reliquas marchas trecentas. Item in tunc proxime subsequenti festo Paschatis predicto, post principium dicti secundi anni, marchas quingentas, et deinde modo simili in tunc subsequenti festo S. Marie mensis Augusti alias marchas quingentas, et in fine dicti secundi anni reliquas marchas trecentas, cum omnibus dampnis, interesse, et expensis faciendis et substinendis a quolibet predictorum terminorum in antea pro ipsa pecunia petenda et exigenda, sive ejus occasione. Et insuper tenere, servare, et custodire bona fide, et propriis eorum expensis castrum Cluse cum Fortiliciis et omnibus ad ipsum Castrum pertinentibus per totum tempus predictum, et illud in eodem statu, finito dicto tempore, consignare eidem D. Patriarche, seu procuratori suo, aut aliis, juxta mandatum prefati D. Patriarche, quibus committi expedierit, sub

pena mille marcharum prefate monete. Hoc adjecto quod si casu aliquo, ipse D. Patriarcha, aut Vicarius suus, aut Vicedominus et procurator suus predictus, aut alia persona pro D. Patriarcha vellet pro defensione Ecclesie Aquilegen. et Terre Forijulii gentem mittere ad dictum Castrum Cluse, dicti Conductores teneantur et debeant gentem ipsam admittere et recipere in Castro et fortaliciis antedictis, sine prejudicio juris eis concessi, et augmentatione aliqua expensarum. Convenit etiam per pactum expressum inter ipsum procuratorem et Conductores predictos, quod si medio tempore dictorum duorum annorum strate impedirentur propter guerram, ita quod dicte Mute non haberent cursum liberum consuetum, dictus D. Patriarcha, aut procurator suus predictus, aut ejus Vicarius, cum ad hoc fuerit requisitus, infra quatuor dies post requisitionem ei factam, mittere debeat suos nuntios ad hoc competentes, videlicet unum pro qualibet Muta, qui intersint ad exigendas ipsas Mutas quam diu duraverint dicte guerre. Quibus guerris finitis, ipse D. Patriarcha, aut procurator suus predictus dimittere debeat eisdem Conductoribus ipsas Mutas post predictos duos annos quousque eis de hujusmodi defectibus fuerit satisfactum, ad dictum, et arbitrium duorum bonorum virorum, eligendorum videlicet unius pro parte. Et ex nunc Procurator predictus elegit pro parte ipsius D. Patriarche magistrum Franciscum testem predictum, et Conductores prefati elegerunt pro parte sua Magistrum Odoricum notarium de Utino similiter testem predictum. Pro quibus omnibus et singulis, ut superius est expressum, firmiter attendendis et observandis predicti D. Fe-

dericus ac Philippussius obligaverunt eidem D. Vicedomino et procuratori omnia bona sua presentia et futura, mobilia et immobilia, ita quod uterque in solidum teneatur et conveniri possit. Renunciantes legi de duobus reis debendi, privilegio fori, testium receptioni, et omnibus legum, consuetudinum et statutorum auxiliis, quibus contra predicta aut aliquod eorum se possent defendere aut tueri. Submittens se dictus Philippussius ex nunc occasione predicta realiter et personaliter jurisdictioni ipsius D. Patriarche et ejus Vicarii, ac promittens sub pena predicta, quod nullo tempore per se, aut alium aliquas reclamationes, aut querimonias pro predictis deferret Comiti Goritie, seu Capitaneo suo et Comitatus predicti, nec auxilium, favorem aut defensiones aliquas postulabit. Et versa vice D. Vicedominus et procurator predictus, nomine ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquil., pro omnibus et singulis observandis obligavit eisdem Conductoribus omnia bona Ecclesie Aquilegensis et Patriarchatus predicti. Preterea si contingeret quod durante tempore concessionis et venditionis predicte, strata de Clusa cursum suum perderet consuetum per viam novam et insuetam juxta Civitatem Austrie veniendo, firmatum fuit per pactum expressum inter partes predictas, quod dicti Conductores possint et debeant apud Castrum Landri D. Patriarche, aut alibi, prout eis melius videbitur, Mutarios suos ponere, qui Mutam illam exigant quam exigerent apud Clusam, si illa talis Strata non esset de novo constructa aut reparata. Insuper pro majori robore predictorum promiserunt dicti D. Federicus et Philippussius, locatori predicto sibi bonam securitatem prestare, ante-

quam incipiant officium exactionis predicte, ita quod possit contentari, si illam ab ipsis duxerit requirendam. Tenor autem Procuratorii antedicti talis est.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha discreto viro dilecto Camerario nostro Zuffredino de Oppreno salutem in Domino.

De fidelitate, et discretionis tue industria plenam fiduciam obtinentes, te in nostrum et Ecclesie nostre Aquilegensis Vicedominum, procuratorem, et negotiorum factorem omnium et singulorum nostrorum, et Ecclesie nostre Aquilegensis bonorum, in quibuscumque rebus existentium, tenore presentium, facimus, creamus et constituimus generalem. Ita quod de cetero fructus, redditus, proventus, et bona alia nostra procurare, exigere, recipere, locare, affictare, disfictare, solutiones quaslibet et quietationes de receptis facere, unumque loco tui substituere valeas sicut tue discretioni videbitur; nec non bona ipsa omnia et singula, si opus fuerit, obligare, et obligata exigere. Et omnia et singula generaliter dicere, facere et exigere, sicut possemus, si essemus presentes. Promittentes ratum, gratum et firmum perpetuo habituros quidquid dictum, factum et ordinatum per te, et substitutum tuum fuerit in predictis et circa predicta, sub nostrorum et Ecclesie nostre Aquilegensis bonorum omnium ypoteca. Mandamus autem per presentes omnibus et singulis fidelibus Ministerialibus, Capitaneis, Potestatibus, Gastaldionibus, Mutariis, Canipariis, Vicariis, ceterisque officialibus et conductoribus nostris et nostre Aquil. Ecclesie tam Clericis, quam Laicis, quatenus de omnibus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et ju-

risdictionibus universis nobis et Ecclesie nostre predicte debitis et debendis, tibi, tamquam Vicedomino et factori nostro generali, aut illi quem constitues loco tui, et nulli alii de cetero debeant respondere. Alioquin penas quas rite tuleris in rebelles usque ad satisfactionem condignam, mandabimus, auctore Domino, firmiter observari. In quorum testimonium presentes tibi fieri jussimus sigilli nostri appensione munitas.

Datum Parme, in domo Fratrum Minorum. Anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo sexto. Indictione nona, die penultimo Julii. Presentibus ven. et nobilibus Viris Dominis Petro Mora Rectore S. Marie de Turri Diocesis Mediolanensis Vicario, Antoniolo et Mauritio de la Turre nepotibus, Obicino Malamosca domicello D. Patriarche prefati testibus vocatis.

Ego Francinus q.m D. Montanini de Villanova de Laude sacri Palatii Notarius, ac prefati D. Patriarche officialis et scriba predictis interfui et rogatus hec de ipsius mandato scripsi. C. F. o.

N. 438.

1326 30 *Agosto Cividale.*
Ministero di cuocere il pane al Patriarca concesso in feudo a Bello da Tojano.

Stefano da Cividale Not.

Die penultimo Augusti. Nobilis vir D. Zuffredinus Vicedominus Reverendi Patris D. Pagani Dei et Aposto-

lica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche perpetuo investivit, et dedit, et tradidit Bello q.m Zanitesii de Toyano recipienti pro se suisque heredibus, aut cui dederit jus suum, jure ministerii Pistrini D. Patriarche, unum campum situm in Contrata S. Georgii prope Civitatem, cujus hii, sunt confines: ab una parte est campus Marzuli de Montisello; a sero est campus Cantiani commorantis Burgo pontis Civitatis; a tertia est via publica, et a quarta. Promittens dictam locationem et investitionem habere ratam et firmam, attendere et observare, et non contra facere aut venire per se, aut interpositam personam, dolo, ingenio, ingratitudine seu causa aliqua de jure aut de facto, sub pena dupli ejusdem de quo questio moveretur, ad hoc obligando bona Ecclesie Aquilegensis.

Actum in Civitate Austria. In Curia Patriarchali. Presentibus D. D. Johanello et Manfredino della Turre, Barruffino Canonico Aquil. Presbitero Nicholao Plebano Flambrii, Andriolo Quirini de Venetiis, Civitate commorante, Magistro Nicholao dicti D. Johannelli, Zirulino de Civitate, Oliverio de Civitate, et Nicolao q.m D. Utulini de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 439.

1326 10 *Settembre, Cividale.*
Rissa tra Vidulo e Bertaldo di Gallano.

Stefano da Cividale Not.

Die x. intrante Septembri. Vidulus q.m Mulinarii de Gallano sponte ad petitionem D. Sagini de Par-

ma Castaldionis Civitatis confessus fuit et dixit; quod dum pridie veniret a domo de cenis in crepusculo noctis, circa tintinnabulum ignis, et Bertaldus de Gallano veniret supra campum Astiludii Civitatis, ambo nolentes ad invicem dare viam, inter se urtaverunt, et ipse Vidulus elevavit lanceam, et percussit super spatulam ipsum Bertaldum dicens: unum cancherum nascatur tibi! quare urtas tu me? Et volens ipsum percutere cum lancea, Bertaldus fugiens cecidit in terram, et Martinus de Vado tenuit ipsum Vidulum. Et dum ipse Bertaldus fugeret, et ipse Vidulus curreret post eum, ille intravit domum Zuliani, et percussit cum capite suo in predictum Zuliani, et se percussit tam fortiter, quod ipse Bertaldus caderet in pozalea ipsius Zuliani.

Actum in Civitate Austria, in domo ipsius Castaldionis habitationis. Presentibus Blasio sartore de Civitate, Federico Pellipario, Alberto Monocolo, et Peregrino fratre Bernardi Fabri de Civitate testibus, et aliis. A.N.U.o.

N. 440.

1326 21 *Settembre, Udine.*

Presentazione delle lettere del Cardinale Legato.

Melioranza Can. P.

Die XXI Septembris. In Castro Utini; super Patriarchali palatio. Presentibus D. Francisco Plebano Plebis Murucii Aquil. Diocesis, Franceschino filio q.^m D. Lan-

telmi de Osenago nepote infrascripti D. Vicarii, Ubertino de Mediolano, notario ipsius D. Vicarii, et aliis.

Johannes dictus Broel, Diocesis Catarensis, nuntius ex parte Rev. Patris et D. D. Bertrandi titulo S. Marcelli Presbiteri Cardinalis inscripti, presentavit hodie, dedit, et porrexit ven. viro D. Fratr. Johanni Abbati Rosacensi Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, quasdam patentes litteras, sigillatas vero sigillo ipsius D. Legati cere rubee pendenti ad cordam fili albi, que sic incipiunt: = Bertrandus miseratione divina titulo S. Marcelli Presbiter Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus venerabili in Christo Patri... Dei gratia Patriarche Aquilegensi, aut ejus Vicario, seu vicesgerenti salutem in Domino. In quibus continetur, quod infra duos menses a presentatione ipsarum litterarum solvat Camerario ipsius D. Legati mille ducentos et triginta florenos auri, et finiunt: Datum Parme II. Kalendas Augusti. Pontificatus Sanctissimi Patris D. D. Johannis Pape XXII. anno decimo. Quas litteras idem D. Vicarius benigne recepit, et tenuit. C. F. o.

N. 441.

1326 26 *Ottobre*, *Udine.*

Valtero di Nonta vende ad Ettore di Savorgnano i Castelli di Forni di sopra e di Forni di sotto.

Zanutino da Tolmezzo Not.

In Christi nomine amen. Anno M. CCC. XXVI. Indictione IX. die sexto exeunte mense Octubris. In Ecclesia

S. Petri Martiris Fratrum Predicatorum de Utino. Presentibus D. D. Odorico Notario de Utino, Almerico de S. Vito, Manfredo q.^{m} Bertoldi de Utino testibus, et aliis.

D. Valterus filius q.^{m} D. Hermani de Nonta per se et ejus heredes, pretio et foro centum et quinquaginta marcharum denariorum Aquilegensis monete, quas contentus fuit et confessus integre habuisse et recepisse a D. Hectore filio q.^{m} D. Costantini de Savorgnano, renuntians omni exceptioni sibi non dati, habiti, soluti, numerati et non recepti dicti pretii tempore hujus Contractus, et omni legum et juris auxilio, vendidit, tradidit, dedit et investivit dicto D. Hectori recipienti pro se et suis heredibus, et cui dare voluerit, Castra Furni Superioris et Inferioris cum Clusa, Garitu, Muta, Harmania, Avocatia, valdis, Agris, Falchonum, Spomanum, et omnibus aliis ad ipsa castra et Garitum spectantibus et pertinentibus, quod est proprium pro proprio, quod est livellum pro livello, quod est feudum pro Feudo, ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum, permutandum, locandum, infeudandum, et quidquid sibi, suisque heredibus, et cui dederit, deinceps de predictis Castris et Garitu ac juribus et bonis predictis placuerit perpetuo faciendum, debito jure salvo, sine omni conditione et exceptione dicti D. Valteri ejusque heredum, et cujuslibet alterius persone, cum accessibus et egressibus eorum usque in vias publicas, sediminibus ,domibus, cortivis, hortis, beartiis, campis, pratis, silvis, pascuis, communiis et cum omnibus et singulis aliis que ad dicta castra, et Garitum, ac jura, et bona predicta pertinere noscuntur, omnique jure, actione, dominio, honore, servitute, commo-

do et utilitate sibi in dictis, vel pro dictis Castris, garito, juribus et bonis predictis, aut ad ipsa Castra, et Garitum, aut jura, et bona predicta quocumque modo spectantia et pertinentia de jure, vel de facto, cum omnibus et singulis que sunt supra, intra, vel infra se in integrum, solvendo dictus D. Hector et ejus heredes annuatim in festo Nativitatis Domini Ecclesie S. Marie de Castro Utini sex marchas Aquilegensis monete pro anima pie memorie D. Petri Patriarche Aquilegensis. Et si dicta Castra et Garitum, ac jura, et bona predicta tempore aliquo valuerint plus pretio nominato, dictus Valterius totum id quod plus valebit predicto D. Hectori remisit ac donavit donatione inter vivos irrevocabili. Promittens dictus D. Valterius per se et ejus heredes, cum obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium, presentium et futurorum, et omnium dampnorum, et expensarum, ac interesse, solo verbo, litis et extra refectione, prefato D. Hectori accipienti pro se suisque heredibus, et cui dederit, dictam donationem nulla injuria, ingratitudine vel causa revocare; nec deinceps de predictis Castris, Garito, et juribus, et bonis predictis, nec de aliquibus juribus ipsorum litem nec questionem aliquam eis facere, aut movere, nec volenti facere aut consentire: sed ipsa Castra et Garitum et jura ac bona predicta jure quo dictum est superius, cum omnibus ipsorum pertinentiis, ab omni homine, universitate, Ecclesia et persona qualibet impediente, rationabiliter defendere, manutenere, ac in solidum disbrigare. Possessionem quorum Castrorum, Gariti, et jurium, et bonorum tradidit dicto D. Hectori constituendo se de cetero ipsius D. Hectoris nomine pos-

sidere, donec ipsorum possessionem acceperit corporalem; quam accipiendi, et sua auctoritate retinendi licentiam omnimodam de jure dedit et contulit etiam de facto, nec contra predicta, nec aliquod de predictis per se, vel per alias interpositas personas tempore aliquo dicere vel venire ratione aliqua, dolo, ingenio, sive causa; et Castra, Garitum, et jura predicta in manibus D. Patriarche Aquilegensis, a quo illa habere noscitur, resignare, et in resignationem et investitionem infra quindecim dies quandocumque per ipsum D. Hectorem, aut ejus heredes requisitus fuerit, et ipse voluerit, ordinare, sine bonorum suorum donatione sub pena dupli valoris dictorum Castrorum, Gariti, et jurium, et bonorum ac pro tempore plus valerent, et miliorata fuerint minus quinque solidis Venetorum parvorum stipulatione premissa. Qua pena soluta vel non, omnia predicta in sua maneant firmitate, presens Instrumentum nihilominus obtineat plenum robur. Et dedit dicto D. Hectori Brixianum . . . Nuntium, qui ipsum in tenutam de Castris et Garitu et juribus et bonis predictis poneret, et in possessionem induceret corporalem. *Archivio Savorgnani.* c.

N. 442.

1326 28 *Ottobre, Udine.*

Offizio del Tabellionato conferito a Guglielmo di Maestro Alberto.

Melioranza Can. P.

Die IV. exeunte Octubri. Utini, in domo habitationis infrascripti Johannis hospitis. Presentibus D. Petro de

Orsaria Canonico Ecclesie Civitatensis, Lanfranco speciali filio q.m Johannis de Arbagnis de Pomponesco, Johanne dicto Hospite de Civitate, Utini habitantibus, Federico filio q.m D. Jacobi de Atems, Nicola filio olim Giufredi de Papia testibus vocatis et rogatis, et aliis. Nobilis vir D. Ubertus filius q.m D. Manfredi Comitis de Lomello, Guilielmum filium discreti viri Magistri Alberti de Tycnis Doctoris Grammatice Utini habitantis, in ipsius D. Comitis presentia constitutum, et ab ipso dotari privilegio Tabellionatus Officii humiliter postulantem, inquisita et comperta veritate quod non erat Servus, sed erat liber homo, nec in Sacris Ordinibus constitutus, eundem Guilielmum, Imperiali auctoritate qua fungitur in hac parte, et ex indulto sibi et domui sue ab Imperiali Majestate, privilegio speciali, publicum et autenticum Notarium creavit et fecit; ipsumque de arte et officio Notarie publice operando, per pugillare, et calamum; quos in manibus suis tenebat, liberaliter investivit; conferens et concedens eidem plenam licentiam et liberam potestatem conficiendi ubique per totum Romanum Imperium, omne publicum Instrumentum, omnesque scripturas et actus ad Tabellionatus Officium pertinentes. Qui quidem Guilielmus prefato D. Comiti, nomine Romani Imperii recipienti, pro se, et illis de Domo sua corporale prestans fidelitatis debite juramentum, juravit nihilominus, quod Instrumenta tam publica, quam privata, quecumque judiciorum acta, ac omnia et singula que sibi ex ipsius Officii debito conscribenda occurrerent, pure et fideliter scribet, leget, et faciet, omni falsitate, dolo et fraude remotis. Et in Carta bombicina, seu de qua ve-

tus scriptura fuerit abrasa, publicum non conficiet Instrumentum. Sententias, et dicta Testium ante tempus concessum, nemini revelabit. Ecclesiarum, Orphanorum, Viduarum et Minorum jura manutenebit pro posse, ac omnia exercebit legaliter, que ad predictum Tabellionatus officium pertinebunt. In cujus rei testimonium et fidem pleniorem prenominatus D. Comes mandavit et fecit tam manu mei notarii infrascripti, quam sigilli sui presentem paginam munimine roborari. C. F. o.

N. 443.

1326 9 *Novembre, Udine.*

Nomina di due Deputati al Conte di Gorizia onde chiedergli la restituzione del Castello di Arispergo.

Gabriele da Cremona Can. P.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod ego Morandus de Porcillis Locumtenens Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, simul cum Consiliaribus Ecclesie Aquilegensis, et de eorum voluntate et consensu, per presentes litteras meas facio, constituo, et ordino Nobilem virum D. Federicum de Sevorgnano, ac sapientem virum Magistrum Franciscum Notarium, Cives Utini presentes, et mandatum hujusmodi suscipientes, et utrumque eorum in solidum procuratores meos et nuntios spe-

ciales ad comparendum, et se presentandum coram illustri D.D. Henrico Dei gratia Boemie et Polonie rege, Karintie Duce, Tirolis et Goritie Comite, Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis Ecclesiarum Advocato ad petendum et supplicandum dicto D. Regi, meo et Aquil. Ecclesie nomine, quatenus dignetur restitui facere Ecclesie Aquilegensi Castrum Arispergi, quod per Comitatum Goritie dicte Ecclesie, contra justitie debitum detinetur, nec non ad exponendum et insinuandum eidem D. Regi oppressiones, injurias et gravamina que eidem Ecclesie inferuntur, et supplicandum predicta restitui, tolli et revocari; et generaliter ad omnia alia et singula agendum et procurandum, que egomet, juxta potestatem mihi traditam, facere possem, etiam si presens essem. Promittens ratum et gratum habere quidqnid per procuratores ipsos factum fuerit in premissis. In cujus rei testimonium sigillum meum presentibus apponi mandavi. Actum et datum Utini, in Castro et Palatio Patriarchali, die nono mensis Novembris, anno ut supra. Presentibus nobilibus viris Dominis Napino de la Turre Gastaldione Utini, Hectore milite de Utino, Carlevario de la Turre Gastaldione Carnie, Fedregino de la Turre Capitaneo Glemone, et Guezilino de Porcillis fratre nostro.
C. F. o.

N. 444.

1326 8 *Decembre, Udine.*

Ordine agli abitanti della Meduna di non accordare il passaggio alle genti dei Conti di Avenstain e di Duino.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die lune VIII. mensis Decembris. Utini, in Castro et Palatio. Presentibus nobilibus viris Federico de Savorgnano, Carlevario de la Turre, Fr. Bernardo, Guezellino dicto Francino de Brambate, Bertramo d' Olzate, et aliis pluribus. Coram D. Morando de Porcillis Vicario etc. retulit per Sacramentum suum Cancianus dictus Furlanus, se die Veneris nuper elapso, Vermilio de Meduna Gastaldioni ibidem personaliter invento, presentibus Cieto, qui fuit de Mediolano, Raynaldo de Zavatariis, Symone dicto Scrivuto de Utino, et aliis pluribus, presentasse litteras infrascripti tenoris ex parte D. Patriarche patentes, munitas suo majori sigillo cera rubea impresso, sano et illeso, et quod de presentatione predicta rogavit Floramontum notarium de Meduna ibi presentem sibi facere publicum Instrumentum; et dixit, et requisivit dictum Vermilium, quod dictas litteras legi et publicari faciet in Consilio, et certis hominibus dicte Terre de Meduna.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, dilectis fidelibus nostris Communi et hominibus Terre nostre de Meduna, gratiam nostram, et omne bonum.

Intelleximus quod Conradus de Avenstayn et Ugo de Duyno fecerunt fieri hiis diebus tres Batifredos quos circumdederunt fossis super ripa fluminis Liquentie, prope Medunam, intendentes ibi tenere postum pro transitu equitum et peditum per terram et districtum Medune, in nostrum, et Ecclesie nostre Aquilegensis prejudicium non modicum et gravamen. Quo circa vobis universis et singulis, sub pena privationis habitantiarum vestrarum, et alia que vobis conferre potuerimus et voluerimus, districte precipiendo mandamus, quatenus, nullum dantes ad predicta consilium, auxilium, aut favorem, non permittatis aliquem transire per terram Medune vel districtum euntem ad dictum portum, aut transeuntem per eum, nec etiam ministratis talibus victualia, aut alia necessaria. Alioquin contrarium facientes, penas predictas, et indignationem nostram merito poterunt formidare.

Datum Placentie, die xxvi. Octubris, nona Indictione.

Quibus litteris per dictum Vermilium perlectis, respondit dicto Nuncio, quod nullam poterat sibi dare responsionem, nec aliquid respondere super hiis que continebantur in eis, ante adventum D. Bernardi de Strassoldo, et quod in ejus adventu, juxta ejus Consilium, facient quod debebunt. C. F. o.

N. 445.

1326 18 *Dicembre Cividale.*
Pietro di Belgrado invola gli Animali ai Mercanti Enrico e Jaza.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Die XIV. exeunte Decembri. In Civitate Austrie. Ante domum heredum q.m Magistri Hellari. Presentibus Tricesimo stipendiario commorante in Zucula, Hermano Tanello commorante in Burgo pontis, Simone filio Henrici Cazete Civitatensis, Jacobo dicto Mangat beccario Civitatis, et aliis.

Cum dictus Haynricus vendidisset certam quantitatem armentorum eidem Jazse, ipsis simul conducentibus dicta armenta, D. Petrus de Belgrado eis dicta armenta abstulerat, prout ibidem asserebant; cui D. Petro idem Haynricus convenit secundum voluntatem ipsius Jazse, et dicto Petro de predictis dedit quatuor armenta, que dedit bono viro tenere, ut cetera non ammitterentur. Unde si per bonos homines arbitratores consultum fuerit quod dictus Haynricus satisfacere teneatur eidem Jazse dicta quatuor armenta, dictus Haynricus ex nunc pro ex tunc promisit et stetit satisfacere sub pena etc. A. N. U. o.

N. 446.

1326 28 *Decembre Cividale.*
Pace fra alcuni abitanti di Grupignano.

Stefano da Cividale Not.

Die quarto exeunte Decembri. In Civitate Austria. In Ecclesia S. Petri. Presentibus Gregorio de Guritia q.m D. Ossalchi de Saciletto, Magistro Federico lignatore de Grupignano, Dyetrico capellario, Magistro Conrado lignatore de Grupignano, Magistro Martino, et Floriano fratribus de Grupignano testibus, et aliis.

Pertoldus et Marchus q.m Petrussii mulinarii de Grupignano pro se suisque fratribus, et amicis, et coadjutoribus, quos possent ponere et extrahere ex parte una; et Johannes et Matheus fratres q.m Cantiani de Grupignano pro se, suisque amicis et coadjutoribus, quos possent ponere et extrahere, ex parte altera, de omnibus offensionibus, injuriis causa mortis, quam alius cujuscumque offensionis inter eos habite usque ad diem presentem, libere compromiserunt communiter, et concorditer in Magistrum Bonifacium calcificem in Burgo S. Petri, et Vincentium Magistri Johannis de Grupignano, tanquam veros arbitros, arbitratores et amicabiles compositores: dantes eis plenam et liberam potestatem et arbitrium sententiandi, arbitrandi, et deffiniendi inter partes predictas, alte et basse, prout eis videbitur. Promittentes dicte partes vicissim ipsis antedictis, nec

non tertio per eos eligendo, aut duobus ex ipsis, se habituros firmum et ratum quidquid per eos laudatum et arbitratum fuerit, prout eis videbitur, sub pena ducentarum librarum Veronensium parvulorum medietas cujus ipsis arbitris, et medietas parti observanti a parte non observante persolvatur. Qua soluta vel non, dictum compromissum, arbitratus et laudum, plenum obtineat robur. Pro parte dictorum Pertoldi et Marchi extitit fidejussor Vozilus q.^{m} Pellegrini de Uruspergo, et ipsi Pertoldus et Marchus extiterunt fidejussores pro reliquis eorum fratribus et amicis: et pro parte dictorum Johannis et Mathei extitit fidejussor Jacobus dictus Mussus faber de Grupignano, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

Qui dicti arbitri sententiaverunt ibidem inter ipsas partes, quod faciant pacem perpetuam et perseveraturam pro se, et suis amicis, sub pena quinquaginta librarum et manus uniuscujusque frangat pacem istam ad usum pacis et treguarum, et sub pena in compromisso contenta: et predicta jurent observare super altare S. Petri ante Viaticum. Que partes predicte ante Viaticum positum super altare, juraverunt observare dictam pacem, osculo pacis interveniente inter eos; salvis hiis que dicere et facere vellent inter ipsas partes hoc modo; quod si aliquis ex amicis ipsorum nolet observare pacem predictam, notificabit alie parti infra tres dies sub dictis pactis, et penis, et conditionibus.
A. N. U. o.

N. 447.

1327 24 *Gennajo Udine.*

Il Vescovo di Concordia promette ai Frati di S. Agostino di fare delle questue nella sua Diocesi.

Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus, venerabilibus viris ac dilectis in Christo filiis, universis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Plebanis et aliis Ecclesiarum Rectoribus in nostra Concordiensi Civitate e Diocesi constitutis, salutem in Domino.

Quanto magis Domino servientes grandioribus se submittunt obsequiis, tanto debet eis largius manus misericordie aperiri, ut quod faciunt, ardentius faciant, et possint cepta per eos fine laudabiliori compleri. Hinc est ut cum venerabiles viri Abbas et fratres S. Marie Roride vallis Ordinis S. Augustini exerceant substentando pauperes, nutriendo, vestiendo, et recreando, ac recipiendo peregrinos. debiles et infirmos, necessaria eis tribuendo diversimode diversa opera caritatis, substinere non possunt, propter multitudinem talium concurrentium, quia eorum non suppetunt facultates, nisi a Christi fidelibus subveniatur eisdem. Et ideo Sacrosanta Romana Ecclesia, Mater omnium et magistra fidelium, attendens hec specialiter ut tantum bonum perficiatur in Domino, ut testatur in suis litteris Reverendus pater et D. D. Neapoleo miseratione divina S. Adriani Diaconus Cardinalis, Judex et Conservator Privilegiorum

Abbatis et predictorum Fratrum, sicut in suis litteris videre poteritis, ad utilitatem manum tribuentium et volentium, thesauros aperuit spiritualium multiplicium gratiarum. Quare universitatem vestram hortamur et monemus in Domino, vobis omnibus et singulis in virtute sancte obedientie, ac Interdicti, et Excommunicationis penis districte precipiendo mandantes, quatenus cum supradicti Fratres, seu eorum aliqui, aut nuntii, et procuratores eorum ad vos venerint pro ostendendis, seu declarandis gratiis eis a Romanis Pontificibus factis, seu etiam in subsidium pauperum et debilium qui recreantur et substentantur ibidem pro elemosinis postulandis, eos recipiatis benigne, ac tractetis in visceribus caritatis, veluti nostram propriam personam; faciatisque congregari tribus diebus dominicis vel festivis solempnibus, vel etiam aliis diebus, si opus fuerit, et plus, ut videbitur Fratribus antedictis, in unum locum convenientem populos vobis commissos, et sinatis eos proponere, vel vos ipsi proponatis ad eorum petitionem gratias Apostolicas, et, prout expedierit, verbum Dei, et inducatis dictos vestros populos, secundum quod administrabit Altissimus vobis ad manum tribuendam misericordie, et ad faciendas elemosinas predictis. Absolvatisque, cum per ipsos requisiti fueritis, omnes et singulos secundum gratias eis factas, et in ipsorum videbitis Privilegiis, et aliis nostris litteris, quos videbitis absolvendos, et secundum quod dicti Fratres, vel eorum veri nuntii, meta servata, vos duxerint requirendos. Et quia ipsi, in diversis locis habent petere, et in uno loco non possunt morari, eligatis tres bonos viros ac fidedignos de vestris par-

rochialibus, qui pro ipsis Elemosinas petant, premissa etiam quecumque conservent, ac reddant eis rationem debitam sine fraude, et restituant ipsis cum per eos fuerint requisiti. Et si in hiis diebus quibus sepe dicti Fratres, vel eorum nuntii gratias eorum proponent, et elemosinas petent, questuarii alii apparerent, ne eorum facta impediantur, eos minime admittatis, nisi prius istorum Fratrum fuerit cum effectu expedita petitio, quoslibet alios questuarios, qui pro isto Ordine peterent, has nostras litteras non portantes, quia non veri, sed falsi essent procuratores, cum omni impetu expellentes. Et quommodo plerumque a diabolica fraude obcecatis solent multiplicia impedimenta et gravamina a talibus inferri, vobis omnibus et singulis, sub antedictis penis mandamus, ut si aliqui apparerent impeditores, aut quomodocumque aggravantes Fratres, nuntii, aut procuratores prefati, tales sic gravantes, ut impedirentur, per censuram Ecclesiasticam, auctoritate nostra, a gravaminibus et injuriis compescatis et citetis, si vos dicti requisiverint Fratres, ipsos, certa die assignata, ut coram nobis compareant in justitia responsuri Fratribus seu procuratoribus prelibatis, facientes aliquibus documentis legiptimis nobis fidem de citatione hujusmodi, ut voluntates similium compescantur. Et ut unusquisque ad hoc avidius inducatur, quia dignus est mercenarius sua mercede, omnibus vere penitentibus et confessis, qui pro ipsis Fratribus in petendis elemosinis fatigati fuerint, consilium aut auxilium dederint, seu quoquo modo manum tribuerint adjutricem, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatissime Virginis Marie Matris ejus, Sactorumque Apostolorum Petri et Pauli,

et S. Stephani Prothomartiris, nostri Patroni confisi suffragiis, de injuncta eis penitentia quadraginta dies misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium, et firmitatem presentes, quas post triennium non valere decernimus, cum appensione nostri sigilli procuratori vero ipsorum Abbatis et Fratrum, seu substituto ab eo duximus concedendas.

Datum Utini, Aquilegensis Diocesis. Anno Domini M. CCC. XXVII. Indictione decima, die XXIV. mensis Januarii. A. N. U. o.

N. 448.

1327 3 *Febrajo, Aquileja.*

Spetta al Decano e Capitolo di Cividale il diritto di giudicare intorno all' usure di cui que' Cittadini potrebbero esser colpevoli.

Nicolò da Cividale Not.

Frater Johannes Abbas Rosacensis, Vicarius Reverendissimi Patris D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, discreto viro Worlico q.m Martini de Civitate Austrie, salutem in Domino.

Noveris nos recepisse quasdam litteras a venerabilibus viris D. D. Decano et Capitulo Civitatensis Ecclesie concernentes quod ipsi habent Archidiaconum, qui de usuris acceptis per homines qui morantur in dicta Civitate, habet plenam jurisdictionem, facere justitiam omnibus petentibus restitutionem de predictis, et nobis sup-

plicaverunt humiliter, ut nos jurisdictionem dicte Ecclesie, ac predicti Decani usurpare non debeamus. Nos igitur suis justis supplicationibus annuentes, volentes justitiam reddere unicuique petenti, tibi notificamus, quod terminum per nos ordinatum Bartolo, Alberico, et Johanni filiis q.m Rodulphi de la Barba ad diem Mercurii proxime venturum revocamus, mandantes ut justitiam, si eam volueris, ab eisdem fratribus coram dicto Archidiacono petere debeas, quia eos in predictis non intendimus in aliquo aggravare, nisi forte, quod absit, justitiam denegarent, vel per formam appellationis causa hujusmodi devolveretur coram nobis.

Actum Aquilegie, die tertia mensis Februarii, Indictione decima. A. N. U. o:

N. 449.

1327 7 Febrajo, Udine.

Oltraggio fatto al Nunzio del Patriarca nell' esercizio delle sue funzioni.

Meliorcanza Can. P.

Die septimo Februarii. In Castro Utini, super Patriarchali palatio. Presentibus D. Napino de la Turre Gastaldione Utini, Magistro Odorico Notario, Tobia, Gabriele notario D. Patriarche infrascripti, Federico q.m D. Galvagni, Benevenuto filio q.m Magistri Stephani pelliparii notario de Utino, et aliis.

Odorlicus Torta, qui fuit de Zuchonico, constitutus in presentia venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis, Vicarii Reverendi patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, tanquam nuncius Curie dicti D. Patriarche, dixit quod cum ipse ex parte D. Fratris Bernardi gerentis vices Vicedomini dicti D. Patriarche, et ex parte expenditionis dicte Curie, ivisset ad domum Machoti ibidem presentis, filii Francischini Arthoniani, et ipsum invenisset sub porticu sue domus, dixit sibi: Ego venio ad te ex parte D. Fratris Bernardi, et expenditionis Curie D. Patriarche, ut solvas livellum D. Patriarche, aut venias ad dictum Fratrem Bernardum. Et ipse Machotus sibi respondit: ego nescio quid debeo solvere; ego non solvam, nec veniam. Et cum dictus Nuncius dixisset sibi: habeo commissionem pignorandi te, nisi solvas; ipse Machotus dixit: si tu ascendes domum, ego prohiciam te inferius per balcones. Et cum ipse Nuncius dixisset: ego ascendam, et accipiam pignus, nisi tu defendas, et credo quod tu non facies mihi injuriam, quia custodies honorem D. Patriarche. Ipse Machotus dixit: si D. Patriarcha esset in platea, ego facerem te volare per balcones. Et cum ipse Nuncius vellet ascendere domum ad pignorandum, et jam ascendisset duos gradus scalarum, dictus Machotus traxit eum violenter inferius per pannos, et non dimisit ipsum ascendere. C. F. o.

N. 450.

1327 20 *Febrajo Cividale.*

Soldati spediti dalla Comune di Cividale ad incontrare, e accompagnare il Patriarcha nel suo ritorno in Friuli.

Landuccio Not.

Die nono exeunte Februario. In Civitate Austria, ante domum Brise becarii de Civitate. Pre-entibus Benevenuto Notario q.m Panthaleonis, Amadeo q.m Lupoldi Arponis Notario de Civitate, Zuannino q.m Grimulini, Petrosino q.m D. Brance, Balbo de Glemona Civitate commorante, testibus, et aliis.

D. Benevenutus, tanquam Camerarius Communis Civitatis, et Amadeus, tanquam Provisor Communis, protestati fuerunt, quod dictum debitum acceperat D. Ottubonus nomine, et ad instantiam ipsorum Officialium cum quo pecuniam dabunt militibus ad eundum suscipiendo D. Patriarcham, qui erat venturus: promittentes extrahere et conservare dictum Ottubonum indemnem de dicto debito sub omnium suorum bonorum ypotecha. A. N. U. o.

N. 451.

1327 ... *Marzo.*

Collette Imposte dal Capitolo ai Massari della Canipa e Dapiferato al ritorno del Patriarca.

Anno Domini M. CCC. XXVII. Imposita fuit Collecta per Capitulum Massariis Canipe et Depiferatus, quando

D. Patriarcha venit de Curia D. Legati, ut inferius continetur.

In Coselano, in Pozo ultra Tulmentum, in Cosa, in Barbiano, in Basalya, in Vindulis, in S. Vito de Faganea Marcham I et denar: II.

In Maciuico, Martignacco, Lazaco, Pazono, Luinacco, Ribis, et Ruzolio Marche II.

In Cassacho et Solariis, in Buja, Lauzana, Campoformio, Basalgella, Lovaria, Orzano, Ramanzacco March. II. et Denar. ....

In S. Stephano, Lauzacco, Risano, Curtello, Camino Mar. IV. et Denar: XXIV.

In Budrio, in Orsaria, in Campolongo et Visco, in S. Petro ultra Lisontium, in Cormons, in Sidugnins, in Trevignano, in Iplis et Azano Mar. XIII. et Denar IV.

In Gallano, in Puresimo, in Premariacco March: III. cum dimidia et Denar. XXVI.

Item in Premariacco, in Moymacco, in Buttmicco Mar: II. et Denar. XXX.

In Grupignano, in Rubignacco, in Toyano Mar: II. et Denar. XXVIII.

In Prestento, in Ronchis de Toriano, in Nimis, in Carnaco Mar. I. Fertones III. et Denar. X.

In S. Johanne de Manzano, in Firmano, in S. Maria de Sclaunich, in Pasegano, in Blessano, in Caujano, in Tisano, in Zuiano, in Cerneglono Mar. II. cum dimidio et Denar. XXIV.

In Bayvaco, in Modbleto, in Revoreto, in Ciala, in Cavoreto, in Dresniza Mar. II. et Denar. L.

In Lovina contra Bergonam, in S. Leonardo, in Saplatischa, in Versia media Marcha et Denar. xxxiv.

Summa Summarum Canipe capit Marchas xxxviii, Fertones iii. et denarios xxii.

In Advocatia de Gastaldia D. Petri Dapiferi, in Puresino, in Lessa Mar. ii. Fertones iii. Denar. viii.

In Gallano, in Muymacho, in Tolano, in Brazzano, in Premariacco Mar. iii. Fertones iii. Denar. vii.

In Grupignano Denar. xxxvi.

Summa totius Collecte Gastaldie S. Petri Dapiferi capit Marchas v. Fertones tres et Denarios xi.

Item in Carnea Marc. v.

Summa Summarum totius Collecte Canipe, et Gastaldie, et Carnee capit Marchas xlix. et Denar. lxx. A. C. C. o.

N. 452.

1327 3 *Marzo, Trevigi.*

Richiesta di due fratelli Caminesi a' Trivigiani come avessero a contenersi mentre il Patriarca di Aquileja loro chiedeva il Castello di Meduna.

Verci Doc. 1034.

Die Dominico supradicto. Curia predicta, coram dicto Dom. Thomasio Rectore Com. Ter. in loco solito, ut supra solempniter congregata, proposuit dictus Dom. Thomasius, et sibi petiit Consilium exiberi quid agendum sit super requisitione facta ex parte Nobilium vi-

rorum dominorum Gerardi et Rizzardi fratrum filiorum Nob. militis dom. Guccellonis qu. Egregii Dom. Biaquini de Camino super eo, quod Dom. Patriarcha Aquilejens. requirit instanter a dictis fratribus, quod eidem restituere debeant Castrum Medune, cum dicti Fratres asserunt ipsum Castrum accepisse de voluntate, et consilio dominorum suorum, et Civ. Ter. et Theotonicorum, qui sunt in Civ. Ter. pro Dom. Rege Duce Carinthie pro defensione, et securitate Civ. Ter. et districtus, et super dicta requisitione dicti, dom. Patriarche sibi facta, intendunt procedere, secundum voluntatem, et beneplacitum dictorum Dominorum Antianorum, et Sapientum, prout eis melius videbitur expedire. Parati dicti Fratres in hoc, et aliis eorum consilio gubernari.

N. 452.

1327 2 *Marzo, Udine.*

Feudo accordato per se e suoi eredi a Florisia di Fagagna.

Melioranza Can. P.

Die secundo Martii. In Castro Utini, super Patriarchali palatio. Presentibus venerabilibus Dominis, fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario, Petro Mora Capellano infrascripti D. Patriarche, Saraceno de Ganzer de Vincentia commorante Utini, Tobia filio qu. Mercadanti de Utino, Nicolao et Turco fratribus filiis olim Gueceli de Faganea, Bartholomeo filio D. Percevalli de Tercano inferiori, et aliis.

Domina Florisia filia olim D. Gueceli habitatoris Faganee constituta in presentia Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, eidem D. Patriarche humiliter supplicavit, ut ipsam de Feudo, et jure feudi habitantie, quod dictus pater suus, et olim Hesendricus filius dicti D. Gueceli, et frater ipsius D. Florisie habere et tenere consueverunt ab ipso D. Patriarcha et ab Ecclesia Aquilegensi in Faganea, investire pro se et suis heredibus dignaretur. Qui D. Patriarcha ipsius D. Florisie precibus inclinatus, ipsam D. Florisiam pro se et suis heredibus recipientem de Feudo jam dicto, prout dictus D. Guecilo et sui antecessores habere et tenere consueverant, manualiter investivit; jure Aquilegensis Ecclesie, et omnium personarum in omnibus semper salvo. Cujus feudi possessiones et jura esse dicuntur, primo videlicet una domus sita in Castro Faganee. Item unum sedimen domus cum orto juxta posito in burgo Faganee. Item unus mansus situs in villa Faganee rectus per Indriucium filium olim Vidoni. C. F. o.

N. 454.

1327 15 *Marzo, Udine.*
Feudo d' Abitanza in Castel Venere.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xv. mensis Martii. Utini, in Castro et palatio Patriarchali. Presentibus venerabili patre D. Artico Dei

gratia Episcopo Concordiensi, ac Venerabilibus viris D.D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario D. Patriarche infrascripti, Guilielmo Decano Aquilegensi Decretorum doctore, et Magistro Odorico notario de Utino, testibus.

Accedens ad presentiam Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, honorabilis et discretus vir D. Magister Johannes Phisicus Aquilegensis, filius q.m D. Magistri Egidii phisici, qui fuit de Cremona, procurator, et procuratorio nomine Henrici filii q.m D. Johannis de Castroveneris ad infrascripta specialiter constitutus, prout constat publico Instrumento coram dicto D. Patriarcha per ipsum procuratorem producto, scripto manu Maphei notarii filii q.m Blasii de Aquilegia, a me notario infrascripto viso et lecto, procuratorio nomine antedicto, sponte, pure, et libere, et ex certa scientia in manibus ipsius D. Patriarche, suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine recipientis, habitantiam, quam idem Henricus de Castroveneris habuit et habebat, seu habere videbatur, et poterat quocumque modo, nomine, seu causa, cum omnibus juribus et pertinentiis ad ipsam spectantibus, et cum mansis infrascriptis pertinentibus ad habitantiam antedictam cessit, ressignavit, et renunciavit expresse. Quam quidem renunciationem prefatus D. Patriarcha admisit et acceptavit. Facta igitur et admissa renunciatione predicta, prefatus D. Patriarcha, volens sibi et Ecclesie Aquilegensi de habitantia prefata taliter resignata, utilem habitatorem, et fidelem servitorem acquirere, et discretum virum Magistrum Franciscum Cirogicum, vicinum, et ha-

bitatorem Tergesti, ac dicto D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi devotum, de cujus industria et fidelitate dictus D. Patriarcha et Ecclesia antedicta, grata potest obsequia sumere, et servitia devota percipere, favore prosequi gratioso, dictam habitantiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis, et mansis infrascriptis ad ipsam spectantibus prefato magistro Francisco, et heredibus suis libere tradidit et concessit, ac predictum magistrum Johannem medicum Aquilegensem, procuratorem ejusdem magistri Francisci, et procuratorio nomine ipsius, et suorum heredum recipientem, prout de procuratione hujusmodi etiam constitit evidenter per publicum Instrumentum scriptum manu Amizonis Maschat Imperiali auctoritate notarii, per dictum magistrum Johannem ibidem productum, et per me notarium infrascriptum visum et lectum, cum quodam capucio, quod habebat in manibus, de habitantia predicta, et juribus antedictis presentialiter investivit. Qui magister Johannes procurator predictus, dicta investitura recepta nomine antedicto, in animam ipsius magistri Francisci solitum et debitum juramentum prestitit, sicut fidelis habitator domino suo prestare tenetur. Ita quod ammodo dictus magister Franciscus per se, suosque heredes, et quemcumque alium voluerit, dictam habitantiam cum mansis suis infrascriptis et aliis juribus ad eam spectantibus, tanquam novus et fidelis habitator habeat, teneat et possideat, et de ipsa utatur, et faciat suam omnimodam voluntatem, sicut hucusque idem Henricus habuit et possedit, sine contradictione et inquietatione alicujus persone, collegii et universitatis tam Ecclesiastice, quam Civilis, si-

ne tamen prejudicio juris D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Mansi autem ad habitantiam pertinentes predictam sunt hii, videlicet in primis sex mansi positi in villa Chalodrovice, quorum unus regitur per Bagnam Gastaldionem dicte ville. Secundus regitur per Zuanum nepotem dicti Bagne, tertius regitur per Zurcum. Quartus regitur per Michaelem nepotem dicti Zurchi. Quintus regitur per Chotianum. Sextus regitur per Chreschum: omnes habitatores super mansis predictis. Item tres alii mansi quorum unus positus est in villa Gubronice, super quo moratur Andreas q.m Zarnei de dicta villa, et per ipsum regitur et colitur. Secundus vero positus est in villa de Parpot, super quo moratur Lusna cum filiis, et per eos regitur et colitur. Tertius vero mansus positus est in villa Samotorize, super quo moratur Gregorius, et per ipsum regitur. Item duo alii mansi positi in villa de Palez Diocesis Patriarchatus, quorum unus regitur per Vulcinam, alter vero regitur per Johannem de dicta villa, qui omnes mansi spectant et pertinent ad habitantiam antedictam. C. F. o.

N. 455.

1327 18 *Marzo Udine.*
Appello di una sentenza del Vicario Patriarcale al Parlamento.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die XVIII. mensis Martii. Utini, super sala inferiori Palatii Patriarchalis. Presentibus ven. viro D. Petro Mora

de Mediolano Vicario, Magistro Condeo de Calio medico, D. Eusebio de Romagnano Capellano, Francino de Laude Not. omnibus familiaribus D. Patriarche infrascripti testibus, et aliis pluribus.

Constitutus coram Rev. Patre D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, et aliis Prelatis, et Nobilibus Forojulii ibidem in Colloquio generali, tunc die predicto celebrato, existentibus, discretus vir Tomasolus de Bischosis de Sacilo procurator, et procuratorio nomine Magistri Rolandini de Sacilo Curatoris, et curatorio nomine Gascheti, et Manfredi, et Sororum suarum, filiorum q.m Luthofredi de Bischosis de Sacilo, prout constat publico Instrumento scripto manu Graciani Not. et officialis Communis Sacili, a me Not. viso et lecto, porrexit et presentavit eidem D. Patriarche quandam appellationem clausam, sigillatam sigillo Communis Sacili jam veteri et confracto, scriptam extrinsecus per hec verba. Appellatio ad Colloquium generale. In qua dictus procurator contineri dicebat quomodo D. Curator, curatorio nomine antedicto, a quadam sententia lata per D. Vicarium in questione cujusdam nemoris, vertente inter Hectorem et Raymundum fratres et Johannem eorum nepotem de Sacilo ex una parte, et Rolandinum Curatorem predictum ex alia, ad ipsum D. Patriarcham et ejus generale Colloquium appellaverat. Quam appellationem ipse D. Patriarcha aperiri non fecit, nec legi, propter occupationes alias quibus prepeditus erat, nec cognitioni ejusdem intendere potuit. C. F. o.

N. 456.

1327 22 *Marzo, Udine.*

Il Vescovo di Concordia dichiara di non aver avuto parte nel furto commesso sui beni di Pantaleone da Cividale.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo exeunte Martio. In presentia Reverendi patris et D. Artici de Castello, Dei gratia Episcopi Concordiensis, Panthaleon filius Guillielmi de Civitate, cum reverentia interrogavit ipsum D. Episcopum: cum Johannes de Furno, ac Socii, sive pueri accepissent super bonis sui patris tria armenta et duos asinos, si fuit voluntas, aut mandatum ipsius D. Episcopi? Prefatus D. Episcopus respondit, quod de predictis ignorabat, nec fuerat voluntas sua, imo displicebat sibi.

Actum in Utino, in domo Nicolai inferratoris. Presentibus ipso Nicolao inferratore, et Paulo q.m Pauli de Gramoyano Civitate commorante testibus, et aliis. C. F. e.

N. 457.

1327 24 *Marzo, Udine.*

Il Canonico Nicolò Canis è chiamato a render ragione delle violenze e rapine praticate a Martino Notajo.

Stefano da Cividale Not.

Die octavo exeunte Martio. Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia

S. Sedis Aquilegensis Patriarcha in juditio pro tribunali sedente, Martino notario Domine Helie de Civitate ex parte una, et Nicholao q.m Petri Canis Canonico Civitatensi ex parte altera, constitutis: dictus Martinus proposuit dicens: quod cum Nuntio, videlicet Vinerio Precone Utini, precipi fecerat ipsi Nicholao terminum scuse coram ipso D. Patriarcha ad diem hodiernam, super eo quod ipse Nicholaus acceperat, seu accipi fecerat super quibusdam bonis de Remanzacho, que ante processum ipsius D. Patriarche in Lombardiam habuerat in suo pacifica tenuta et possessione, una cum uxore sua, et post recessum ipse Nicholaus violenter de nocte, armata manu accepit armenta et alia, videlicet Castratos. Quare petebat ipsum Nicholaum compelli ad restitutionem dicti exfortii ad altressum et bapnum Curie, et dampnorum, et expensarum. Ad que dictus Nicholaus respondit: quod erat Clericus, et si quid aliquid sibi dicere volebat, paratus erat respondere in jure, tanquam Clericus; et petebat procedi secundum formam juris, et non secundum laudum et sententiam. Preterea dictus Martinus proposuit replicando, quod erat exfortium, et ratione delicti, videlicet robarie subvertitur juris forma etc. et prefatus D. Patriarcha respondit: quod non debebat, nec poterat procedere, nec secundum formam juris dando libellum, et procedendo in scriptis, nec volebat esse excommunicatus. Dictus Martinus dixit, quod consulere intendebat utrum vellet dare libellum, aut compromittere, cum supra premissis, videlicet exfortio et robaria, credebat quod debebat procedi laudo et sententia Curie mediantibus.

Actum Utini. In Castro Patriarchali. Presentibus D. Raynaldo de la Turre Canonico Aquilegensi, Petro Mora Vicario ipsius D. Patriarche, et milite D. Guillielmo de Ungrisimpacho, Francisco q.[m] Nasutti de Utino, Botto Notario, Federico Burella de Utino, Johanne Ribisino, et Henrico q.[m] Venture notario de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 458.

1327 29 *Marzo, Udine.*

Il Patriarca ritira dall' ab. di Rosazzo di lui Vicario il potere che aveagli prima conferito.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xxviii. Mensis Martii. Utini, in Castro Patriarchali, in camera infrascripti D. Patriarche. Presentibus ven. viris D. Petro Mora Vicario, Eusebio de Romagnano Plebano Plebis Albe Ecclesie Capellano, Magistro Condeo de Calio medico, Christophano Cavalo de Mediolano domicello, Leone de Oppreno Clerico, et Francino de Laude notario, omnibus familiaribus infrascripti D. Patriarche.

Rev. Pater D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Sedis gratia, S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, removit, et revocavit omnem auctoritatem per eum concessam ven. viro D. Frat. Johanni Abbati Monasterii Ro-

sacensis; ita quod ipsa auctoritate de cetero uti non possit, nec debeat, et quidquid fecerit nullius penitus sit valoris. C. F. o.

N. 459.

1327 30 *Marzo, Udine.*
Francesco di Villalta è condannato a risarcire Nicolò da S. Daniele dei danni a lui cagionati.

Stefano da Cividale Not.

Die penultimo Martii. Coram venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi patris et D.D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche in judicio pro tribunali sedente, comparuit Nicholus q.m Cozonelli de S. Daniele dicens, quod cum nuntio ipsius D. Vicarii fecerat ordinari Francisco q.m Misse de Villalta unum terminum scuse ad hodiernam diem, qui restituat habere suum, et satisfaciat bapnum Curie: videlicet duo armenta et tres fertonos denariorum Aquilegensium, quos acceperat violenter dictus q.m Missa massariis de Villanova sub S. Daniele et Plazentia: alioquin debeat hodie in hora termini scuse comparere in Utino, coram ipso D. Vicario suam excusationem facturus. Cumque dictus Nicholus ante horam, et hora termini scuse se presentaverit, et suam querelam interposuerit; et hora termini interventa, dicto Francisco non comparente, nec aliquo ejus nomine diutius expectato, supplicavit ipsi D. Vicario, ut peteret a cir-

cumstantibus quid juris. Super quibus, petente dicto D. Vicario a circumstantibus quid juris, sententiatum fuit, quod ante omnia dictus Franciscus debeat vocari, et vocatus per Mathiussium Preconem de Utino sententialiter semel, bis, et tertio, adhuc non comparente dicto Francisco, quod si dictus Nicholus probaret hujusmodi terminum, (ut probavit ibidem sententialiter per ipsum Mathiussium per Sacramentum sui offitii), quod dictus D. Vicarius debeat dare nuntium suum ipsi Nicholo ad accipiendum de bonis ipsius Francisci ad tressum, sive duplum de bonis acceptis per ipsum Missam, ut obtinet suo Sacramento, cum dampnis et expensis pro bapnis Curie. Et sic prefatus D. Vicarius dedit ipsi Nicholo dictum Mathiussium Preconem, precipiens sibi quod faceret sicut sententiatum extitit.

Actum Utini, in palatio Patriarchali. Presentibus D. D. Petro Mora, Guillielmo Decano Aquilegensi, Bertolotto de Civitate notario, Venuto notario de Utino, et Zannino filio Federici de Villalta testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 460.

1327 30 *Aprile*, *Cividale.*
Contratto di Società fra due Barbieri.

Stefano da Cividale Not.

Die ultimo Aprilis. In Civitate Austria. In Ecclesia S. Johannis Baptiste. Presentibus Presbiteris Nicho-

lussio et Petro ejus nepote de Civitate, Worlico q.m Martini de Civitate, Nicholao q.m Dodoni de Civitate, et Artuicho q.m Maynardi de Civitate testibus, et aliis.

Nicholaus q.m Leonardi barbitonsor de Civitate ex parte una, et Johannes q.m Petri de Grupignano ex parte altera in hoc pactum et concordium convenerunt: in arte Barberie, esse socios a die crastina ad octo annos immediate sequentes. Fictum stationis commune. Quatuor Bacinii. xiv. Rasores, Cotes due, mola una, Tubalie xii. Paria duo Forfesarum. Tenaye due pro extrahendis dentibus, et juraverunt super altare S. Anne fideliter ponere lucrum, et non fraudare aliquid, et observare dictam societatem sub pena unius marche denariorum Aquilegensis monete, que, pacta sue conventionis observanti cedat, et persolvatur, ad hoc obligando omnia sua bona etc. A. N. U. o.

N. 461.

1327 9 *Maggio*, *Parenzo*.

Pietro di Muglia per ordine del Vicario del Patriarca è messo di nuovo al possesso delle Peschiere di Valle di Torre nona.

Sacio Not.

In Christi nomine amen. Anno ejusdem Nativitatis m. ccc. xxvii. Indictione decima, die nono mensis Madii. Actum Parenti, in Episcopali Palatio. Presentibus testibus vocatis et rogatis, Fratre Johanne de Pa-

dua Ordinis Carmelitarum Capellano, Marcholino q.m Marcholini de Aliotis de Imola Canonico Parentino, et Angelo de Venetiis familiaribus infrascripti D. Episcopi. Cum discretus vir Sansonus de Mugla, nuntius juratus Reverendi viri D. Fratris Johannis Dei gratia Abbatis Monasterii Rosacensis, venerabilis in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarii generalis, quasdam litteras ipsius D. Vicarii, venerabili in Christo patri et D. D. Fratri Gratiadeo Dei et Apostolica gratia Episcopo Parentino presentasset, continentes quod quemdam nomine Petrum q.m Hermani de Mugla ponere deberet in tenutam et possessionem quorundam Piscariarum Vallis Turris none. Quare dictus Episcopus volens mandatum supradicti D. Vicarii, ut tenetur, executioni mandare, eidem Petro in ejus presentia constituto dixit, quod paratus erat quantumcumque et quotiescumque infra terminum, et post terminum sibi in dictis literis assignatum per ipsum Petrum, aut ejus procuratorem requisitus fuerit, ipsum ponere, et poni facere in tenutam et corporalem possessionem Piscariarum predictarum, quibus se asserit expoliatum, et inductum defendere, juxta posse. Mandans eidem Petro in ejus presentia constituto, tanquam vassallo Ecclesie Parentine, sub debito juramenti et feudi, quod de Parento non recedat quando possessionem predictarum Piscariarum, prout sibi mandat, non accipiat corporalem, cum paratus existat facere quod sibi mandatur per Vicarium supradictum.

Frater Gratiadeus Dei et Apostolica gratia Episco-

pus Parentinus Nobili militi D. Henrico q.^{m} Domini Castimani de Pixino salutem, et felicitatis augmentum.

Gravi querela exposuit coram nobis Petrus q.^{m} Hermani de Mugla quod vos eidem quasdam Piscarias sitas in Valle Turis none detinetis indebite occupatas et absque titulo rationis, et quod ab illo tempore citra quo dicte Piscarie per Curiam Vassallorum nostre Ecclesie Parentine sibi adjudicate fuerunt, vestram potentiam perhorrescens, ipsas non valuit pacifice possidere. Quare cum nuper super predictis a Vicario Domini nostri Patriarche Aquilegensis literas recepimus in mandatis, que eundem Petrum, aut ejus procuratorem in tenutam et corporalem possessionem dictarum Piscariarum, quibus se asserit fore expoliatum, ponere ac poni facere deberem, ammoto quolibet illicito detemptore, volentes mandatum dicti D. Vicarii, ut tenemur, executioni mandare, non obstantibus monitionibus et preceptis per nos alias vobis factis, iterato vos requirimus et monemus, vobis nihilominus sub debito juramenti et pena feudi, quod a nobis et a nostra Parentina Ecclesia detinetis districte mandamus, quatenus a receptione presentium in antea, de dictis piscariis nullatenus vos intromittere debeatis, sed potius desistentes, eundem Petrum dictas piscarias permittatis pacifice possidere. Alioquin si in aliquo reputaretis vos fore gravatum, infra octo dies a receptione presentium immediate sequentes, Parentum coram nobis legitime comparere curetis, ostensurus quo jure dictas tenetis piscarias eidem taliter occupatas: procedentes nihilominus in predictis, vestra contumacia non obstante, si negligeritis adimplere predicta,

prout justitia suadebit. De quarum presentatione, quas ad cautelam registrari mandavimus, relationi latoris earum dabimus plenam fidem.

Datum Parenti, die XI. mensis madii, X. Indictionis.

Eodem die vero quartodecimo mensis Madii, presentibus Angelo de Venetiis et fratre Johannino de Padua Ordinis Carmelitarum, Antonius q.m Bitutii de Lauzano nuntius juratus ad dictas literas presentandas, retulit mihi Notario infrascripto, dictas literas dicto D. Henrico personaliter presentasse, presentibus D. Guilielmo Preposito Pixini, et D. Dietrico, et aliis.

Ego Sutius q.m Bitutii de Lauzano Imperiali auctoritate notarius, nec non scriba et Officialis Curie Episcopalis Parentine omnibus subscriptis interfui, et de mandato ipsius D. Episcopi scripsi, et in publicam formam redegi, meumque nomen et signum apposui consuetum. A. N. U. o.

N. 462.

1327 15 *Maggio, Udine.*

Investitura del Molino della Roja del Giardino fatta ad Endriotis.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die XV. mensis Maii. Utini, in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus ven. viro D. Raynaldo de la Turre Tesaurario Ecclesie Aquil., Symone de Castille-

rio, Francisco Nassuti de Utino, Menegolo Quaresema de Mediolano testibus, et aliis.

Discretus vir Hendricus, dictus Suntachinus not. de Utino procurator et procuratorio nomine D. Marostice uxoris sue, prout de procuratione hujusmodi constare dicebatur per publicum Instrumentum manu Magistri Francisci Bichutii notarii de Utino, coram Rev. in Christo patre D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, ac ipsius interveniente auctoritate et consensu, pretio tringinta quatuor marcharum denariorum Frixachensium Aquil. monete, quod quidem pretium et pecuniam guarentavit, dixit, et confessus fuit se habuisse et recepisse ab Hendrioto filio q.m D. Federici Hendriotis de Castro Utini, renuncians exceptioni non sibi date, numerate, ac in se habite, et recepte dicte quantitatis pecunie, doli, mali, et in factum, ac omni spei future numerationis: dedit, vendidit, et concessit eidem Hendrioto pro se suisque heredibus recipienti, staria xxxiv. frumenti anno quolibet persolvenda super quoddam molendino sito in Utino post viridarium D. Patriarche, super aqua Roje, quod idem Hendriotis, seu ejus uxor pro eo, habet et tenet a D. Patriarcha et Ecclesia Aquil. serviendo ipsi Domino Patriarche et ejus Curie cum duobus equis ad officium in tempore militie. Ita quod idem Hendricus, aut ejus uxor nihilominus teneatur cum duobus equis dicto D. Patriarche et ejus Curie servitium impendere consuetum. Quod si deficiet in serviendo cum equis predictis, modo predicto ut consuevit et debet, tunc prefatus Hendriotus dictum Officium serviendi cum duobus equis predictis assumat,

et facere teneatur et debeat, remanente tunc molendino predicto, occasione predicta, eidem Hendrioto et suis heredibus integraliter obligato. Quam quidem venditionem, concessionem, et traditionem, ac partem Molendini dictus Hendricus, nomine antedicto, cum obligatione omnium bonorum dicte uxoris sue, et heredum suorum, stetit ac promisit defendere et manutenere a quacumque persona, Collegio aut universitate, coram quocumque judice Ecclesiastico et Civili. Et tunc ipse D. Patriarcha ratam habens et gratam concessionem et venditionem predictam, prefatum Hendriotum cum quodam capucio, quod tenebat in manibus, de parte molendini predicti, ut superius est expressum, investivit, suo, et Ecclesie Aquilegensis jure in omnibus semper salvo. C. F. o.

N. 463.

1327 25 *Maggio*, *Cividale*.
Giovanni di Polcenigo è condannato a restituire le cose tolte al Vescovo di Concordia.

Stefano da Cividale Not.

Die septimo exeunte Madio. Coram Reverendo in Christo patre, et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha in judicio pro tribunali sedente, comparuit Symon Bombenus, Utini habitans, tanquam procurator Reverendi patris D. Artuici Dei gratia Episcopi Concordiensis, et procuratorio nomine predicti et Ecclesie Concordiensis, dicens: quod cum nuntio dicti

D. Patriarche prefatus D. Episcopus, cujus est procurator, fecerat ad hodiernam diem dari et assignari unum terminum scuse nobili viro D. Johanni de Pulcinicho ad restituendum ad tressum de trecentis animalibus et xviii. bovibus, et aliis rebus acceptis per ipsum D. Johannem, sive ejus servitoribus in villa de Navorons prope Castrum Meduni, et ad satisfaciendum bapnum Curie; alioquin deberet comparere hodie in Civitate coram ipso D. Patriarcha in hora termini scuse ad faciendam suam excusationem super predictis ipsi D. Episcopo, aut ejus procuratori: cumque D. Symon Bombenus ante horam, et in hora termini fuerit presentatus, et suam querelam interposuerit, ipso D. Johanne non comparente, aut aliquo ejus nomine in hora termini scuse diutius expectato, petivit dictus Symon sententialiter peti et deffiniri quid juris. Super quibus, petente D. Patriarcha a circumstantibus, quid juris? sententiatum fuit: quod si dictus Symon probaret, (prout ibidem sententialiter probavit per Instrumentum confectum manu Nicholai q.m Pertoldi Blanche de Portugruario sub anno Domini m. ccc. xxvii. Indictione decima, die xxix. Maii, et ibidem lectum per me Stephanum Notarium,) et confirmaret terminum predictum, (ut probavit ibidem sententialiter per Bordonum Preconem de Utino per Sacramentum sui Officii,) quod debeat vocari dictus D. Johannes super Scalas Palatii, ut est moris. Et adhuc non comparuit ipse D. Johannes, neque alius ejus nomine. Et probata clamatione super Scalas Patriarchales per ipsum Bordonum, ut retulit per Sacramentum sui Officii, petivit D. Symon procurator predictus, si dictus D. Patriarcha debeat dare nuntium suum

ad accipiendum de bonis ipsius D. Johannis ad tressum cum dampnis et expensis. Super quibus petente D. Patriarcha a circumstantibus quid juris? sententiatum fuit, quod, prout jurabit dictus Symon de acceptis, D. Patriarcha debeat dare ipsi Symoni, nomine quo supra, ad accipiendum de bonis ipsius D. Johannis ad tressum, ut juravit de xxxiii. Armentis, et xxiii. Capris, et nonaginta tribus ovibus, et fructum cum dampnis taxatis pro tribus annis annuatim in quinquaginta libris veronensium parvulorum: Et sic dedit dictus D. Patriarcha ipsi Symoni, nomine quo supra, dictum Bordonum in nuntium, et pro nuntio ad accipiendum de bonis dicti D. Johannis, mandans sibi quod faciat sicut sententiatum fuerat, et exequatur omnia predicta.

Actum in Civitate Austria. In palatio Patriarchali. Presentibus D. Guidone de Manzano Decano Civitatis, Odorlico de Chucanea, Artuicho de Pramperch milite, Petro Mora Vicario ipsius D. Patriarche, Henrico Not. q.m Venture de Civitate, Philippo de Portis de Civitate, et Federico Burella de Utino testibus, et aliis.
A. N. U. o.

N. 464.

1327 16 *Giugno*, *Udine*.
Feudo d' Abitanza in Fagagna.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xvi. mensis Junii, Utini in Castro, et Patriarchali Palatio. Presentibus ven. viris D. Frat. Johanne Ab-

Monasterii Rosacensis, Vicario D. Patriarche infrascripti, Francisco Custode Ecclesie S. Marie de Utino, et discretis viris Magistro Odorico et Bertholotto dicto Botto Notariis de Utino, testibus, et aliis. Cum dudum in Castro Faganee Aquilegensis Ecclesie quedam habitantia vacaret, quam habuerunt et tenuerunt quondam Batalia, Colmanus, et Amigotus, olim ibidem Aquilegensis Ecclesie habitatores: Rev. Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, volens sibi et Ecclesie sue utiles et fideles habitatores acquirere, ac discretos viros Johannem et Meynardum fratres filios q.m Guecellonis de Faganea favore prosequi gratioso, ipsam habitantiam cum sedimine suo, sito supra Gironum dicti Castri, in quo jam de voluntate et consensu ipsius D. Patriarche per dictos Fratres domus cum Curia constructa est, cum egressu et ingressu, et aliis juribus ad ipsam habitantiam spectantibus, dictis Johanni et Meynardo, suo et Aquil. Ecclesie nomine, de gratia contulit liberali. Ac ipsum Johannem pro se, et dicto Fratre suo, et eorum heredibus recipientem, ad rectum Feudum Habitantie, juxta consuetudinem Terre Forojulii, de sedimine et habitantia predicta, per capucium suum, manu propria investivit; jure Aquil. Ecclesie in omnibus semper salvo. Cujus sediminis hii sunt confines, ab una parte murus dicti Castri; ab alia parte gironum ejusdem, et ab alia, domus que fuit Nicholai fratris dictorum Johannis et Meynardi. Qui Johannes pro se, et Meynardo fratre suo predicto fidelitatis debitum juramentum prestitit, sicut habitator Domino suo prestare tenetur. C. F. o.

N. 465.

1327 20 *Giugno, Udine.*

***Pagano** dietro il parere de' Pari della Curia dichiara che al Patriarca soltanto, e non al di lui Vicario spetta la recognizione dei Feudi e dei diritti ai medesimi annessi.*

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo Trecentesimo Vicesimo septimo. Indictione Decima. Die xx. mensis Junii, Utini, in sala inferiori Patriarchalis Palatii, præsentibus Venerabilibus Viris dominis fratre Johanne Abbate monasterii Rosacensis, Vicario infrascripti domini Patriarchæ, Adalgerio Priore Hospitalis Glemonensis, ac nobilibus Viris dominis Hectore milite de Utino, Phebo de la Turre, Manfredo de Porcillis, Federico, et Hendrigucio de Villalta, Bernardo, et Ossalco fratribus de Strassoldo, Magistro Johanne Phisico de Aquilegia, Symone de Castillerio, Sagino Gastaldione Civitatis, Francisco Nassutti Notario de Utino, Odorico dicto Plebano, et Petro Pecia Habitatoribus Castri Utini, Amando de Civitate, et Federico Notario q.m Galvagni de Utino testibus ad hæc vocatis, et aliis. Comparuit in Judicio, seu Garito coram Reverendo in Christo Patre, et Domino Domino Pagano Dei et Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Sedis Aquilegensis Patriarcha, in Curia Vassallorum suorum, Symon q.m Victoris de Ju-

stinopoli procurator, et procuratorio nomine domini Rantulfi q.m domini Marci Adalgerij de Justinopoli, prout constitit de dicto procuratorio per publicum Instrumentum scriptum manu ..... Notarij sub Millesimo Trecentesimo Vicesimo septimo, Indictione decima, die quintodecimo mensis Junii, a me Notario viso et lecto, dicens, quod ad ejus notitiam pervenerat, quod dominus Articus Spelatus de Justinopoli quamdam appellationem ad ipsum dominum Patriarcham per ipsum dominum Artuicum interpositam a quadam sententia lata in favorem dicti domini Rantulfi per Vassallos domini Biachini de Mimiglano, tamquam domini feudi, et coram eo, et auditore in quadam quæstione feudali vertente inter dictas partes, scilicet occasione medietatis Villæ de Sorbano, et sex mansorum in Villa de Topolone Emonensis Diocesis, fuerat prosecutus coram Vicario præfati domini Patriarchæ, scilicet coram domino Fratre Johanne Abbate monasterij Rosacensis. Unde cum cognitio quæstionis feudi et proprij non ad Vicarium, sed ad dominum Patriarcham spectet de approbata consuetudine terræ Forojulij, rogavit per sententiam diffiniri dictus Symon, procuratorio nomine quo supra, si dicta prosecutio coram dicto domino Vicario facta, valere poterat, et in præjuditium præfati domini Rantulfi redundare. Item si prosecutus fuerat eam post terminum per dominum Biachinum statutum, vel a jure, seu consuetudine concessum, utrum dicta prosecutio dicto domino Rantulfo obesse posset. Et petente præfato domino Patriarcha super præmissis quid juris, sententiatum fuit per omnes prædictos nobiles, nemine di-

screpante, quod nec principaliter, ne per remedium appellationis multo minus potest cognosci de quæstione feudi nec proprij coram Vicario domini Patriarchæ, sed solum coram domino Patriarcha; et si secus actum est, ipso jure debet esse cassum, irritum, et inane. Et etiam si quis appellationem prosequetur post terminum per Judicem statutum, vel a jure, seu consuetudine concessum, valere non debet; et si dictam appellationem non prosequitur usque ad terminum statutum per judicem, vel a jure, seu consuetudine concessum, dicta appellatio non valet. De quibus et singulis supradictis, dictus Symon, nomine quo supra, rogavit me Notarium infrascriptum, ut inde sibi facerem publicum Instrumentum. C. F. o.

N. 466.

1327 20 Giugno, Udine.

Odorico da Udine è da Pagano creato Nuncio per l' esecuzione del trattato tra il Patriarcha e il re di Boemia.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die 20 intrantis Junii. In sala inferiori Patriarchalis Palatii. Reverendus Pater D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha in pleno Consilio suo, in quo interfuerunt ven. vir D. Fr. Jo. Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius suus, ac Nobiles viri D. Odoricus de Cuchanea, Hector de

Utino milites, Manfredus de Porcillis, Phebus de la Turre, Federicus, Johannes et Hendriguccius de Villalta, Bernardus et Ossalchus Fratres de Strassoldo, et alii plures, suo, ac Aquil. Ecclesie nomine, fecit, constituit, et ordinavit discretum virum Magistrum Odoricum Notarium de Utino ibidem presentem, et mandatum hujusmodi suscipientem, procuratorem suum, et nuncium specialem ad petendum, et cum instantia requirendum nobiles viros Conradum de Ovenstain Mareschalcum Charinthie, Henricum dictum Graylandum de Leumburgh, Hugonem de Duyno, Collum de Flasbergh, Henricum Porgravium Goritie, et Raulum de Heberstayn procuratores illustris D. Henrici Regis Boemie et Polonie, et Ducis Charinthie, aut illos quos ex predictis invenerit, ut pacta facta et habita inter prefatum D. Patriarcham ex una parte, et dictum D. Regem Ducem Karinthie et tutorem Comitis junioris Goritie, seu procuratores predictos, ejus nomine, aut majorem partem eorum, observent, et observari faciant, juxta potestatem eis traditam per patentes litteras ipsius D. Regis Ducis Karinthie, suo sigillo pendenti munitas; nec non ad requirendum et petendum illustrem Dominam Beatricem Comitissam Goritie, ut, juxta Sacramentum suum, per Albertum Notarium procuratorem suum, et ejus nomine prestitum, restituat et restitui faciat Castrum Arispergi dicto D. Patriarche et Ecclesie Aquil. ac Nobiles viros Dominos Henricum Graylandum, Hugonem de Duyno, Raulum de Heberstayn, Jacobum de Cormono, et heredes q.^{m} D. Federici de Heberstayn, ac D. Nicolaum Cauli tunc custodem et Capitaneum Castri predicti, ut juxta Sacramentum, fidem, et promissio-

nem eorum restitutioni Castri predicti intendant, sicut in publico Instrumento continetur per me Notarium infrascriptum confecto: ac etiam ad faciendum denunciationes et protestationes quascumque in predictis et circa predicta necessarias et opportunas. Promittens ipse D. Patriarcha etc. C. F. o.

N. 467.

1327 4 *Luglio*, *Udine.*

Congedo Militare.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die quarto mensis Julii. Utini, super Palatio Patriarchali. Presentibus Dominis Federico de Savorgnano, Odorico et Francisco Not. de Utino, Arnoldo de Brazacho, et aliis pluribus.

Coram D. Patriarcha predicto constitutus Goritiensis miles, qui usque ad presentem diem serviverat dicto D. Patriarche ad stipendium, dixit et recognovit quod satisfactum fuerat sibi integraliter de stipendio et servitio per ipsum facto D. Patriarche; et quod cum gratia et licentia D. Patriarche recedere volebat. Qui D. Patriarcha licentiam sibi dedit dicens, quod cum gratia sua recedebat. C. F. o.

N. 468.

1327 25 Luglio Cividale.

Pagano Patriarca col parere della Curia crea un giudice per giudicare Mainardo Co. di Ortemburch detentore del Castello di Los.

Antonio da Cividale Not.

Die septima exeunte Julio, in Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris Dominis Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario infrascripti D. Patriarche, Guilelmo Decano Aquil. Guidone Decano, Nicolao de Portis, et Tramontano Canonicis Civitatensibus, Paulo q.m D. Boyani, Hugone q.m D. Quoncii, Guillelmo q.m Magistri Walteri, Johanne q.m Conraducii, Laurentio filio Henrici, Stephano q.m D. Egidii, Philippo q.m D. Odolrici Longi de Civitate, et aliis.

Rever. in Christo Pater D. Paganus S. Sedis Aquil. Patriarcha petivit a dictis vassallis suis per laudum Curie sententialiter definiri si potest ponere loco sui unum judicem, cum intendat suam et Aquil. Ecclesie dicere et prosequi rationem contra quemdam Vassallum suum, qui fecerat contra eum. Super quibus sententiatum fuit; quod sic poterat. Qui D. Patriarcha posuit loco sui D. Hectorem de Savorgnano, coram quo cum suo prolocutore proposuit dicens: quod illustris vir D. Meynardus Comes de Ortemburch detinebat Castrum de Los cum suis perti-

nentiis, quod ad eum et Aquil. Ecclesiam pertinet, occupatum, et ideo dicebat quod ipse D. Comes exciderat de Feudis, que ab eo et Ecclesia Aquil. tenet in Feudum, quare petivit sententialiter definiri, qualiter cum jure debet procedere contra eum. Super quibus, petente dicto D. Judice a vassallis circumstantibus quid juris esset, fuit per laudum Curie sententialiter definitum quod dictus Judex dare debet, et dedit Franciscum q.m Chinde de Orzono, qui precipiat dicto D. Comiti, ut dimittat dictum Castrum de Los cum suis pertinentiis prefato D. Patriarche; et quod super eo quod D. Patriarcha dicit quod Feuda, que dictus D. Comes habebat eb eo et Aquil. Ecclesiæ, sibi exciderint, comparere debeat coram dicto D. Hectore Judice, aut alio qui per sententiam positus fuerit loco D. Patriarche, a die lune proximo ad quindecim dies in Civitate ad horam termini, pro primo termino responsurus eidem D. Patriarche de hiis que dicere sibi habet. Qui Franciscus eo die adiens ad dictum Comitem in Civitate, ante domum Valantini de Civitate, presentibus dominis Guillelmo Decano Aquil. Guidone Decano Civitatensi, Amadeo q.m Lupoldi, et Valantino de Civitate et aliis, precepit prefato D. Comiti, et ordinavit eidem terminum, prout superius continetur. Et insuper Vener. vir D. Fr. Johannes Abbas Rosacensis Monasterii Vicarius prefati D. Patriarche dixit eidem D. Comiti ex parte dicti D. Patriarche, quod eum affidabat stando et redeundo in dicto termino et aliis qui dari contingerint in hujusmodi questione; et dictus Franciscus nuncius indixit quod predictus Judex eum similiter affidabat. C. P. c.

N. 469.

1327 1 *Agosto Cividale.*
Convenzione tra Estrinseci ed Intrinseci della Meduna.

Stefano da Cividale Not.

Hec sunt pacta, que inter partes subscriptas, videlicet inter Dominos Mastinum, Franciscum, Franzolum de Osnago de Mediolano, Beltraminum et Jacobinum pro se, et fratribus, et nomine, et vice Wargendi Arigini de Mediolano, et Marochi de Concordia ex parte una; et Dominum Nicolaum de Panigaleis, Lotium de la Fratina, Warnerium de Laurenzalya, Floramontem notarium, et Nicholaum Moreti de la Meduna ex altera.

In primis quidem, quod predicti D. Nicolaus, et socii supradicti teneantur et debeant dictis D. Martino et sociis reddere, et restituere omnia bona mobilia eisdem accepta, a die rumoris de la Meduna citra, secundum quod eorum juramento manutenere voluerint; ita tamen quod si bona hujusmodi haberi non possent eque bona, teneantur predicta bona, si concordes esse non possent, satisfacere secundum taxationem supradictorum Nicolai et Franzoli; et hoc usque ad festum S. Michaelis.

Item teneantur omnes domos de la Meduna destructas ab ipsis, die rumoris citra, redificare usque ad festum S. Martini proxime venturum, eque bonas secundum ipsorum duorum taxationem.

Item teneantur reparare Molendinum de la Meduna

in eodem statu, sicut erat die rumoris, et ad ipsorum duorum taxationem: et tam de redditibus, et fructibus temporis preteriti et futuri, et donec reparatum fuerit Franzolo supradicto bladum pro blado solvere teneantur.

Item teneantur usque ad dictum terminum S. Martini rehedificare, et in statu pristino reducere molendinum dicti Francisci de Stagymberch, et de redditibus ipsius, tam de preterito, quam futuro tempore, usque quo redificatum fuerit, satisfacere teneantur.

Item teneantur locum predictum de Stagymberch cum domibus extrinsecis usque ad Festum Resurrectionis Domini proxime venturum rehedificare in bonum; et si contingerit ipsum locum meliorarātum, aut deterioratum fuisse, hoc cognoscere habeant predicti duo, et secundum eorum ordinationem, sic unus alteri satisfacere teneatur.

Item teneantur predicti satisfacere eisdem de filiis, et perditione filiarum, secundum Nicholai et Franzoli taxationem.

Item teneantur solvere, et reddere dicto Francisco totum et quidquid Mechoronus, aut alter eorum juramento dicere voluerint, ipsum, sive ipsos habuisse de denariis carbonis ipsius Francisci.

Item quod si predicti duo electi, scilicet Nicolaus et Franzolus, in predictis, aut aliquo predictorum concordes esse non poterunt, tunc D. Patriarcha prefatus teneatur, et debeat dare, sive assignare unum tertium et communem amicum, qui predictas questiones determinare valeat una cum predictis, et ubi duo concordes fuerint, tertius non habeat vocem.

Item teneantur satisfacere eisdem, et cuilibet ipso-

rum omnes expensas hinc inde factas per ipsos, aut alterum ipsorum; de quibus, si concordes esse non poterunt, steterint taxationi ipsius D. Patriarche.

Et hec quilibet predictorum attendere, et observare teneatur, sub pena centum marcharum denariorum Aquilegensium, in singulis capitulis hujus contractus; et ea soluta, vel non, presens Instrumentum, et omnia que continentur in ipso, obtineant plenum robur. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis, precibus et mandatis infrascriptorum Nicolai et Sociorum, Franciscus et Johannes fratres de Sbrogavacha, Nicolaus filius q.m D. Seratti de la Fratina, et Coradella de S. Daniele pro rata extiterunt fidejussores, cum obligatione omnium suorum bonorum: et tam debitores, quam fidejussores vocaverunt se convictos de omnibus supradictis.

M. CCC. XXVII. Indictione X. die primo Augusti. Presentibus venerabilibus viris D. D. Artuico Dei gratia Episcopo Concordiensi, Lodoyco Abbate Sextensi, Johanne Abbate Rosacensi, Ulvino de Pamperch Canonico Civitatensi, Odorlico de Strassoldo Plebano Lavarglani, et nobilibus viris D. D. Francischino de la Turre, Hectore de Savorgnano, Exquino de Coloreto, Philippo q.m D. Quoncii, Philippo de Portis testibus, et aliis. Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano, Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha supradicta pacta concorditer firmata fuerunt.

Actum in Civitate Austria, in Patriarchali Palatio.
A. N. U. o.

N. 470.

1327 3 *Agosto Cividale.*
Condanna di Paglia di Varmo.

Antonio da Cividale Not.

Die III. intrantis Augusti. In Civitate Austria. In Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris Patre D. Artico Concordiensi Episcopo, Fr. Johanne Ab. Rosacensi vicario D. Patriarche, Guillelmo q.m Magistri Walteri, Ulvino de Canussio, Petro Fondani, Benvenuto et Stephano Notariis de Civitate, et aliis.

Coram D. Paulo q.m D. Bojani de Civitate, quem Rev. Pater D. Paganus S. Sedis Aquil. Patriarcha per laudum et sententiam Curie posuit in judicem loco sui, predictus D. Patriarcha proposuit dicens, quod dare fecerat terminum ad diem hodiernam Palye de Varmo, ut restitueret ad duplum ballas et res, quas super strata acceperat cuidam merchatori de Venzono, et satisfaceret de banno Curie, et de injuria illata D. Patriarche, aut hodie ibi compareret suam excusationem facturus. Unde cum dictus Palya vocatus ad scalas Palatii, ut est moris, per Mattiussium Preconem de Civitate, non compareat, nec aliquis loco sui, et hora excusationis venerit, fuit per laudum Curie sententialiter definitum, quod si dictus D. Patriarcha potest terminum predictum probare, quod dictus judex debet sibi dare Nuncium ad accipiendum de

honis dicti Palye ad duplum eorum que dictus Merchator jurare voluerit sibi ablata fuisse, et pro banno Curie et injuria illata Dominio pro violatione sue strate. Cumque dictus D. Patriarcha peteret sententialiter definiri, cum ibi non habeat nuncium, si dictus judex eum audiret quandocumque cum conduceret coram eo in eodem statu ut hodie intelligi poterat, sententiatum fuit quod sic. C. P. c.

N. 471.

1327 24 *Agosto Selvamala.*

Sentenza intorno ai pascoli di Rivalta e Selvamala.

In Christi nomine amen. Anno ejusdem M. CCC. XXVII. Indic. X. die XXIV. intrante Augusto. Presentibus Hermano filio q.^m D. Mathie de Luyincis de Carnia, Bartolomeo de Toppo commorante in Utino, Utusio filio q.^m D. Wicardi de Utino, magistro Petro et Raynaldino notariis de Castilutto, et aliis pluribus ad hoc vocatis et rogatis.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen. Ego Federicus de Savorgnano Arbiter, arbitrator, et amicus communis electus a Nobilibus viris D.D. Phebo et Hermacora ejus nepote de la Turre super questione que vertitur inter dictum D. Phebum, et Dominos de Brazacho ex parte una, et D. Hermacoram prefatum, et Musar, et Micolum de Aries, et Ossalcum, et nepotes de Glujudracho ex altera, occasione Banducii de Rivalta, et braydarum, et quorundam pascuorum et camporum factorum in Silvamala,

prout in intrumento Compromissi scripto manu dictorum Petri et Raynaldini Notariorum predictorum dicitur plenius contineri: visis alligationibus partium, et dictis testium examinatis, predictis Petro et Raynaldino notariis auditis, et de consilio magistrorum et Dominorum Benedicti Canonici Utinensis, et Odorici, et Federici q.m Magistri Galvagni Notariorum de Utino, mihi Federico arbitro predicto per ambas partes assignatorum, in hunc modum talem profero sententiam, et sententiando, arbitrando pronuntio, definio, et ordino, ac statuo videlicet quod a strata qua itur de Rivalta ad Talmasons, que vadit prope braydas Vidusii et Trumbuze de Rivalta, et finitur in loco qui dicitur Pratum Girardi de Rivalta, et inde ultra Pratum dicti Girardi versus Talmasons, omnia sint Communia pro utraque parte: versus orientem vero libere et absolute omnia sint, et esse debeant cum omnibus juribus et utilitatibus hominum ville de Rivalta, et Dominorum jus habentium in dicta villa sine aliqua contradictione dictorum Communium, sive hominum de Castilutto, de Aries, et de Glujudracho: et campi et prata ultra stratam predictam versus occidentem cujuscumque conditionis existant, simili modo sint dictorum de Rivalta, ut est dictum superius; et de novo non debent plures fieri, salvo tamen quod insula prope Rovoretum, que appellatur insula Maice, sit, et esse debeat dictorum Communium Castilutti, Aries, et Glujudraci cum omni jure et utilitate ad pasculandum et secandum libere et absolute, sine aliqua contradictione predictorum de Rivalta: que insula habere debet viam unam super pasculum transeundo amplam de passibus quatuor communibus, ubi congrue dicti

de Rivalta voluerint assignare: ita tamen quod dicta Communia eundo ad insulam predictam, nec eorum armentum dictos de Rivalta in aliquo dampnificare teneantur ultra stratam predictam de novo assignatam in pasculando, aut secando; aut alia faciendo nisi in insula predicta, nec dicti de Rivalta similiter ultra stratam predictam qua itur de Rivalta ad Talmasons, cum eorum armento quicumque agere habeant in pasculando, aut fenum faciendo, nec in pratis eorum propriis aut campis positis ultra stratam prefatam versus occidentem: et si qua, aut aliquis partium transiret ultra metas aut confines predictos, libere pignoretur, prout mos est et consuetudo antiquitus observata. Et hanc sententiam mando, precipio, et ordino a partibus inviolabiliter observari sub pena in Compromisso contenta; que pena toties peti possit et exigi cum effectu, quoties committetur in eam, et ipsa soluta aut non, presens tamen Instrumentum, et omnia que continentur in ipso nil minus obtineat robur firmitatis. Et si quid obscuritatis, aut dubii in dicta sententia appareret, aut esset, reservata in me semper jurisdictione et potestate omnia dillucidandi, corrigendi, et declarandi semel et pluries hinc ad unum annum. Actum in Silvamala, in dicto pascuo questionis.

Et ego Thealdus de Pergamo publicus Imperiali auctoritate Notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi. A. C. U.

N. 472.

1327 25 *Agosto Cividale.*

La Comune di Cividale paga settanta una marca al Patriarca Pagano per la di lui provvigione.

Antonio da Cividale Notajo.

Die VII. exeunte Augusto: in Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus Dominis Carlevario et Antoniolo nepotibus D. Patriarche, Ubizino Malamosca de Mediolano, Sagino de Parma Castaldione Civitatis, Justino de Opreno Canipario D. Patriarche in Civitate, Thorino q.m Isachi de Florentia, commorante Civitate, et aliis testibus rogatis. D. Zunfredinus de Opreno Vicedominus Rev. Patris D. Pagani S. Sedis Aquil. Patriarche, nomine ac vice ipsius D. Patriarche, confessus extitit et contentus se habuisse et integre recepisse a Johanne q.m Covatti de Civitate Camerario Communis Civitatis, dante et solvente nomine ac vice Communis Civitatis et hominum intrinsecorum de Civitate, septuaginta unam Marchas denariorum Aquil. monete pro provisione dicto D. Patriarche facta in Colloquio generali etc.
A. C. U. c.

N. 473.

1327 1 Settembre Cividale

Febusino della Torre chiede al Patriarca soddisfazione per gravi offese da lui ricevute da Francesco di Manzano ed altri suoi aderenti.

Stefano da Cividale Not.

Die primo Septembris, in Civitate Austria. In Curia domorum D. Lombardini de la Turre. Presentibus Rolando de Mediolano, commorante Castillutti, Jacobo q.m Martinelli de Faganea, Visutto de Civitate D. Nicholai, et Mattia Sclavo de Porta Brossana testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Phebusinus de la Turre q.m D. Raymundi commorans Castillutti fecit, constituit, et ordinavit Johannem Notarium q.m Covati de Civitate, et Nicholaum q.m D. Mussati de Civitate, presentes et hoc mandatum sponte suscipientes, suos veros syndicos, nuntios, actores, missos et procuratores legitimos et speciales defensores in omnibus causis et questionibus quas movet, seu movere intendit D. Francisco de Manzano, nomine et occasione captionis et tormentationis Nicholai de Roda Decani ipsius D. Phebusini, et contra Johannem filium Jacobi de Antro, Petrum q.m Warneri, Ozmanum et Henricum et Marinum Mules de Antro ... filium Bette, Michaelem q.m Contis de Lasa, Pernardum Sobe de Biarz. et Mattiam ejus fratrem, occasione mortis Stoyani de Roda massarii ipsius D. Phebusini, et occasione injuria-

rum, et violentiarum, et dampnorum datorum, quam alterius occasione quacumque, seu causa, quam ipsi vellent habere et movere dicto suo Decano. Coram Reverendo in Christo Patre D. Pagano etc. vel D. Petro Mora ejus Vicario vel alio quocumque judice, sive offitiali competenti dato vel dando etc. Ad agendum, defendendum etc. Promittentes etc. firmum et ratum habere etc. sub obligatione etc. A. N. U. o.

N. 474.

1327 12 *Settembre Udine*
Cappellania instituita nel Duomo di Udine dal Parroco di Cormons.

Melioranza Not.

Die XII. Septembris, Utini, super domo habitationis infrascripti D. Plebani de Cormons. Presentibus D. Francisco Custode de Utino, presbitero Dominico dicto Fredato de Utino, Augustino de Tridento qui moratur in Utino, et aliis.

Cum discretus vir D. Dominicus Plebanus Cormoni ordinasset in sua ultima voluntate, ut constare dicitur publico Instrumento, scripto manu magistri Gregorii Notarii, quod unus presbiter presentandus Dominis Custodi et Canonicis majoris Ecclesie S. Marie de Utino per proximiorem suum, et per ipsos confirmandus, qui celebrare debeat omni die in dicta Ecclesia de Utino ad altare quod dicti Dominis Custos et Canonici sibi duxerint de-

putandum; et dicto Sacerdoti legasset redditus, sive livella quatuor marcharum, aut circa, quos habet super certis possessionibus sitis in Utino: Idem D. Dominicus, non obstante ordinatione predicta, dum adhuc esset bone mentis et intelligentie, licet infirmus, audiens de bonitate et sufficientia tam in cantu, quam in aliis divinis Officiis Deolajuti de Coneglano, ipsum elegit, et esse voluit Capellanum, seu officialem ad celebrandum et officiandum pro anima sua, ut superius continetur. Ita tamen quod se faciat quam cito comode poterit ad Sacerdotium promoveri. C. F. o.

N. 475.

1327 22 *Settembre Moruzzo*
Accordo fra i Signori di Flagogna e di Forgaria.

Pantaleone da Cividale Not.

Die nono exeunte Septembri. In platea Murutii, prope tileos. Presentibus Nobilibus viris D. D. Sigualdo de Murutio, Bernardo de Colloredo, Adalgerio dicto Pinzanuto de Pinzano, Henrico q.m D. Vristorgi de Faganea, Bartolomeo q.m D. Prinzavalis de Arcano Superiori, Wilielmo de Forgaria testibus, et aliis.

D. Hendregutius de Villalta filius q.m D. Meynardi arbiter, arbitrator, et amicabilis compositor litium et questionum, que vertebantur et erant inter discretos viros Federicum et Nicolaum fratres filios q.m D. Blarisii de Forgaria ex parte una; et Anzutum et Articum fra-

tres de Forgaria ex altera, visis et auditis juribus et rationibus partium, tam cum Instrumentis, quam sine Instrumentis, cum scriptis et sine scriptis, et que partes proponere voluerunt oretenus et alio modo quocumque; habito quoque consilio quam plurium Sapientum, semel et pluries, et juxta nos solempni deliberatione habita diligenti, sententiamus, arbitramur, et pronunciando definimus, quod dictus Odorlicus Mula et frater uniri debeant, et redire debeant in Castrum Raymundi, et possidere dictam eorum partem, cum omnibus bonis et possessionibus, pratis, silvis, molendinis, pascuis, mansis, campis, vineis, et masnatis, et aliis possessionibus quocumque nomine censeantur, que, et quas dicti Odorlicus Mula et frater habebant et possidebant tempore sententie late per nobiles viros dominos Sbrizagliam de Porcilis, q.m Jacobum Zan de Fontanabona, et Franciscum de Pinzano; dictam sententiam latam per dictos Nobiles viros dominos Sbrizagliam de Porcilis, Jacobum Zan de Fontanabona, et Franciscum de Pinzano plenarie et integre confirmando.

Item sententiamus, arbitramur, et definimus quod si una pars alteri parti dicere habet cum jure de aliquibus fidejussionibus, in quibus una pars alteri est obligata, quod libere se debeant reddere vicissim indempnes.

Item sententiamus, arbitramur, et definimus quod Anzutus de Forgaria et fratres habere debeant et possidere omnes possessiones tam in Castro Raimundi, quam in villa Forgarie, et eorum pertinentiis, domibus, sediminibus, mansis, pratis, silvis, masnatis, et aliis omnibus possessionibus quocumque nomine censeantur, eo modo, et

jure, et tenuta libere quo dictus Odorlicus Mula et frater habebant quando acceperunt Castrum Raymundi, et ceperunt Nicolaum fratrem Federici predicti. De aliis vero tenutis, possessionibus, debitis, fidejussionibus, toletis, et rapinis, et aliis factis et perpetratis per partes inter se ante captionem Castri Raymundi et Nicolai factam per Odorlicum Mulam et fratrem supradictos, quelibet pars prosequatur jus suum et justitiam ubicumque, et coram quo de jure debuerit.

Item sententiamus, arbitramur, et definimus quod jus ad captionem factam per Odorlicum Mulam et fratrem in personam Nicolai predicti, si aliqua pars alteri parti tam in bonis mobilibus quam armentis rapinis, toletis, fidejussionibus et aliis infra se vicissim prosequantur jus suum ubi, et quo debuerint de jure. Et hanc sententiam, seu arbitrium mandamus a partibus inviolabiliter observari sub pena affecta et contenta in Compromisso scripto manu Magistrorum Thomasii de S. Daniele, et Thomasii de Spegnimbergo Notariorum anno M.CCC.XXVI. Indictione IX. plenius continetur; eaque soluta aut non, presens Instrumentum, arbitratum, seu sententia suum obtineat plenum robur, et presens sententia in sua firmitate perduret a die tertio exeunte Februario in antea. A. N. U. o.

N. 476.

1327 28 *Settembre Udine.*

Legittimazione di un bastardo.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die XXVIII. mensis Septembris. Utini, in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus nobilibus viris D. Morando de

Porcillis, Bernardo et Hendrico de Strassoldo, Carlevario q.m D. Johannis, Guezellino q.m D. Martini, Michaele q.m D. Zonfredi omnibus de la Turre de Mediolano, ac prudentibus et discretis viris D. Magistro Bonaventura habitante Utini, Magistro Condeo de Calio medico, Zonfredino de Oppreno Vicedomino, Guillelmo de Florenzola Plebis S. Petri ultra Isoncium Plebano, et aliis testibus vocatis et rogatis.

Noverint universi presens instrumentum publicum inspecturi, quod nos Fr. Felucius de Nursia Ordinis Militie S. Jacobi de Ispania, procurator et nuncius specialis ven. viri D. Fratris Garsie Sanca Magistri Ordinis militie antedicte, Fratrum et Capituli militie Ordinis antedicti, sicut de ipsius instrumento procuratorii inferius annotato, scripto manu Petri Walterii not. et sigillo ipsius Magistri pendenti sano, integro et illeso sigillato, evidenter apparuit, et apparet discretum virum Ugutionem, natum Magistri Manini medici de Cremona Utini habitantem, defectum natalium patientem ad nostram presentiam accedentem, ac humiliter et devote petentem se in presentia dicti patris sui petentis, et cum instantia postulantis, legittimari, et ad actus quoslibet spirituales et temporales aptum, habilem, et ydoneum reddi, juxta Privilegium Apostolicum Magistro et Ordini nostro predicto concessum, et cujus tenor inferius annotatur, de cujus quidem honestate, moribus, et probitate a fide dignis laudabile testimonium percepimus, auctoritate nobis tradita, juxta formam Privilegii predicti, Christi nomine invocato, legittimum, et ad actus singulos spirituales et temporales aptum, habilem, legittimum, et ydó-

neum pronunciamus, eumque reddimus natalibus restitutum. Tenor autem Privilegii Apostolici talis est.

Johannes Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis ... Magistro et Fratribus Ordinis militie S. Jacobi de Ispania salutem et Apostolicam benedictionem.

Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam vos laudabiliter gerere memoramur, movet nos ad prosequendum vestre petitionis effectum laudabiliter et benigne. Volentes igitur contemplatione predicta vobis facere gratiam specialem, presentium vobis auctoritate committimus, omnes et singulos qui patientur defectus natalium legitimare, et legitimos, et ydoneos reddere ad singulos actus legitimos, sive temporales, sive spirituales existant, et facere et pronunciare, auctoritate ab Apostolica Sede vobis concessa, natalibus restitutos, quorum honesti mores, et probitas, et in tantum scientia decoravit, quod paterni delicti mereantur incommoda non sentire. Hujus igitur concessionis tempora limitantes, volumus et jubemus, hanc licentiam et auctoritatem vobis concessam, ultra complectum quinquennium aliqualiter non extendi. Omnes igitur Christi fideles, apud quos hanc licentiam et auctoritatem vobis concessam vos quomolibet exercere contingat, monemus et hortamur in Domino, ut vos, vestramque familiam recipiant favorabiliter et benigne. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre Concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avenione, viii. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno viii.

Tenor vero Procurationis predicte talis est.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem a Nativitate millesimo trecentesimo vicesimo septimo. Indictione decima, tempore D. Johannis Pape xxii. et die primo mensis maii. In presentia mei Notarii et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum. Venerabilis et discretus vir D. Frater Garsias Sanca, humilis magister Ordinis militie S. Jacobi in Ispania, et Capitulum dicte militie Ordinis, confidentes de honestate religiosorum virorum fr. Felucii de Nursia, et fratris Johannis de Perticaria, Fratris Transi de Fregenis, ac Vmeles de dicto loco fratrum predicti Ordinis, ipsos et quemlibet ipsorum in solidum, ut quod unus incepit, alter prosequi valeat et finire, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suos et dicti Ordinis veros et legitimos Sindicos, yconomos, et procuratores, actores, factores, et nuncios speciales per totum Patriarchatum Aquil. et ejus Suffraganeos, ac per totam provinciam Alemanie, Ungarie et Sclavonie, ad petendum et recipiendum, peti et recipi faciendem a Christi fidelibus omnes et singulas elemosinas, testamenta, vota, et legittimandum quos legittimare placuerit, juxta formam privilegii nobis et Ordini nostro concessi, et ad recipiendum domos, terras, et alia quecumque bona, que Christi fideles dabunt pro nomine Jesus Christi. Et ad conferendum eisdem benefactoribus nostris gratias et indulgentias, prout nobis et Ordini nostro sunt a S. Romana Ecclesia concessas. Et ad recipiendum ipsos benefactores ad veram fraternitatem nostri Ordinis participando

eosdem in Missis, orationibus, et aliis bonis que fiunt. et fient in toto Ordine nostro, fecerunt et constituerunt dictos suos procuratores ad impetrandum et obtinendum litteras sub quacumque securitate verborum a quibuscumque Prelatis et Dominiis spiritualibus aut temporalibus fructuosas et utiles fuerint: ad expediendum negotia eis commissa, nec non, si opus fuerit, pro predictis et ex eis dependentibus et emergentibus, aut connexis, ac etiam aliis prorsus extraneis in omni Curia Ecclesiastica aut Seculari, et coram quocumque Domino, judice, aut rectore Ecclesiastico et seculari agendi, petendi, recipiendi, replicandi, libellum dandi et recipiendi, litem contestandi de Calumpnia, seu de veritate dicendi, in animabus eorum jurandi; instrumenta, jura et probationes quaelibet producendi, et alium, seu alios procuratores loco ipsorum substituendi et revocandi quotiens, et quando eisdem placuerit, et videbitur opportunum. Et generaliter ad omnia et singula faciendum et exercendum, que dicti Domini Magister et Capitulum facere et exercere possent, si presentes essent. Promittentes ratum, gratum, et firmum habituros quidquid per dictos procuratores, aut alterum eorum, et substitutos ab eis, quibus substituendi plenam auctoritatem concesserunt, factum, seu peractum fuerit, sub ypoteca et obligatione bonorum dicte militie. Promiserunt quoque mihi notario infrascripto stipulanti vice et nomine omnium quorum interest, aut intererit de rato habendo, judicio sisti, et judicatum solvendo. Actum in Castro nostro de Selese. Presentibus Zanzo Vallis, Jacobo Petri domicello, Alberto Johannis testibus ad hoc vocatis et rogatis. In cujus rei testimonium et evidentiam

pleniorem, presens publicum instrumentum fieri jussimus, et nostri sigilli appensione muniri. Et ego Petrus Walteri publicus Im. Auct. Notarius hiis omnibus presens interfui, scripsi, et publicavi rogatus, de mandato et auctoritate dicti Magistri. In testimonium autem premissorum mandavimus, et fecimus nos prefatus frater Felucius procurator presens publicum instrumentum nostri sigilli appensione muniri, ac signo, et nomine Gabrielis Not. infrascripti roborari. Actum, et dictum die, anno, et loco, ut supra, coram Rev. patre D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, presentibus ut supra. C. F. o.

N. 477.

1327 25 *Ottobre Gemona.*

Procuratore del Comune di Gemona onde ristabilir la pace tra il Vescovo e il Comune di Portogruaro.

Artuico Not.

1327 die VII ext:[e] Octobri. Presentibus Dominis Lappo Rigi de Florencia commorante Venetiis, Nicolao Filio q.[m] Johannis Carnelli de Venzono, Daniele Botazini de Florencia commorante Civitate Austrie, Zannino Justi, Liscio de Florencia commorante Glemone, et aliis.

Dominus Brugnolus de Puzolo Vicecap.[s] Glemone, ac Marculinus Boccapilose Massarius, de consensu, et voluntate Consilii, et Communis Glemone ad hoc specialiter congregati ad sonum Campane more solito pro se ipsis,

et eorum successoribus, vice et nomine dicti Comunis fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt Meinardum Savii Notarium de Glemona eorum, et dicti Comunis certum Nuncium, Syndicum, Actorem, Factorem, excusatorem, administratorem, et legitimum Procuratorem presentem, volentem, et hoc mandatum suscipientem in causa, et causis pacis procurande, faciende, et complende, una cum syndicis, et Procuratoribus Communitatum Utini, et Civitatis Austrie, inter Venerabilem Virum Dominum Arthicum Dei gratia Concordiensem Episcopum ex una parte, et Comune ac homines Portusgruarii ex altera, et ad Sacramenta prestanda, seu facienda de pace obtinenda, de consensu, beneplacito, ac velle Reverendi Patris et Domini Domini Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilejensis Patriarche, ed ad facienda in illa partem, promissiones et pacta, et omnia, et singula que dicti Syndici et Procuratores Utini, et Civitatis Communitatum dictarum fecerint, tractaverint, et definiverint, ordinaverint, et confirmaverint; et ad substituendum unum, vel plures Procuratores, si fuerit opportunum, et revocandum. Promittentes dicti Domini Brugnolus Vicecap: et Marculinus Massarius pro seipsis, et successoribus ipsorum, et dicto Comune de Glemona solempni stipulatione mihi Not. subscripto recipienti vice, et nomine omnium quorum interest, vel interesse poterit ratum, gratum, et firmum habere et tenere quicquid per dictum Procuratorem, vel substitutos ab eo in predictis, et circa predicta, et quolibet predictorum actum fuerit, vel modo aliquo procuratum, tam in lucrando, quam in perdendo; ipsumque Procuratorem dictum et quemlibet substitutum ab eo indem-

pnem relevare ab omni homine satis daturos, et in judicio sisti, et solvi judicatum cum obligatione, et bonorum dicti Comunis ypotheca.

Actum Glemone, sub domo Communis. A. C. U. c.

N. 478.

1327 27 *Ottobre Cividale.*

Il Comune di Cividale deputa Paolo q.m Bojani a giurar assistenza al Patriarca Pagano nel sostenere la pace fatta con Artico Vescovo di Concordia e il Comune di Portogruaro.

Antonio da Cividale Notajo.

Die v. exeunte Octubri, in Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus Dominis Fulchero de Savorgnano, Philippo de Portis, Ulvino de Canussio, Guillelmo q.m Magistri Walteri, Valantino de Civitate, et aliis.

Domini Saginus Castaldio et Consilium ibidem ad sonum campane congregati, nomine suo et Communis Civitatis, fecerunt et constituerunt D. Paulum q.m D. Bojani de Civitate presentem et hoc mandatum suscipientem, suum certum nuncium, et syndicum, et Procuratorem legitimum ad jurandum et promittendum astare Reverendo Patri D. Pagano S. Sedis Aquil. Patriarche et adjuvare eum, ut astet, et adjutorium det parti observanti contra partem que infringeret pacem factam inter venerabilem Patrem D. Artuicum Concordiensem Epi-

scopum ex parte una, et Commune, et homines Portusgruarii, et D. Jacobum de Cormons et Bugarinum de Cormons ex altera, et generaliter ad omnia et singula facienda que in predictis fuerint oportuna: promittentes, nomine quo supra mihi not. infrascripto pro omnibus quorum interest, vel interesse poterit stipulanti, firmum et ratum habere et tenere quidquid per ipsum Syndicum in predictis et circa predicta factum fuerit et promissum sub bonorum dicti Communis omnium ypotheca. A. C. U. c.

N. 479.

1327 29 *Ottobre Gemona.*
Parere di alcuni Gemonesi intorno alla condanna di Rodolfo di Venzone.

Artuico Not.

Die tertia exeunte Octobri. Presentibus Nicolao dicto Tous de Sacilo commorante Glemone, Wecillo de Avaro de Carnea Glemone commorante, et aliis.

Domini Odolriverius de Walvasono, et Nicolaus Notarius filius Candidi Werchazini de Venzono petierunt sibi consilium dari ab infrascriptis nominatis hominibus de Glemona super tenore contento in quadam cedula cujus tenor talis est.

M. CCC. XXVII. Indictione IX. die Sabbati XXVII Julii. Presentibus Brunussio, Hendrigaccio, Barono, Candido, Lazaro Becario, Jacunisio testibus, et multis aliis. Con-

silio Terre Venzoni XII. et viginti qui fuerunt electi per totum Comune ad infrascripta ad sonum Campane, ut fuerat ordinatum in sala domus olim D. Rayneroti coram Odorligosio Gastaldione et Mecembrodo Vice-Camerario solempniter congregato, firmatum fuit et reformatum, atque stabilitum pro majori parte hominum dicti Consilii, nemine discrepante, quod propter offensionem factam per Rodulphum Fantonis in Camerarium Communis Petrum Popani, quod ipse Rodulphus solvere debebat et satisfacere Dominio et Communi, nomine condempnationis et pene, libras Veronensium quinquaginta, et infra octo dies debeat exire de districtu Venzoni, et morari ubi vult, excepto quam in Terra Glemone, et infra annum et diem non debeat venire in Terram et Districtum Venzoni, quod si faceret totiens cadat in penam XXV. librarum parvorum, quotiens in ipsam Terram vel districtum Venzoni veniret. Et si iterum offenderet aliquem hominum, vel feminam de Venzono ipsa causa, quod tum sit, et esse debeat in banno Dominii et Communitatis de Venzono. Hoc addito, quod ipse possit uti mercimoniis, et mittere libere sua bona per Venzonum, et habere societatem cum hominibus de Venzono, et sint sua bona secura quemadmodum bona aliorum vicinorum, observando predicta, salvo adhuc, quod si iterum esset concors cum Petro predicto, quod de voluntate Dominii et Communis possit venire ad Tertiam et morari, et facere sicut faciunt alii vicini. Qui predicta observare juravit.

Quo tenore dicto, scripto et lecto, super eo titulo proscriptionis qui dicit quod Rodulphus dictus morari

deberet ubi vult, excepto quam in Terra Glemone, consultum est eis per Franciscum Sibelli Notarium, Nicolaum Puzini Notarium, Johannem Blancharina, Marculinum Bochapilose, et ibidem astantes, quod si Rodulphus dictus venit in Terram Glemone in hora Tertie, et ibidem in illa die, et in illa nocte usque ad completas Missas crastine diei moram fecerit, quod non ostendatur, nec incidere debeat in illam penam predictam, si vero plus, quod ostendatur, et incidat in penam dictam.

Actum Glemone, in domo Communis. A. C. U. o.

N. 480.

1327 13 *Novembre Udine.*
Corrado di Ovenstain e Pietro di Liebenberg promettono di adempiere alle promesse fatte al Patriarca.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die veneris XIII. intrante Novembre. Utini, super sala superiori Castri et Palatii Patriarchalis. Presente ven. Patre D. Artico Dei gratia Episcopo Concordiensi, ac Nobilibus viris D. Odorico de Cucanea et Artico de Prampergo militibus, Asquino de Colloreto, Bernardo de Strassoldo, Johanne de Villalta, Federico de Muruccio Federico de Sevorgnano, Johanne de Cucanea, Syfrido de Altemburch, Artulfo milite de Carinthia, Artulfo milite de Guindesgrez, Napino et Carlevario de la Turre, Odorico et Francisco Notariis de Utino, et aliorum quamplurium multitudine copiosa.

Nobiles viri D. Conradus de Ovenstain et Petrus de Liebenberg coram D. Patriarcha constituti, promiserunt fide prestita manuali, quod juxta posse eorum, bona fide, et sine fraude dabunt operam quod pacta inter D. Ducem Karinthie et Comitatus Goritie, ac ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquil. observabunt tam super restitutione Castri Arispergi, quam super aliis que in ipsis pactis continentur, et quod ipse D. Petrus, qui dictum Castrum habet in custodia sua, statim, receptis literis D. Patriarche predicti, de pactis prefatis dictum Castrum assignabit D. Bernardo de Strassoldo. C. F. o.

N. 481.

1327 9 *Novembre Udine.*

Feudo in Forame concesso dal Patriarca a Bertolo di Attems.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die ix, mensis Novembris, Utini, super sala superiori Castri et Palatii Patriarchalis. Presentibus venerabilibus viris D. D. Petro Mora de Mediolano Vicario D. Patriarche infrascripti, Philippono de la Turre Preposito Civitatensi, Presbitero Nicola Plebano Plebis de Flambri, ac Nobilibus viris D. D. Napino filio q.^{m} D. Muxe de la Turre de Mediolano, Johanne de Cucanea filio q.^{m} D. Adalpreti, et Hermano de Atens Gastaldione Sedeliani testibus vocatis et rogatis.

Cum discretus vir Bertholus filius q.m D. Odorici de Atens emisset ab Hendrea, et Benedicto fratribus filiis q.m D. Wargendi de Atens pro certo pretio tres mansos sitos in villa de Foramine, quorum unus dicitur regi per Jacobum, Petrum, Lenardum, Michaelem, Mathiam et Donatum: secundus dicitur regi per Mathiam, Michaelem, Petrum et Mathiam: tertius dicitur regi per Jacobum, Martinum de Pecollo, et Mathiam de Prat: ac quasdam pecias terre rectas per Az, Georium et Symonem de Villanova. Item tres mansos sitos in Atens quorum duo dicuntur regi per Chamulum, et tertius per Dominicum et Thomasinum: item unum Molendinum situm in villa de Atens, quod regi dicitur per Stoianum, prout de predictis omnibus per instrumentum publicum scriptum manu Benevenuti de Utino, Imperiali auctoritate Notarii, apparuit evidenter: prefati emptor et venditores coram Reverendo in Christo Patre D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha constituti, eidem humiliter supplicarunt, ut de mansis, Molendino et bonis predictis, tamquam de feudo spectante jure recti et legalis feudi Marchionatus de Atens, seu jure feudi Habitantie, dictum Bartholum investire dignaretur, et vellet. Facta igitur renunciatione in manibus antedicti D. Patriarche de feudo et bonis predictis per Benedictum venditorem predictum et Brandalisium filium D. Henrici de Atens procuratorem Hendree prefati, prout de procuratione constitit per publicum Instrumentum scriptum manu Benevenuti notarii antedicti: idem D. Patriarcha, petitionem et preces predictas benigne suscipiens, sepedictum Bartholum cum quodam bi-

reto, quod tenebat in manibus, de mansis, Molendino et bonis predictis liberaliter investivit: Jure tamen suo et Aquilegensis Ecclesie semper salvo. Qui Bertholus eidem D. Patriarche fidelitatis debite solitum juramentum prestitit, quod vassallus Domino suo prestare tenetur. C. F. o.

N. 482.

1327 29 *Novembre Udine.*

Proposizioni fatte dal Patriarca nel Parlamento per la riforma della Provincia, per la custodia e sicurezza delle strade, per l' imposizione della Milizia.

Infrascripta sunt, que facta sunt in Colloquio generali celebrato per Dominum Patriarcham Paganum in Utino, in sala inferiori Castri, et Palatii Patriarchalis anno M. CCC. XXVII. Indictione X, die penultimo mensis Novembris, in quo interfuerunt infrascripte Notabiles persone: Dominus Abbas Rosacensis, Dominus Abbas Sextensis, Dominus Raynaldus della Turre Thesaurarius Aquilegensis, Dominus Moraudus de Purcileis, Dominus Odoricus miles, et Simon ejus Filius, Joannes de Pertinstain, et Thomasuttus de Pertinstain, Joannes Domini Adalpreti, Ricardus de Valvasono, Dominus Articus de Prampergo miles, Dominus Brisaglia de Purcileis, Dominus Bernardus de Strassoldo, Dominus Federicus, et Dominus Joannes de Villalta, Dominus Asquinus de Colloreto, Dominus Nicolaus de Castello, Dominus

Franciscus de Tricano, Dominus Federicus de Savorgnano, Dominus Federicus de Murutio, Dominus Articus de Varmo, Dominus Ludovicus, et Dominus Mussatus de Cavoriaco, Dominus Franciscus de Manzano, Dominus Paulus Bojanus, Dominus Philippus de Portis de Civitale, Dominus M.r Odoricus Notarius, Dominus M.r Franciscus Not. Dominus Hendriota de Castro Utini de Utino, Hermannus Not. de Glemona, Mapheus Not. de Aquilegia, Dominus Franciscus de Pinzano, Odoricus, Nicolaus, et Simon de Budrio, Dominus Napinus, Dominus Carlevarius, et Dominus Antoniolus della Turre, ac alii quamplures, tam Nobilium, quam Communitatum Fori Julij ad dictum Colloquium congregatorum multitudine copiosa.

In primis, propositis per Dominum Patriarcham diligenter, et provide que proponere voluit super defectu, et reformatione totius Terre Fori Julij, et Aquilegiensis Ecclesie, tam super defensione, et custodia dicte Terre, quam super securatione stratarum, et aliorum, que provisione, et reformatione indigent, pro bono statu Terre et servitorum Aquilegensis Ecclesie: Quesitum fuit ab omnibus, more solito, quid consulebant, et quid agendum! Et tunc consultum fuit ab omnibus, et ita firmatum: Quod ad evitanda pericula, et damna alia passa, fiat impositio militum tam magna, sicut fieri potest, et quod unusquisque conetur pro posse suo, et quod Consiliares de novo fiant, qui simul cum Domino Patriarcha consulant; ac videant super impositione fienda, et aliis pro defensione Terre, et que per Dominum Patriarcham exposita sunt. Et tunc more solito omnes de Colloquio se in par-

tes traxerunt ad eligendum Consillarios suos, qui electi fuerunt inferius annotati

D. Abbas Rosacensis) Pro Prelatis
D. Morandus de Purcileis)
D. Bresalia de Purcileis) pro Liberis
D. Joannes de Villalta)
D. Federicus de Savorgnano pro Communi Utini.
D. Philippus de Portis pro Communi Civitatis.
Mapheus Notarius pro Communi Aquilegie.
Hermannus Notarius pro Communi Glemone.
D. Odoricus de Cucanea.
D. Articus de Prampergo.
D. Hendrigutius de Villalta.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Nicolaus de Castello.
D. Franciscus de Tricano.
D. Articus de Varmo.
D. Franciscus de Manzano.

Quibus data fuit plena potestas per dictum Colloquium ordinandi et providendi de super omnibus et singulis antedictis simul cum dicto Domino Patriarcha, prout eis pro meliori videbitur, et quod quidquid fecerint, ordinaverint, et mandaverint, vim et vigorem obtineat totius Colloquii, et ea executioni mendentur, ac si per totum Colloquium facta essent. Vocatis igitur ibidem statim nominatim omnibus Consiliarijs antedictis, omnes et singuli prestiterunt juramentum consuetum, quod per Consiliarios prestari consuevit. Et tunc finito Colloquio,

Dominus Patriarcha cum Consiliariis suis predictis ascendit palatium suum, et se traxerunt in sala majori, ut ibi consulerent, et videretur quid esset agendum. Quesito igitur ab omnibus consiliariis super hoc, consultum fuit, nemine discrepante, quod nova impositio fiat equitum tam magna, sicut fieri potest juxta possibilitatem uniuscujusque. Et quod etiam fiat impositio Peditum, et ita firmatum, et provisum fuit; et quod die crastina dicti Consiliarii in loco predicto conveniant simul cum Domino Patriarcha pro impositione, et expeditione predictorum.

Item facta fuit impositio Equitum per modum infrascriptum, et firmata.

Dominus Patriarcha - - -	Elmos xl -	Balistas x
D. Episcopus Concordiensis -	El. - viii -	Bal. ii
Capitulum Aquilegiense - -	El. - x -	Bal. ii
Abbas Belliniensis - - -	El. - ii -	Bal. o
Prepositus S. Stephani Aquil.	El. - iii -	Bal. i
Prepositus S. Felicis - - -	El. - o -	Bal. i
Monasterium Dominarum Aquil.	El. - iii -	Bal. i
Abbas Rosacensis - - - -	El. - iii -	Bal. i
Abbas Mosacensis - - - -	El. - iii -	Bal. i
Abbas Sextensis - - - -	El. - iii -	Bal. i
Capitulum Civitatense - -	El. - x -	Bal. ii
Monasterium Dominar. Civitat.	El. - i -	Bal. i
Prep. S. Odorici ultra Tulmen.	El. - iii -	Bal. o
Prepositus Carnee - - -	El. - i -	Bal. o

Nobiles Castellani.

Prata - - - -	- Elmos XVI -	Balistas V
Purcileis - - -	- El. - XVI -	Bal. V
Pulcinicum - -	- El. - VIII -	Bal. III
Avianum - - -	- El. - II -	Bal. I
Mons Regalis - -	- El. - II -	Bal. I
Maniacum - -	- El. - III -	Bal. I
Pinzanum - -	- El. - II -	Bal. O
Toppum - - -	- El. - I -	Bal. I
Spignambergum -	- El. - XII -	Bal. II
S. Vitus - - -	- El. - II -	Bal. I
Sbrojavacca - -	- El. - III -	Bal. I
Salvarolum - -	- El. - III -	Bal. I
Laurenzaja - -	- El. - III. -	Bal. O
Meduna - - -	- El. - IV -	Bal. O
Azzanum - - -	- El. - I -	Bal. O
Gruarium - -	- El. - I -	Bal. O
Frattina - - -	- El. - I -	Bal. I
Flagonea - -	- El. - I -	Bal. O
Castrum Raymundi -	- El. - I -	Bal. I
Villalta et) Cavoriacum) - -	- El. - XII -	Bal. IV
Faganea - - -	- El. - IV -	Bal. I
Morutium, et) Tercanum) - -	- El. - XII -	Bal. IV
Castilerium - -	- El. - II -	Bal. II
Brazzaccum superius) Brazzaccum inferius)	- El. - I -	Bal. I

Fontanabona - - -	Elmos III -	Balistas I
Colloretum et) Mels) - - -	El. - XIII -	Bal. IIII
Pers et) Susanum) - - -	El. - III -	Bal. o
S. Daniel - - - -	El. - IIII -	Bal. II
Ragonea - - - -	El. - II -	Bal. II
Prampergum - - -	El. - IX -	Bal. III
Cassaccum - - -	El. - I -	Bal. o
Arthenea - - - -	El. - o -	Bal. I
Cauriacum - - -	El. - I -	Bal. o
Vendoij - - - -	El. - I -	Bal. I
Buja - - - -	El. - I -	Bal. I
Attemps - - -	El. - II -	Bal. II
Cucanea) Pertinstain) Valvasonum) - - -	El. - XVI -	Bal. IIII
Sophumbergum - -	El. - III -	Bal. o
Strassoldum - - -	El. - X -	Bal. II
Manzanum - - -	El. - IIII -	Bal. I
Budrium - - -	El. - I -	Bal. o
Castellum) Tarcentum) - - -	El. - XI -	Bal. II
Varmum - - - -	El. - III -	Bal. I
Filii Domini Asquini - -	El. - I -	Bal. o
Rivarotta - - -	El. - II -	Bal. I
Zejacum - - - -	El. - o -	Bal. I
Cersedum - - -	El. - I -	Bal. I

Communitates

Aquileja - - -	- Elmos VIII	- Balistas IIII
Cividatum - -	- El. - XX	- Bal. VI
Civitatenses extrinseci	- El. - V	- Bal. II
Glemona - - -	- El. - XII	- Bal. IIII
Utinum) Savorguanum) - -	- El. - XL	- Bal. IV
Monsfalco - -	- El. - III	- Bal. o
Tulmetium - -	- El. - II	- Bal. o
Sacillum - - -	- El. - II	- Bal. o
Canipa - - -	- El. - II	- Bal. o
Soclevum) Guart) - - Luincis)	- El. - II	- Bal. o
Los - - -	- El. - II	- Bal. o
Vipacum - - -	- El. - III	- Bal. o
Mossa - - -	- El. - I	- Bal. o
Petrus de Petra pilosa	- El. - III	- Bal. I
Domini de Pola -	- El. - VI	- Bal. I

Summa Elmorum CCCCVI.
Summa Balistarum CXVIIII.

Facta igitur impositione predicta, statutum fuit ibidem, et firmatum, quod Equus pro Elmo sit, et esse debeat valoris centum librarum, et Equus pro Balista sit, et esse debeat valoris quinquaginta librarum Denariorum Venetorum parvorum, et quod unus quisque

paratus sit equis et armis predictis, juxta impositionem sibi datam usque ad xv dies post proximum festum Nativitatis Dominice, sub pena, et in pena dimidie Marchie pro quolibet Elmo, qui defecerit; et deinde XL frixachensium pro qualibet die, et sub pena XL. frix:e pro quolibet balisterio, qui defecerit, et deinde xx denariorum pro quolibet die; que pena sine diminutione aliqua, vel intervallo temporis, prout promiserunt penitus exigatur, et quod impositio predicta duret, et durare debeat a predicto die xv. post Nativitatem Domini, usque ad annum integrum.

Post hec super impositione peditum, ut diligenter, et cum deliberatione procederetur in ea, provisum fuit, quod de dicto Consilio aliqui eligantur ad faciendam impositionem predictam, et quod illi, qui eligentur, die Jovis proximi esse debeant Utini simul cum Domino Patriarca, et deinde singulis diebus, sicuti eis videbitur, donec dicta impositio facta fuerit peditum. Super quo fuerunt electi

D. Abbas Rosacensis pro Prelatis.
D. Johannes de Villalta pro Liberis.
D. Asquinus de Colloreto)
D. Franciscus de Manzano) pro Ministerialibus.
D. Franciscus de Tercano)

Mapheus Not. pro Commune Aquilegie
Philippus de Portis pro Commune Civitatensi
M:r Franciscus Nassutti pro Commune Utini
Hermannus Not. pro Commune Glemone.

N. 483.

1328 14 Gennajo.

A Bortolo Sbrojavacca è accordato per due anni il taglio di alcuni boschi nel territorio di S. Vito e Meduna, e il permesso di erigere un edifizio sul Sile.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xiv. mensis Januarii. Presentibus venerabilibus et discretis viris D. D. Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis Vicario, Zonfredino de Oppreno Vicedomino, Lancelono de Lascalla, Monzono de Mediolano familiare D. Patriarche infrascripti testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis, et rogatis.

Ven. Pater D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Aquil. Patriarcha pro se et Successoribus suis et Eclesia Aquil. dedit, vendidit, et concessit Bertulo de Sbrolavaca presenti et recipienti pro se et suis heredibus, et quibus dare voluerit, usque ad duos annos proximos, a festo Nativitatis Domini proxime venturo inchoandos, ligna nemorum Fratte et Spissule Gastaldie S. Viti Aquilegensis Diocesis, et Bannorum superiorum et inferiorum Cinti Gastaldie Medune ejusdem Diocesis, ad ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem spectantium, cum omnibus juribus et jurisdictionibus boscandi, utendi, et fruendi, pretio librarum mille nongentarum parvorum, solvendarum sibi per eundem Bertulum in terminis infrascriptis; videlicet libras mille in

festo S. Georgii, et nongentas in festo S. Martini proxime venientis, pactis et conditionibus infrascriptis, videlicet; quod idem Bertulus debet incidisse infra dictum terminum ligna dictorum nemorum que incidere voluerit, incipiendo a die contractus, usque ad finem dicti termini, salvo quod si guerra generalis esset in partibus illis, qua impediretur quod non posset incidere, aut incidi facere dicta nemora; tempus quod perderet in incisione dictorum nemorum ex guerra hujusmodi, adveniente pacis tempore, ipsi Bertulo debeat resarciri. Item quod a quinto et quarantesimo solvendo de dictis lignis sit penitus absolutus, et quod panem et vinum laboratoribus et incisoribus dictorum nemorum valeat libere et absque ullo impedimento Gastaldionis S. Viti, aut alterius cujuscumque vendere. Quodque possit facere unum edificium Sege in flumine Silli, et ipsa Sega uti per totum dictum tempus, ita quod finito ipso tempore, eadem Sega, sive idem Edificium ipsi D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi integra et integrum debeant remanere. Et si per aliquem, aut aliquos ipsi Conductori, aut causam habentibus ab eo, violentia aut molestia fieret in hujusmodi nemore, occasione lignorum, aut aliqua alia, idem D. Patriarcha eosdem Conductores, aut causam habentes ab eo, de jure defendere teneatur suis sumptibus et expensis: et Saltarii dicti D. Patriarche pignorare debeant omnes offendentes in eisdem nemoribus sive dapnum aliquod facientes; et etiam familiares ejusdem Conductoris et causam ab eo habentium, eandem habeant potestatem in absentia Saltariorum hujusmodi, dummodo famuli ipsi de accusis

quas facient, prebeant in propria persona juramenta. Ipsi vero Conductor, et causam ab eo habentes nequeant, nec debeant aliquo modo incidere, vel incidi facere, aut permitti per alios incidi aliquod lignum, aut aliqua ligna in predictis nemoribus Frate et Spissule que sint de Ruvore, sive quercu, sed illa omnino intacta dimittere: de aliis vero omnibus utantur, et fruantur ad voluntatem suam. Quam quidem locationem, venditionem, seu concessionem idem P. Patriarcha per se et suos Successores et Ecclesiam supradictum promisit etc. C. F. o.

N. 484.

1328 4 *Febrajo Udine.*
Feudo in villa de la Mantoa concesso dal Patriarca a Nicolussio di Prata.

Gubertino da Novale Can. P.

In Christi nomine amen. Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXVIII. Indictione XI. die quarto mensis Februarii. Presentibus Nobilibus viris Dominis Francisco de la Turre Istrie Marchione, Fedrigino filio q.m D. Martini de la Turre Capitaneo Glemone, Francisco de la Mota habitatore Medune, et Jacobino dicto Pillato de Laude domicello D. Carnevarii de la Turre testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Constitutus in presentia Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis

tarum librarum parvorum in manibus D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis, quod si reperietur rationabiliter ipsum fuisse culpabilem combustionis facte in Aviano, ad omne dampnum quod sustinuit aliquis pro combustione facta per eum, vult teneri. Ejus fidejussor fuit Galvaneus de Maniaco.

Actum Utini in palatio Patriarchali. C. F. o.

N. 486.

1328 9 *Febrajo Udine.*
I ribelli di Albona chiamati a render ragione del loro attentato.

Gubertino da Novate Can. P.

In Christi nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem M.CCC.XXVIII. Indict.^e^ IX. die nono mensis Februarii. Cum magnificus vir D. Franciscus de la Turre Istrie Marchio bannitos fore promulgasset infrascriptos de Albona, pro eo quod Terram predictam Albone contra honorem Aquilegensis Ecclesie, et ipsius D. Marchionis, alieno dominio subjugare presumpsissent, ut in istrumento infrascripto continetur, cujus tenor talis est.

In Christi nomine amen: anno ejusdem Domini millesimo Trecentesimo vigesimo sexto, Indictione IX. die jovis secundo Octubris, actum Albone coram Ecclesia S. Marie, ubi jus redditur. Presentibus Raynaldo familiare D. Sergii de Castro Polle, Michaelo de Breber servitore D. Comitis Friderici Vegliensis, Chergina de

Veprinaz, Michaelo de eodem loco, Bratogna de Novachi, Juanno, et Johanne fratribus de Barbana, et aliis quampluribus omnibus testibus fide dignis, ad hec vocatis et rogatis.

Cum ad aures, et ad expressam evidentiam, ac ad veram notitiam nobilis et potentis viri D. Francisci de Laturre Istrie Marchionis, fama publica referente, pervenerit quod de presenti anno in mense Madii proxime preterito Druzatius Petriza, et Cosma dictus Cusmiza fratres, Succina, Justus, Quirinus fratres, et filii dicti Druzatii, Ambrosius Rumiz, et Zuannus fratres, Chudrogna q.m Zanchuli dicti Pisch, Slavaz et Petrus fratres, filii q.m Johannis, Petrus q.m Phori, Paulus q.m Martini, Quirinus q.m Cixcix, Jacobus q.m Verbaz, Lucha dictus Chigogna, Dominicus q.m Butule, Andreas dictus Bona, Raza, Presbiter Sinaz, et Svencina q.m Jurislani Suctoicha, et Vincentius omnes de Albona machinaverunt impensate et proditorie perturbare presentem statum Terre predicte Albone, et ipsam, contra honorem Aquileg. Ecclesie et prefati D. Marchionis, tradere in manus et fortiam alienorum quam Aquileg. Ecclesie, et prefati D. Marchionis; idcirco coram predictis testibus et me infrascripto cum aliis Notariis, prefatus D. Marchio assignat omnibus supradictis de Albona terminum trium dierum proxime sequendorum pro primo, secundo, et tertio peremptorio termino ad comparendum, et ad se defendendum, et excusandum coram ipso D. Marchione, ubicumqne fuerit de predictis. Alioquin prefatus D. Marchio ex nunc, elapso termino ipso primo, secundo et tertio, ipsos statuit esse Banni-

tos, Rebelles, et contumaces Aquilegensis Ecclesie et D. Marchionis, et quod jamdicti non possint libere venire ad aliquam Terram, nec locum sub dominio Patriarchatus Ecclesie Aquilegensis, aut Istrie Marchionatus: et si ipsi, aut alter ipsorum in fortiam sui, aut fortiam, seu dominium alicujus loci, districtus, et Dominii D. Patriarche, aut sui, seu ipsorum Officialium pervenerint, destruantur, et morti tradantur absque aliqua dilatione.

Ego Vilsmigna Lorschi de Albona Imperiali auctoritate publicus Notarius, et nunc Officialis Communis Albone hiis omnibus interfui et rogatus scribere scripsi, et roboravi de mandato dicti D. Marchionis.

Ego Bertossa q.m Benchi de Albona Imp. Auct. Not. suprascriptis omnibus et singulis interfui, et de mandato suprascripti D. Francisci Marchionis Istrie ad robur et evidentiam predictorum me subscripsi, meumque signum consuetum apposui.

Idem D. Marchio banna, sententias et omnia in dicto Instrumento contenta habens rata, grata et firma, ea ex certa scientia approbavit, et confirmavit.

In cujus rei testimonium prefatus D. Marchio de predictis jussit per me Notarium infrascriptum fieri publicum Instrumentum, et ipsum sui appensione Sigilli communiri.

Actum Utino in Patriarchali Palatio. Presentibus Nobilibus viris D.D. Ancfussio de la Turre, Sigembaldo de Zummaccho de Papia, Eusebio de Romagnano notario D. Patriarche Aquil. Philippino Menclotio de Mediolano testibus, et aliis ad predicta specialiter vocatis et rogatis. C. F. o.

N. 487.

1328 10 *Febrajo Udine.*
Condanna di Druzacio e suoi seguaci ribelli di Albona.

Eusebio de Romagnano Can. P.

In nomine Domini amen. Nos Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, cum olim Druzacius q.m Quirini de Albona cum quibusdam suis sequacibus ei colligatis, inique et proditorie agentes, concontra nos et Ecclesiam nostram Aquilegensem, cujus extiterunt homines, et contra vicinos suos ejusdem loci de Albona, nostros at ejusdem Ecclesie nostre fideles, seditionem fecerint, et tradere voluerint infideliter Terram ipsam, quam nisi divina clementia providissemus, tradidissent in manibus alienis, et nostros ejusdem terre depopulassent fideles, postquam hujusmodi iniquitatem suam nequiverunt explere, de Terra ipsa expulsi, associatis sibi malefactoribus plurimis, ipsis Terre et fidelibus, imo nobis guerram fecerunt, et intulerunt multa dampna: at licet nos, tanquam pii patres salutem quorumcumque zalantes, ipsos Druzacium et sequaces, cupientes ad pacem reducere cum predictis fidelibus, ut omnes esset unanimes et concordes, suscepimus compromissum a partibus ipsis factum, et plures terminos statuerimus eisdem partibus ad comparendum coram nobis, in quibus ipsi Druzacius et sequaces renuerunt contumaciter comparere, aliis intrinsecis continue in eisdem terminis comparenti-

bus, et ipsorum contumaciam accusantibus, ac petentibus procedi contra eosdem Druzacium et sequaces, qui mala malis accumulare non cessant. Ideoque attendentes quod obedientia nihil prodesset humilibus, si contemptus contumacibus non obesset, eosdem Druzacium et sequaces, licet absentes, replente Dei presentia eorum absentiam, sedentes, in his scriptis sententialiter condempnamus in refectione omnium dampnorum datorum per ipsos et complices eorundem ipsis intrinsecis de Albona, que iidem intrinseci legitime probare potuerint. Et ipsorum Druzacii et extrinsecorum bona refectioni dampnorum hujusmodi esse obnoxia declaramus. Eosque non parentes nostris mandatis, super hiis de quibus in nos compromiserant cum predictis intrinsecis, pronunciamus incurrisse penam in compromisso appositam.

Lata, lecta, et publicata fuit predicta sententia, ut supra per predictum D. Patriarcham pro tribunali sedentem Utini, in Patriarchali Palatio suo, anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo vicesimo octavo. Indictione XI. die X. mensis Februarii, presente Vasmigna de Albona notario, procuratore et sindico Communis et hominum intrinsecorum de Albona, et sententiam ipsam cum instantia postulante. Presentibus etiam testibus nobilibus et discretis viris Dominis Francischino de la Turre Marchione Istrie, Anfussio de la Turre de Mediolano, Georgio de Soppo de Pergamo, Sigibaldo de Ziniguasco de Papia, Gabriele q.m D. Henrighini de Cremona Notario, et multis aliis Clericis et Laicis ad hec vocatis et rogatis. A. N. U. o.

N. 488.

1328 11 *Febrajo.*

Parlamento in cui stabilita la custodia ed armamento del Friuli, si mette un' imposizione pel mantenimento della milizia, e vien inflitta una pena ai contumaci.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini amen. Anno Domini M.CCC.XXVIII. Indictione undecima, die undecimo mensis Februarii. Infrascripta facta sunt in Colloquio Generali celebrato Utini: in quo interfuerunt infrascriptæ notabiles persone:

D. Abbas Rosacensis.
D. Abbas Sextensis.
D. Ulvinus de Prampergo.
D. Odoricus de Strassoldo.
D. Odoricus de Cucanea.
D. Articus de Prampergo.
D. Ector de Utino.
D. Brisalia de Purcileis.
D. Gabriel de Prata.
D. Napinus De la Turre.
D. Carlevarius De la Turre.
D. Aufossius de la Turre.
D. Johannes de Villalta.

D. Federicus de Villalta.
D. Ludovicus de Cavoriaco.
D. Bernardus de Strassoldo.
D. Joannes de Cucanea.
D. Guarnerius de Cucanea.
D. Thomasutus de Pertenstain.
D. Rizardus de Valvasono.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Federicus de Savorgnano.
D. Jo. Franciscus de Castello.
D. Articus de Varmo.
D. Franciscus de Tercano.
D. Philippus de Portis de Civitate.
D. Franciscus de Manzano.
M. Joannes Medicus de Aquilegia.
M. Odoricus Not. de Utino.
Mapheus Not. de Aquilegia.
D. Guillelmus Magistri Gualterii de Civitate.

Ottolinus Guirch de Glemona; et aliorum quamplurium, tam Nobilium, quam Communitatum, ad dictum Colloquium specialiter congregatorum, multitudo copiosa. Propositis per Dominum Patriarcham in Colloquio predicto, quæ proponenda erant, benigne, ac diligenter, et provide super custodia totius terræ Forijulii, et fortificatione ejusdem, et maxime propter propinquum adventum D. Ducis Carinthiæ, et aliorum Baronum cum exercitu suo maximo; et super reformatione Aquilejæ, et reparatione status, et super facto Impositionis militiæ, et mostræ factæ, et illorum qui non interfuerunt dictæ mostræ; nec non super impositione Pedituum juxta decenas

ordinatas, ac etiam super omnibus et singulis reformatione indigentibus, et statum bonum, et utile totius Terræ contingentibus. Quesitum fuit ab omnibus more solito, quid consulebant, quidve videbatur agendum. Et tunc consultum fuit ab omnibus, et firmatum, quod ad evitandum pericula et damna quæ occurrere possent, et ad providendum super omnibus quæ proposita sunt per Dominum Patriarcham prædictum: Dominus Patriarcha habeat consiliarios suos, et quod illi Consiliarii eligant simul cum Domino Patriarcha sex vel octo, sicut eis videbitur, qui super his provideant, ordinent, et disponant, prout eis melius et utilus videbitur, et quidquid fecerint, ordinaverint, et mandaverint, valeat, ac teneat, ac si per totum Colloquium factum esset. Vocatis igitur statim omnibus Consiliariis antedictis, aliisque de Colloquio, et recedentibus in partem, provisum fuit per ipsos simul cum Domino Patriarcha; quod septem eligantur, qui habeant potestatem omnimodam antedictam. Et tunc electi fuerunt per ipsos infrascripti, durantes per tres menses.

D. Morandus de Purcillis, pro Prelatis.
D. Joannes de Villalta, pro Liberis.
D. Odoricus de Cucanea)
D. Articus da Prampergo) pro Ministerialibus.
D. Asquinus de Colloreto)
D. Federicus de Savorgnano pro Utino.
D. Paulus Bojanus pro Civitale, et pro Communitibus.

Facta igitur electione predictorum, et publicata ibidem cum toto Colloquio, finitoque dicto Colloquio: ipse

Dominus Patriarcha cum Consiliariis suis prædictis electis ascendit Palatium suum Patriarchale, et se traxit in partem in sala parva, ut ibi consuleretur et videretur, quid esset agendum. Et tunc primo provisum fuit super facto impositionis militie: Quod illi, qui non fuerunt in Mostra, requirantur iterum per litteras Domini Patriarchæ, ut die Dominica Ovorum omnes sint cum Elmis et Balestris sibi impositis ad faciendam dictam Mostram coram Domino Patriarcha, ubi erit: et quod contra non venientes procedatur ad exactionem pæne in præcedenti Colloquio ordinatæ. Contra vero illos de Pulcinico, qui nec venerint, nec se excusaverint, tanquam spernentes mandata Domini Patriarchæ, procedatur, et pignoretur super bonis suis: et quod Dominus Patriarcha de benignitate sua iterum ipsos de Pulcinico requirat, ut die Dominica Ovorum Mostram suam faciant cum aliis, et decennas super facto Peditum quas mittere voluerint, mittant ad dictum terminum; alioquin modo prædicto procedatur contra ipsos.

Secundo autem provisum fuit et firmatum ibidem dicta die: quod stratæ Aquilegiæ reparentur, et reaperiantur, ita quod currus et mercantiæ duci valeant, et quod Civitas illa fortificetur. Ad quæ complenda habeantur de massariis et hominibus villarum in quantitate illa quæ conveniat, super quo electæ fuerunt plebes multæ.

Tertio provisum et firmatum fuit ibidem dicta die: quod impositio peditum juxta decennas fiat, et quod pro qualibet decenna duo pedites habeantur, ut cum expedierit, si unus pro decenna non sufficeret, duo habeantur.

Die Veneris XII Februarii. Convenientibus insimul

cum domino Patriarcha in loco et sala predicta ad tractandum et providendum super prædictis, qui fuerunt:

D. Abbas Rosacensis
Morandus de Purcileis
Franciscus de la Turre
Odoricus de Cucanea miles
Articus de Prampergo miles
Hector de Utino miles
Napinus de la Turre
Joannes de Villalta
Asquinus de Colóreto
Federicus de Savorgnano
Magister Franciscus Nasuti.

Primo provisum et firmatum fuit, quod Terræ fortificentur et loca ubi fortificatione indigent, inter quas primo videatur de fortificatione Terræ Utini, in qua majus pondus et periculum immitet.

Item de Castris Faganeæ et S. Danielis. Item de Terra Sacili. Quod D. Franciscus de la Turre se fatiget usque Sacilum, et videat defectus ibidem, et ubi expediet fortificatio et reparatio, ibi fiat. Ad quæ agenda vocentur et habeantur homines villarum, quæ sunt ultra Tulmentum. Et quod Dominus Odoricus de Cucanea vadat ultra Tulmentum ad rogandum et requirendum Nobiles et alios universos habentes massarios ultra Tulmentum, ut de massariis suis mittant et serviant pro laborerio Terræ prædictæ Sacili.

Item provisum et firmatum fuit: quod cum Terra Medu-

næ vacua sit hominibus, et multa Custodia et fortificatione indiget, cum magna pars habitantium in ipsa, sit foris et dispersi per plura loca, aliqui ultra Liquentiam, et aliqui extra Liquentiam: Extrinseci primo expulsi redeant, et habiteut, ac gaudeant bonis suis: postquam illi de Panigali cum sequacibus suis, qui tanquam proditores Domini Patriarchæ et Ecclesiæ Aquilegensis sunt banniti, et quod Dominus Franciscinus de la Turre cum auxilio illorum de Prata et hominum qui sunt in Gualdo provideat super fortificatione dictæ Terræ.

Item provisum et firmatum fuit: quod crida fiat per Aquilegiam, Civitatem, Glemonam, et Utinum, et alia loca ubi expediet, quod usque ad Festam Resurrectionis Domini Cortinæ omnes existentes in Forojulio vacuentur blando, vino, et aliis rebus, et ad loca tuta et fortiora ducantur, cum hac conditione, quod bladum et vinum, et res prædictæ, finito transitu Teotonicorum, et periculo hujusmodi sublato, possint extrahere de Locis et Terris predictis in quantum pro eorum usum suffecerint, et non ultra libere, nullo datio, et nulla muta soluta.

Transacto autem termino Resurrectionis, debeat ire Dominus Federicus de Savorgnano et Dominus Asquinus de Coloreto cum uno ex familiaribus Domini Patriarchæ ad videndum et reparandum Cortinas predictas, et quidcumque in eis invenerint de blado et vino, detur, et assignetur per ipsos D. Patriarchæ.

Numerus autem Decennarum injunctarum inferius annotatur:

Aquilegia consignavit . . .	De.	XL
Civitatum	De.	CI.
Glemona	De.	C
Utinum	De.	CXXXVII
Maranum	De.	XXII
Moutfalconum	De.	XLIX
Gastaldia Flumiselli . . .	Dec.	X
Gastaldia Charisaci . . .	De.	XXXIV
Gastaldia Ajelli, Saciletum cum Gastaldia Ajelli	De.	LX
Gastaldia Mottæ . . .	De.	IV
Gastaldia Nebulæ . . .	De.	III
Gastaldia Manzani . . .	De.	XVI
Abbas Rosacensis . . .	Dec.	XVII
Capitulum Civitatense de Risano, et Cultelo consignavit . .	Dec.	IX
Item de Premariacco . .	Dec.	XIX
Gastaldia Landri . . .	Dec.	LII
Gastaldia Soffembergi . .	Dec.	XI
Gastaldia Faganeæ . . .	Dec.	CXLIV
Gastaldia Tricesimi . .	Dec.	L
Gastaldia Bujæ . . .	Dec.	XLV
Gastaldia S. Danielis . .	Dec.	XLVIII
Gastaldia Sedeglani . . .	Dec.	XIV
Capitulum Aquilegense consignavit in Palmata	Dec.	II
Item in Melereto . . .	Dec.	III
Item de S. Maria Longa . .	Dec.	IX
Item in Ronchis et Ronchiettis	Dec. II cum dimidio	
Mortelianum	Dec.	XX

Lavarianum	Dec.	IX
Abbatissa Aquilegensis dedit in Insula Tertii pro Villis Tertii, et S. Martini, Murices, et Cervignani .	Dec.	XVI
Gastaldia Tulmini . . .	Dec.	LXXXII
Tercentum	Dec.	XXV
Pinzanum	Dec.	X
Ragonea	Dec.	IV
Abbas Mosacensis . . .	Dec.	XXVII
In Canali Clusæ	Dec.	IV
Gastaldia Carneæ . . .	Dec.	CCLXX
Spilimbergum	Dec.	CXXXIII
Valvasonum	Dec.	XXX
Gastaldia S. Viti . . .	Dec.	XXV
Abbas Sextensis . . .	De.	XXII
Meduna	De.	XII
Prata	De.	XXX
Purcilium	De.	XLV
Pulcinicum	De.	XXX
Gastaldia Aviani . . .	De.	XLI
Item de Liberis de Maniaco .	De.	VIII
Item de Ministerialibus . .	De.	II
Item de Servis . . .	De.	I et med.
Sacilum	De.	VII
Canipa	De.	XIII
Susanum, Pers . . .	De.	X
Mels, Colloretum . . .	De.	XV
Tercanum, Morucium . .	De.	X
Villalta, Cavoriacum . .	De.	V
Fontana-Bona	De.	II

Castelerium	De.	III
Brazzacum superius - Brazzacum inferius	De.	III
Prampergum	Dec.	VIII
Savorgnanum, Cernedum . .	De.	VI
Cucanea	De.	X
Castellum	De.	V
Strassoldum	De.	V
Rivarota	De.	IV
Varmum	De.	VI
Brugnaria	De.	X
Villanova	De.	III

Summa Decennarum sunt Decennæ Duo Millia et quindecim, et media. A. C. U. c.

N. 489.

1328 18 *Febrajo Udine*

Protesta di Federico della Torre contro gli abitanti di Muglia.

Gubertino da Novate Can. P.

Die XVIII. Februarii. Presentibus Nobilibus viris D.D. Conrado de Benardigio Gastaldione Utini, Lanceloto de Birago, Federico Borela de Florentia, Jacobo de Paona testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Federicus de la Turre in presentia ven. viri D. Fratris Johannis abbatis Rosacensis Vicarii etc. protestatus fuit, Sceno de Mugla ibidem similiter

constituto, tanquam procuratore et Sindico Communis et hominum Terre sue de Mugla, de dampnis et expensis et interesse passis, et que in futurum patietur occasione illarum mille librarum parvorum, in quibus homines dicte Terre tenentur eidem pro salario Potestarie unius anni quo dictus D. Fridericus fuit dicte Terre potestas, nec non de injuriis et aliis dapnis illatis eidem in dicta Terra per homines supradictos de Mugla etc.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. C. F. o.

N. 490.

1328 24 *Febrajo Cividale.*

Giacomo di Masarvet giura di non più giocare.

Nicolò da Cividale Not.

Die VI. exeunte Februario in Burgo S. Dominici, apud domum Johannis infrascripti. Presentibus Dominico de Toryano, Zirulino de Rubignacco, Francisco Cerdone q.m D. Jacobi de Rubula, Leonardo filio Andree de Presteuto, et aliis.

Jacobus Cerdo q.m Pirucii de Masarvet promisit et juravit corporaliter ad sancta Dei Evangelia Jono fratri suo nunquam ludere, nec per se ludi facere, nec partem tenere cum aliquo ad ludum taxillorum, nec ad aliquem alium ludum; excepto quod possit ludere pro uno denario vini in die, et non ultra, cum conditione et pacto, quod si ipse ludet, aut per se faciet, aut

partem tenebit cum aliquo ad aliquem ludum, excepto quod pro uno denario vini in die, usque ad vitam suam, quod dictus Jonus frater suus valeat, et possit accipere de bonis suis ubicunque illa invenerit ad suum libitum voluntatis, sine nuntio et licentia alicujus Dominii etc. et de illis suam facere omnimodam voluntatem.
A. N. U. o.

N. 491.

1328 26 *Febrajo Cividale.*

Il Vicario del Patriarca chiama gli abitanti di Aviano a render ragione dell' Offerte usurpate nella Chiesa di S. Uliana.

Gubertino da Novate Can. P.

Petrus Mora Vicarius etc. Dilectis nobis universis et singulis Ecclesie Aquilegensis habitantibus de Aviano, ceterisque in circha dictis locis commorantibus, salutem in Domino. Conquestus est nobis Presbiter Olvradus rector Ecclesie S. Uliane de Aviano quod de Offertoriis, que dantur ei pro mortuis, et super altare ipsius Ecclesie offeruntur, sibi accipitis quandam partem, quod esse videtur contra debitum rationis. Quare vos pro primo, secundo, et tertio peremptorie monitionis edicto requirimus et monemus, vobis nihilominus sub excommunicationis pena districte precipiendo mandantes, quatenus dicta offertoria predicto Presbitero de cetero integraliter dimittatis, de acceptis usque nunc concor-

dantes cum eodem. Si vero jus aliquod accipiendi de dictis Offertoriis partem aliquam creditis vos habere, infra xv. dies post presentium presentationem, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, et reliquos quinque pro tertio, et peremptorio termino duximus assignandos, ubicumque fuerimus in Civitate, et Diooesi Aquilegensi legitime compareatis coram nobis, dicto Presbitero in justitia responsuri. Quod si dies termini fuerit feriata, sequens proxima non feriata pro termino habeatur. Alioquin, vestra absentia non obstante, contra vos procedemus in quantum poterimus justitia mediante. De presentium autem presentatione etc.

Datum Civitate xxvi. Februarii Indictione xi. C. F. o.

N. 492.

1328 4 *Marzo Aquileja.*
Pagano accorda al Conte di Veglia il passaggio ne' suoi stati per recarsi in soccorso di Cane della Scala.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Nobili et egregio viro amico nostro D. Frederico Comiti Vegle, Vindot, et Modrusch, Paganus etc. salutem cunctis felicitatibus affluentem.

Moram, quam apud nos traxit Zonus familiaris vester, gratam valde habuimus, nec expediebat quod excusaretis eum. Nam ad quecumque vestra servitia et nos etiam, si expediret, cum nostris omnibus veniremus. Que autem idem Zonus nobis ex parte vestra exposuit dili-

genter audita, sic ad ea breviter respondemus; quod cum D. Canis satis bene soleat obsequentibus sibi retribuere, dum non sit in indignatione S. Romane Ecclesie, nec contra ipsam veniat, contentamus et concedimus ut ad ipsius adjutorium accedatis. Per terram quoque nostram cum armis et sine transire potestis libere, per quam, si expediret, conduceremus vos propria in persona. Datum Aquilegie, die quarta martii. C. F. o.

N. 493.

1328. 5. *Marzo. Aquileja.*

Pagano compra da Isoja e figli di Prata i beni ch' essi avean ereditato nel territorio dei due Castelli in Istria.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die v.° mensis Martii. Aquilegie, in Patriarchali palatio. Presentibus testibus dominis fratre Johanne Abbate monasterii Rosacensis, et Petro Mora de Mediolano rectore Ecclesie S. Marie de Turri prope Mediolanum, Vicariis infrascripti D. Patriarche, Guillelmo Decano, et Raynaldo de la Turre Canonico Aquil. Morando de Porcileis, Nicolao de Prata, et multis aliis.

Nobiles viri D. D. Odorlicus et Izolinus fratres filii q.m D. Guezelonis de Prata pro se ipsis, et nomine, et vice Raynerii eorum fratris, ac nobilis D. Isoje matris eorum, uxoris dicti q.m D. Guezelonis, quorum procuratores existunt, ad infrascripta specialiter constituti, prout

apparebat per publicum instrumentum factum manu Stephani de Prata Imperiali auctoritate Notarii, anno et Indictione presentibus, die XIX intrante mense Februario, dederunt, vendiderunt, et tradiderunt venerabili patri D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, non nomine dignitatis, sed pro se, et quibus etiam dederit, vendiderit recipienti et ementi, domos, terras, possessiones, et jura quas, et que iidem D. Isoja, et filii habent, et ad eos pertinent quoquo modo in loco et territorio Duorum Castrorum Parentine Diocesis, ipsi D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi immediate mero imperio subjectis ac mixto, et que fuerunt q.m D. Henrici Merli fratris ejusdem domine Isoje, et ad ipsos dominam Isojam, et filios ex successione dicti D. Henrici, vel alia occasione quacumque pervenerunt, sive proprietatis existant, sive feudi, aut cujuscumque alterius conditionis. Item et omnes decimas, et jus decimandi, quas, et quod iidem domina et filii habent, et ad eos pertinent in toto territorio dicti loci de Duobus Castellis, et in quibus prefato q.m D. Henrico Merlo successerunt, ad habendum, tenendum et possidendum, et quidquid ei, et quibus dederit, aut vendiderit deinceps, placuerit perpetuo faciendum, cum omnibus et singulis, que infra suos continentur confines, cum accessibus, et egressibus suis, et omnibus et singulis que habent super se, aut infra, seu intra se in integrum, et cum omni jure et actione, usu seu requisitione sibi ex eis, aut pro eis, aut ipsis rebus venditis modo aliquo pertinente, proprium tamen pro proprio, et feudum pro feudo: tradendo et vendendo pro pretio ducentarum marcharum denariorum Frixachensium Aquil. monete, videli-

cet machas sexaginta pro decimis supradictis, et centum xl. pro domibus et aliis omnibus universis. Ita quod in hac venditione intelligantur venisse universa que habuit prefatus q.m D. Henricus Merlus in dictis locis et territorio, et habebat et possidebat tempore mortis sue, loco cujus dicti Domina et filii successerunt. Quod pretium iidem D. Odorlicus et Izolinus venditores, eorum nominibus, et quibus supra, confessi et contenti fuerunt se ab ipso Domino Pagano Patriarcha habuisse et recepisse, ac eis integre datum, solutum et numeratum esse: exceptioni sibi non dati, et non soluti pretii omnino renuntiantes; et constituentes se predicta omnia, nomine ipsius D. Patriarche et eorum quibus dederit, seu vendiderit, possidere, donec ipsorum possessionem acceperit corporalem; quam accipiendi sua auctoritate, et retinendi deinceps licentiam omnimodam contulerunt, atque dederunt. Promittentes iidem venditores eorum nomine, et quo supra, et per se, et eorum heredes dicto emptori pro se et quibus dederit, seu vendiderit stipulanti, litem, aut controversiem ei, aut eis, seu eorum heredibus de predictis venditis, seu parte ipsorum ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire; sed ipsa omnia et singula tam in proprietate, quam in possessione ei, et eis ab omni homine et universitate legitime defendere, auctorizare et disbrigare. Et predictam venditionem, et omnia et singula superscripta perpetuo firma et rata habere et tenere, et non contrafacere, vel venire per se aut per alium, seu alios aliqua causa, aut ingenio, de jure, vel de facto sub pena dupli extimationis rei empte, habita ratione meliorationis, que pro tempore fuerit sti-

pulanti permissa; qua soluta, vel non, rata maneant omnia superscripta. Item reficere sibi et suis heredibus omnia et singula dampna, et expensas, ac interesse litis et extra. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis obligaverunt eidem emptori, et quibus ut supra, dederit, aut tradiderit omnia bona sua, tam habita quam habenda. Et datis vuarentatoribus, seu fidejussoribus nobilibus viris dominis Nicolao de Prata, Biachino filio q.^{m} D. Pilii de Prata, et Johanne Francisco de Castello presentibus, ac D. Morando de Porcileis nomine dominorum Manfredi, Frederici dicti Brizalie, et Artici de Porcileis, a quibus super hoc habebat speciale mandatum, sicut constabat ibidem publico Instrumento facto manu Frederici de Cividate Belluni notarii, anno et indictione presentibus, die xix Februarii. Qui omnes et singuli ad preces dictorum venditorum promiserunt, ut ipsi venditores, omnia et singula superscripta manutenere et defendere dicto D. Patriarche, et quibus dederit sub ipotecha omnium bonorum suorum; quilibet tamen se obligando pro rata. Et renunciando omni juri quo adversus ea se possent defendere et tueri. Et insuper dicti Biachinus et Johannes Franciscus ad Sancta Dei Evangelia juraverunt nunquam contra venire ratione minoris etatis, vel aliqua causa, que dici, vel excogitari possit. Preterea dicti venditores eorum nominibus, et quibus supra, omnia et singula, que in predictis venditis invenerint esse feudalia Ecclesie Aquilegensis, resignarunt expresse in manibus dicti D. Patriarche, ut amodo de ipsis quemcumque voluerit investiat, et de ipsis ad suam faciat voluntatem. Promittentes eidem, sub pena et obligationi-

bus supradictis; quod infra tres menses, postquam provisum fuerit de Pastore Ecclesie Parentine nunc vacanti, in cujus Diocesi sunt Decime supradicte, et de feudo ipsius existunt, cum idem Pastor ad Sedem suam venerit, vel ubi possit commode adiri, resignabunt in manibus suis, aut habentis potestatem ab eo decimas supradictas, et procurabunt quod eas investiat ipsi emptori, aut ei, seu eis in quem, aut quos eas interim transferre contingeret. A. N. U. o.

N. 494.

1328 *7 Marzo Aquileja.*

Pagano dichiara che l' acquisto da lui fatto in Istria dai Sig.i di Prata non l' avea fatto per conto proprio, ma per conto di Sergio e Nassinguerra di Pola.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die VII. Martii. In Palatio superscripto Aquilegensi. Presentibus testibus ven. Patre D. Cantiano Dei gratia Episcopo Emonensi, dominis Petro Mora Rectore Ecclesie S. Marie de Turri prope Mediolanum, Vicario infrascripti D. Patriarche, Francischino de la Turre de Mediolano Istrie Marchione, Georgio de Soppo de Pergamo, Bernardo de Fixeraga de Laude, Sigibaldo de Zinnignasco de Papia, et multis aliis.

Ven. Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha confitens, ac protestans quod emptionem, quam

pridie fecit nomine suo proprio, et non dignitatis a nobilibus viris dominis Odorlico et Izolino de Prata fratribus, filiis q.m D. Guezeloni de Prata vendentibus eorum nominibus, et nomine D. Isoje matris et Rayneri fratris ipsorum, quorum erant procuratores, de omnibus domibus, terris, possessionibus, decimis et juribus quibuscumque quas, et que habebant in loco et territorio de Duobus Castellis Parentine Diocesis, et ad eos pervenerant ex successione q.m D. Henrici Merli fratris dicte D. Isoje, seu alia quacumque de causa, sicut de ipsa emptione constat per publicum Instrumentum factum per me Eusebium notarium infrascriptum, die v. presentis mensis Martii, non fecit animo retinendi sibi empta, nec de sua pecunia pretium solvit, sed de pecunia propria nobilium virorum dominorum Sergii et Naxinguerre de Castro Pole, et eo animo, ut illa transferat in ipsos, cessit, dedit, transtulit atque mandavit Bartholomeo q.m Domini Dominici de Pola procuratori dictorum dominorum Sergii et Naxinguerre ad hoc specialiter constituto, sicut apparebat per publicum Instrumentum factum manu Adalgisii filii Leonis Notarii Imperiali auctoritate notarii, anno et indictione presentibus, die xviii. mensis Februarii, presenti et recipienti nomine ipsorum Dominorum et heredum ipsorum, omnia et singula jura et actiones reales et personales, utiles, et directas sibi aquisitas, et ad se spectantes, aut que, aut quas habebat, aut habere poterat ex venditione jam dicta in se, ut premittitur facta, et in ipsis rebus et juribus venditis, et contra venditores et defensores, seu fidejussores eorum. Constituens ipsum Bartholomeum

nomine eorundem dominorum Sergii et Naxinguerre procuratorem, ut in rem suam, et ponens ipsum et ipsos principales in locum suum. Ita quod amodo ipsis rebus emptis et traditis uti valeant, et de ipsis facere quidquid voluerint, sine contradictione cujuscumque persone, prout ipse D. Patriarcha poterat ex contractu emptionis jamdicte. Et insuper eundem Bartholomeum, jam dicto nomine cum uno capulio quod tenebat in manu investivit de omnibus rebus et juribus in venditione hujusmodi comprehensis que reperirentur esse di feudo suo et Ecclesie Aquilegensis, eo modo et forma quibus fuerant jamdicto q.^m^ D. Henrico Merlo, et suis predecessoribus investita. A. N. U. o.

N. 495.

1328 8 *Marzo Aquileja.*

Il Castello del Taglione nella Diocesi di Bergamo è accordato dal Patriarca Pagano a Isnardo De Collioni.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die VIII. Martii. Ven. Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, ob devotionem et fidem quas nobilis vir D. Isnardus filius q.^m^ D. Frederici da Collionibus de Pergamo, et progenitores sui habuerunt semper et servaverunt S. Romane Ecclesie; nec non propter grata et accepta servitia, que idem Isnardus ipsi D. Patriarche tempore novissimo existenti in partibus Lombardie pro

negotio S. Romane Ecclesie supradicte impendit, ut idem D. Isnardus et sui tanto ferventius ad ejusdem S. Matris Ecclesie, et Ecclesie sue Aquil. devotionem et servitia accendantur, quanto magis ab ea se perspexerint honorari, dedit et concessit in feudum, et jure Feudi eidem D. Isnardo pro se, et suis filiis, et nepotibus, et omnibus ex eis descendentibus legitime per lineam masculinam, dummodo in nullam aliam personam extraneam transferatur, Castrum suum et Ecclesie Aquilegensis quod dicitur de Taliono, Pergamensis Diocesis, quod semper extitit feudale, et quod libere ad ipsum D. Patriarcham pervenit, eo quod illi qui ipsum tenebant in feudum, sibi et ipsi Ecclesie Aquilegensi que debebant facere non fecerunt, cum omnibus terris, possessionibus, juribus, jurisdictione et honore ad ipsum Castrum pertinentibus. Ita tamen quod iidem D. Isnardus, filii, et nepotes ipsi D. Patriarche, et suis Successoribus solvant, et faciant que predicti, qui Castrum ipsum tenere solebant in feudum, facere et solvere tenebantur. Et pro ipsis D. Isnardo, filiis, et nepotibus investivit de hujusmodi feudo cum uno caputio quod tenebat in manu, discretum virum Ambrosium filium q.m Gratiadei de Leffe de Pergamo procuratorem ejusdem D. Isnardi ad hoc specialiter constitutum, sicut apparebat per Instrumentum publicum factum manu Rodulfi Fare Bordonum Notarii anno Domini MCCCXXVII. indictione X. die XVII. mensis Decembris, ibi presentem, et pro ipsis D. Isnardo, filiis, et nepotibus recipientem. Dans eidem procuratori, et per eum ipsi D. Isnardo licentiam et auctoritatem accipiendi et retinendi possessionem Castri et omnium predictorum; ac promit-

tens per se et successores suos eidem procuratori, dicto nomine recipienti, legitima stipulatione interveniente, litem, vel controversiam eis de predictis investitis de cetero non inferre, nec inferrenti consentire, sed et omnia et singula ipsis facientibus, et servantibus que continentur superius, et fidelitatem quam Domino tenentur servare vassalli, ab omni homine et universitate legitime defendere, auctorizzare et disbrigare, et predictam concessionem, et omnia et singula superscripta perpetuo rata et firma habere et tenere, et non contrafacere, vel venire per se, vel per alium, aliqua ratione vel causa, de jure aut de facto, sub ypotheca omnium bonorum suorum et Ecclesie Aquilegensis predicte. Idem vero procurator, nomine supradicto, de fide, atque fidelitate servanda ipsi D. Patriarche et Successoribus ejus canonice intrantibus in omnibus et per omnia, ut vassallus domino suo jurat, solempnem promissionem fecit, et corporale in animam ejusdem D. Isnardi prestitit juramentum. In cujus rei testimonium ipse D. Patriarcha hoc instrumentum publicum fieri jussit, et sigilli sui appensione muniri.

Actum Aquilegie in Patriarchali palatio; presentibus testibus ven. et nobilibus viris D. Fratre Johanne abbate Monasterii de Rosacio, et Jacobo de Carrara Canonico Civitatensi Decretorum doctore, Francischino de la Turre de Mediolano, Georgio de Soppo de Pergamo, et multis aliis. A. N. U. o.

N. 496.

1328 *Aprile.*

Intimazione al Vicario e Capitolo di Parenzo di compensare i sudditi del Patriarcato dai danni loro accagionati dal loro Vescovo.

Gubertino da Novate Not.

Paganus etc. Prudentibus viris ... Vicario, Parentina sede vacante, et ipsius Ecclesie Capitulo, salutem in Domino.

Meminimus prudentie vestre dedisse districte in mandatis sub excommunicationis pena, quod omnia bona et res, quas Frater Gratiadeus, quondam Episcopus vester de loco S. Antonii Aquilegensis Diocesis, quem sibi gratiose commiseramus, in dampnum ipsius loci et vituperium nostrum fraudolenter, et malo modo exportavit, et plures quantitates pecuniarum a pluribus civibus Aquilegensibus mutuo acceptarum, quas brevi tempore post earum receptionem solvere promiserat, dapnabiliter, et in anime sue periculum, et dictorum civium non modicum detrimentum, contra promissa sua retinuit usque ad obitus sui diem, solvere et satisfacere loco et personis suprascriptis infra dictum terminum debetis. Supra quibus litteris nobis respondistis, quod loco, et dictis personis libenter satisfacere volebatis, sed ad presens donec exigeretis a debitoribus Episcopatus, non poteratis; supplicantes nobis quod a processu supradicto contra vos usque ad

aliquod tempus desistere dignaremur. Qua propter vestris supplicationibus inclinati, processum prefatum usque ad tres dies post festum Sancti Johannis Baptiste proxime futurum, tenore presentium duximus suspendendum, mandantes vobis sub pena predicta, quatenus loco, et personis prefatis, infra dictum terminum de bonis et pecuniis predictis solvere et satisfacere integraliter debeatis. Alioquin, elapso dicto termino, si non facietis quod mandamus, contra vos ad excommunicationis sententiam, et ad alia nostra remedia procedemus. C. F. o.

N. 497.

1328 5 *Aprile Gemona.*

Pontatico della Chiusa acquistato da Enrico di Prampergo.

Stefano Romano Valconio Not.

Die v. intrante Aprile. Presentibus D. Lappo de Amideis de Florentia, Hermano Notario, Petro de Altaneto, Ottolino dicto Vire, Nicolao Pucino Notario testibus de Glemona, et aliis.

D. Johannes q.^m D. Solridi de Artenea pro se etc. ac pretio septuaginta octo marcharum Denariorum Aquilegensium difinito, soluto etc. in perpetuum, feudum jure feudi, et proprium jure proprii dedit, vendidit, tradidit, et investivit Nobili Viro D. Henrico militi de Prampergo etc. totum Pontasium quod exigit in Sclusa D. Francisci et Henrici fratrum q.^m D. Mathie de Glemona, cum introitibus et omnibus juribus etc. sibi in dicto Pontasio etc.

pertinentibus et spectantibus jure dominii, utilitatis, et honoris, de jure, aut de facto etc. et si plus valeret, dedit etc. donationis nomine, que dicitur inter vivos, etc. ad habendum, tenendum, exigendum, possidendum, dandum, donandum etc. et quidquid dicto D. Henrico, suisque heredibus etc. omnino de dicto Pontasio Scluse predictorum Francisci et Henrici etc. placuerit faciendum, absque contradictione predictorum D. Johannis, ejusque heredum, aut alterius persone etc. salvo jure Vassallitii etc. promittens namque dictus D. Johannes etc. dicto D. Henrico, suisque heredibus etc. dictam venditionem etc. omnino firmam et ratam habere etc. et eundem in ratione erga quamlibet personam manutenere etc. et non contra facere, dicere, aut venire per se, aut per alias interpositas personas, sub pena dupli valoris dicti Pontasii etc. cum obligatione omnium suorum bonorum etc. Nuntius tenute datus fuit D. Hermanus testis dictus.

Actum Glemone, in statione Jacobi Angoleani apud forum. A. N. U. o.

N. 498.

1328 21 *Aprile Cividale.*
Il Parroco di Chirpuch è colpito di Scomunica.

Gubertino da Novate Can. P.

Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius etc. universis et singulis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Plebanis, Vicariis, ceterisque Eccle-

siarum Rectoribus, et ministris per Aquilegensem Diocesim constitutis ad quos presentes pervenerint, salutem in Domino.

Dudum districte dedimus in mandatis sub excommunicationis pena presbitero Mathie Plebano S. Martini de Chirpach prope Gillam Aquilegensis Diocesis, quatenus infra certum terminum jam elapsum, xxvi. libras parvorum, in quibus tenebatur Johanni Justano de Tumetio, persolveret, aut coram nobis dicto termino legitime comparere deberet quare ad hujusmodi pecunie solutionem non tenetur, causam, si possit, legitimam ostensurus; quorum neutrum facere procuravit, nostra mandata penitus vilipendens. Propter quod, ejus contumacia et inobedientia exigente, in ipsum excommunicationis sententiam duximus promulgandum. Quare vobis districte precipiendo mandamus sub excommunicationis pena, quatenus eundem Presbiterum Mathiam diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis, candelis accensis et extinctis, in Missarum solempniis, coram populo in Ecclesiis vestris, excommunicatum, et a Christi fidelibus evitandum publice nuntietis, quousque de dicta pecunia, dampnis et expensis passis per ipsum Johannem occasione ejusdem pecunie, sibi integraliter satisfecerit, ac nostris et Ecclesie mandatis humiliter compareat pariturus.

Datum Civitate xxi. Aprilis. A. N. U. o.

N. 499.

1328 27 *Aprile Cividale.*

Super treugis fiendis, et fractis puniendis.

Codice. Belgrado.

Anno Domini M. CCC. XXVII. Indictione XI. die tertia exeunte Aprili. Sub D. Sagino de Parma Castaldione Civitatis. Ordinatum extitit et firmatum: si aliqua Mescla, fiet in Civitate et jura, quod D. Gastaldio, aut ille qui gesserit vices suas, aut Provisores Communis, sive aliquis eorum, constringat partes ad faciendum treugas ad terminos consuetos, videlicet ad octavas S. Georgii, et octavas S. Michaelis. Sed si nullus eorum fuerit, tunc quilibet Consiliarius Communis Civitatis possit precipere, et treugas facere ad minus per octo dies: ita quod quilibet predictorum precipere possit, et precipiant partibus ut treugas faciant, faciendo ipsis partibus, et cuilibet earum discrete et distincte primum mandatum sub pena XX marcharum, et postea secundum mandatum sub pena XL. Marcharum, et deinde tertium mandatum sub pena LX. Marcharum et ulterius, prout ipsi Castaldioni, aut suo Vicario, aut Provisori, aut Provisoribus, aut Consiliario bona fide videbitur expedire; ita tamen quod de superabundanti centum et quinquaginta librarum remaneat in arbitrio et taxatione Consilii Civitatis. Et si talis requisitus ad faciendum treugas nollet facere treugas, et exiret Terram, ad annum et diem debeat stare extra Terram, dato quod postea vellet venire

et facere treugas: de quibus mandatis si non fuerint observata antequam discedatur a loco sine fraude, due partes cedant Communi, et tertia pars Castaldioni; et nihilominus Dominium, illum, aut illos qui treugas facere noluerit teneatur capere de persona, et detinere captum donec treuge facte fuerint, et donec facta fuerit securitas de solvendis dictis bannis, seu penis infra octo dies sequentes, non obstante si habuerit facultates, seu bona ad solvendum dictas penas, aut non; hoc tamen salvo quod populares qui faciunt pedites pro Communi solum ad medietatem dictarum penarum, et que in hoc Capitulo continentur, teneantur si in illas itidem se dimittent, quilibet loco Dominii possit treugas recipere; et quod vicini qui faciunt angarias, seu vicinitatem pro Communi non teneantur, nec compellantur facere aliam securitatem quando treugas facient, nisi sub pena quinquaginta librarum Veronensium, et manus: salvo si alias treugas fregerint; et si videtur periculum imminere, ab eis sub majori pena pecuniaria securitas recipiatur, prout domino Castaldioni et Consilio videbitur expedire. Forenses autem faciant securitatem per fidejussores de observandis treugis, aut statim recedant a Terra, et districtu Civitatis: alioquin de personis capiantur, et detineantur capti donec per Castaldionem et Consilium aliud fuerit ordinatum. Si vero aliquis quicumque fuerit, exiverit de Terra Civitatis, ut evitet treugas facere, precipiatur domui habitationis sue, si eam in Civitate aut jura habuerit, seu proclametur voce Preconis apud domum Communis sub dictis penis mandatorum, ut infra quatuor dies compareat coram Dominio, et faciat dictas treugas, quas si non fecerit in L

libris parvulorum Veronensium, et proclametur ad scalas, et secundo similiter, et tertio similiter: aut si infra dictum tempus per se aut suos amicos vindictam fecerit, aut processerit contra illum, aut amicos illius cum quo brigam habuit, condempnetur ac puniatur in pena pecuniaria, ac si treugas fregisset, et illas indebite violasset. Preterea si aliquis per se, aut suos amicos, aut fautores treugas per eum factas fregerit contra illum cum quo brigam habuerit, aut suos amicos, summarie audiantur probationes et jura partium, et in Consilio terminetur, et condempnetur, et solvat ille qui caput et principalis fuerit ducentas libras Veronensium parvulorum Communi, et quilibet qui ei astitit solvat Communi centum libras Veronensium parvulorum. Si vero aliquis ex amicis illius qui treugas fecit, treugas fregerit, solvat Communi ducentas libras Veronensium parvulorum, et quilibet qui ei astitit solvat Communi centum libras Veronensium parvulorum. Et insuper ille qui treugas fecit et ipsas fregerit, seu alius qui eas fregerit solvat pro pena treugarum fractarum L. libras Veronensium parvulorum: videlicet medietatem Castaldioni, et aliam medietatem illi contra quem treuge fracte fuerunt, salvo si ultra id Commune eum, aut eos noluerit condempnare: et salvo quod omissione manus procedatur per laudum et sententiam, prout antiquitus fieri consuevit. Pena quoque pecuniaria que ex treugis fractis debetur Communi, statim condempnatione facta, solvatur Communi, aut ille qui treuguas fregerit cum Camerario Communis taliter se concordet, quod Camerarii Communis contententur ipsam pecuniam habuisse: alioquin violator treugarum, aut cum suis bonis, aut

per detentionem sue persone compellatur statim ad ipsam pecuniam persolvendam. Si vero aliquis Consiliarius in contrarium pro ipso rogaverit, aut dixerit de parcendo, aut induciando, aut alia faciendo contra predicta, solvat Communi pro qualibet vice, et pro quolibet eorum unam Marcham denariorum Aquilegensis monete; et nihilominus contra dilinquentem et delinquentes, ut dictum est, procedatur. Si autem uxor, aut filia illius qui treugas fecerit, illas infregerit, maritus, aut pater ejus, si fecerit militiam pro Communi, centum libras Communi solvere teneatur; sed si fecerit peditem pro Communi, quinquaginta libras Communi solvere teneatur, et nihilominus hujusmodi femine ad voluntatem Consilii condempnentur, secundum delicti et negotii qualitatem. o.

N. 500.

1328 28 *Aprile Portogruaro.*

La custodia della Festa di Teglio è pel sopradetto anno affidata ad Enrico Squarra.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem M.CCC.XXVIII. Indictione XI. die tertia exeunte mense Aprilis. Presentibus venerabilibus viris D. D. Odorlico Decano, Guilielmo Preposito Concordiensis Ecclesie, Matio de Toppo Canonico ejusdem Ecclesie, Thommasino q.m Nicolai dicto Zibilino de Portugruario testibus rogatis et vocatis, et aliis.

Reverendus in Christo pater et D. D. Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus, hac protestatione premissa, videlicet quod per commissionem infrascriptam nullum sibi aut Ecclesie sue prejuditium generetur, de gratia speciali commisit et concessit D. Henrico Squarre de Portugruario ibidem presenti, ut, pro isto anno tantum, nomine ipsius D. Episcopi et Ecclesie sue predicte, custodire deberet et posset festum ville sue de Tileo Concordiensis Diocesis; mandans maxime familie sue, ac omnibus suis subditis et Episcopatus sui predicti, ut eidem Domino Henrico, et etiam offitiali suo in hac parte constituto, in omnibus obedire deberent.

Qui D. Henricus consentiens hoc modo et nomine quo supra, suscepit custodiam prelibatam. Actum Portugruarii in loco Fratrum Minorum.

Et ego Zanutinus de Concordia Imperiali auctoritate et ipsius Concordiensi D. Episcopi predicti Notarius predictis interfui, et de mandato dicti D. Episcopi, ac rogatus suprascripti. A. C. P. o.

N. 501.

1328 28 *Aprile Cividale.*

Aggiunte fatte allo Statuto della Città.

Codice Belgrado.

M. CCC. XXVIII. Indictione XI. die III. exeunte Aprili. Per Statutarios addita fuit pena Communi contra principalem homicidam in trecentis libris veronensium parvulorum.

Contra violatores et seductores Mulierum.

Si quis violaverit, aut attemptaverit violare aliquam virginem aut feminam honeste viventem, aut maritatam, aut acceperit in uxorem aliquam ipso habente aliam uxorem vivam, solvat Communi libras cc. Veronensium parvulorum, salvo jure Dominii. Quod si solvere non posset, capiatur de persona, et teneatur in carcere donec solverit. Pro suis expensis Communi VIII. Veronenses, quotidie solvere teneatur, et si evaserit, sit in banno Communis donec pecuniam solverit predictam, et proclametur ad scalas secundum formam condempnationis infra decem dies.

De non emendis uvis Rabiole ante Vindemias.

Nullus ante tempus vendemiarum accipiat et apportet ad vendendum uvas Rabiole de Collibus, et si quis contra fecerit, quilibet possit illas accipere et habere sine fraude. Nullus vero vicinus et de districtu Civitatis emat hujusmodi uvas, nec in curtinis, aut alibi de illis vinum faciat. Et si contra fecerit perdat vinum hujusmodi. Cujus tertia pars sit Provisoris Communis, tertia Communis, et tertia accipientis, seu prius intromittentis.

Item quod nulla persona de Civitate aut forensis uvas terrani in cisis in Civitate et jura et villis circumstantibus emat pro faciendo vino. Et qui contra fecerit mediam Marcham Communi solvere teneatur, et perdat vinum sic factum. Cujus tertia pars sit Communis, et tertia Provisorum Comunis, et tertia accipientis. o.

N. 502.

1328 3 *Maggio Cividale.*

Procura del Patriarca nella Causa da lui mossa al Doge e Comune di Venezia innanzi a' Conservatori Pontificj.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die tertio mensis maii. In Civitate Austrie. In Patriarchali Palatio: presentibus testibus suprascriptis D. Abbate Rosacensi Vicario, Dominis Frederico dicto Brizalia de Porcilis, et Johanne de Laxano Mediolanensi Gastaldo Aviani. Venerabilis pater D. Paganus Patriarcha predictus, suo nomine et Ecclesie sue Aquilegensis, fecit et constituit suos, et ejusdem Ecclesie procuratores venerabilem virum D. Georgium de Caymis ordinis mediolanensis, et Paulinum de Caurono de Mediolano Clericum absentes tanquam presentes, et utrumque ipsorum in solidum, ita quod occupantis conditio melior non existat, sed quod unus incepit alter resumere valeat et complere, in causa quam idem D. Patriarcha movere intendit contra D. Ducem et Commune Venetiarum, ac in omnibus aliis suis causis motis et movendis in posterum coram Conservatoribus sibi a Sede Apostolica deputatis, aut aliquo eorundem, et coram quocumque alio judice Ecclesiastico aut seculari, ordinario vel delegato, ad agendum et defendendum, libellum dandum et recipiendum, litem contestandum, exceptiones cujuslibet generis, et crimina, et

deffectus opponendum, juramentum de Calumpnia et alterius cujuscumque generis opportunum et licitum in animam suam prestandum, ponendum et respondendum, testes et Instrumenta producendum, sententiam et sententias audiendum, et ab ipsis, si opus fuerit, appellandum, et appellationes etiam prosequendum, unum, et plures procuratores loco sui constituendum, seu substituendum, et substitutum, vel substitutos removendum, ac officium procuratoris hujusmodi in se resumendum, et omnia alia et singula faciendum que ipse D. Patriarcha facere posset si personaliter interesset, et que hujusmodi causarum, merita postulabunt, etiamsi mandatum exigerent speciale, concedens eisdem procuratoribus, et cuilibet eorum in solidum in premissis omnibus et singulis et dependentibus ab eisdem, liberam et generalem administrationem, et liberum et generale mandatum, et promittens mihi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine et vice omnium quorum interest aut intererit, se ratum et gratum perpetuo habiturum quidquid per eosdem procuratores, aut alterum ipsorum, aut substitutum, aut substitutos ab eis, vel ab altero ipsorum in premissis, et quolibet premissorum actum fuerit sive gestum; et volens ipsos procuratores et utrumque ipsorum, ac substitutum et substitutos ab eis, et altero eorum, relevare ab onere satisdandi de judicato solvendo, promisit pro eis et quolibet eorum juditio sisti, et judicatum solvi cum omnibus suis clausulis; fidem jubendo solempniter pro eisdem sub ypotheca omnium bonorum suorum, et Ecclesie Aquilegensis sue. A. N. U. o.

N. 503.

1328 4 *Maggio.*

Composizione delle differenze intorno i Confini del Distretto di Caneva per parte del Patriarca di Aquileja, e il Distretto di Crudignano per parte di Rizzardo da Camino.

Verci Doc. 1083.

Millesimo tricentesimo vigesimo octavo, Ind. xi. die iv. Madii, presentibus ser Thomasio, ser Angelo, ser Alexio notario, Johanne della Turre omnibus de Canipa, ser Clemente de Sarmigio, Fredo de Rugolo, Blaxio della vigna de Crudignano, Hodrigello de Sancto Cassiano, Petro de Mariono, et aliis pluribus testibus vocatis, et rogatis. Cum quedam questio verteretur inter Dominium, et Comune Canipe, videlicet per Raymondum de Sacillo, et ser Jacobinum de Canipa Sindicos, et procuratores electos et constitutos a Dom. Patriarcha Pagano Aquilegensi ex una parte, prout de dicta procura dicitur contineri manu Gabrielis Notarii de Utino scripta; et inter Dominium, Commune et Homines de Pulcinicho, videlicet, Dominum Johannem, et Biaquinum pro se, et eorum consortibus ex alia: ac etiam inter ser Federicum della Costa Gastaldionem Crudignani Sindicum et Procuratorem electum, et constitutum a Nobili Dom. Dom. Rizzardo de Camino pro se, et nomine Comunis et, Hominum Crudignani ex altera, ut continetur carta manu Gabrielis Notarii de Vignota; communiter, concorditer, et

amicabiliter predicti Sindici et Procuratores nomine et vice confinium, et dicernitionum a Domo Aquilegensi super districtu Canipe, et a Domo de Camino super districtu Crudignani, presentibus partibus, volentibus, et consentientibus, in hunc modum et formam unamquamque suam fecerunt divisionem, dicernitionem, et terminationem super districtibus Canipe et Crudignani, testibus ad hec juratis, et examinatis, videlicet, Incipiendo predictos confines a nemore Faedi, et veniendo, et descendendo per confines montis Faedelli directe, et firmando per Montes Petre Majoris usque ad nemus Buschiani, et quod super predictis confinibus suis unaqueque Pars admodo possit libere, et eorum arbitrio de omnibus dampnis, injuriis, et violentiis datis, et factis super dictis confinibus pignorare, salterare, garetare, et rationem facere sine contradictione partis adverse: obligantes dicti Procuratores, et sindici ad invicem, et inter se, nomine dictarum terrarum et Comunitatum, exceptioni doli, mali, conditioni in factum, et omni alii legum auxilio omnimode renunciantes. Actum super dictis montibus dictorum Confinium.

N. 504.

1328 8 *Maggio Udine.*

Bernardo di Strossoldo ed altri Nobili del Friuli si costituiscono mallevadari al Patriarca per Biachino da Camino intorno alla restituzione di Meduna e di S. Steno.

Gubertino da Novate Can. P.

Anno MCCCXXVIII. Indictione XI. die 8. Maii. Presentibus venerabili viro D. Petro Mora Vicario, Zonfredino

de Opreno Vicedomino D. Patriarche infrascripti, Paulo q.m D. Boyani de Civitate, Francisco de Manzano testibus, et aliis. Nobilis vir D. Bernardus de Strassoldo securitatem prestitit obligando se, et omnia sua bona presentia et futura in manibus Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, sub pena ducentarum et quinquaginta Marcharum Aquil. novorum pro Nob. viro D. Biachino de Camino, quod idem D. Biachinus custodiet bona fide ad honorem D. Patriarche predicti Terram et Castrum de Meduna et S. Steni, ipsaque loca sibi, et suis nunciis aperiet quotiescumque postulaverit, ac ipsi D. Patriarche consignabit libere loca ipsa, salvo et reservato hoc solo; si dicta Terra Medune sibi per vim acciperetur, et tunc teneatur notificare eidem D. Patriarche obsidionem, si qua fieret dicte Terre, per aliquos dies antequam redderet ipsam: castrum autem S. Steni reddere teneatur in omnem eventum. Post decessum autem D. Patriarche Capitulo Aquileg. loca ipsa restituere teneatur, seu ejus Successori ad ipsorum petitionem et requisitionem etc. Actum in Palatio Patriarchali.

Die predicto, presentibus nobilibus viris D. Francisco de la Turre Istrie Marchione, Napino de la Turre, Hermacora de la Turre nepotibus D. Patriarche infrascripti, Federico de Savorgnano, Magistro Odorico et Francisco Nassutti Not. de Utino testibus, et aliis. Nobiles viri D Odoricus milex de Cucanea et Sbrizalia de Porcileis prestiterunt similem securitatem in manibus dicti D. Patriarche de ducentis et quinquaginta marchis novorum pro utroque eorum. Actum Utini, in Patriarchali Curia.

Die VIII. Maii. Presentibus venerabili viro D. Francisco de la Turre Preposito S. Odorici supra Tulmentum, Nobilibus viris D. D. Fridigino de la Turre, Francino de Laude not. et Jacobino de la Turre testibus, et aliis. D. Hector de Savorgnano prestitit similem securitatem de ducentis et quinquaginta marchis novorum in manibus dicti D. Patriarche. Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 505.

1328 10 *Maggio Udine.*

Pagano reclama da quei di Villacco un compenso pei danni da essi apportati ai sudditi del Patriarcato, e propone un aggiustamento.

Gubertino da Novate Can. P.

Paganus etc. Prudentibus viris ... Judicibus, Consilio et Communi de Vilaco dilectis nostris salutem, et omne bonum.

Significarunt nobis Prior Hospitalis S. Spiritus de Glemona, et Nobiles de Prampergo Patroni dicti Hospitalis, quod vos nuper communiter et divisim accessistis ad quandam villam nomine Ecclesiam dicti Hospitalis, sitam in confinibus nostris, et vestris, et ibi omnia bona massariorum dicti Hospitalis accepistis, ac de ipsis hominibus bene xxx. cepistis, quos adhuc detinetis indebite captivatos, aliaque multa enormia contra ipsos, et eorum familias commisistis quod nobis non modicum no-

veritis displicere. Quare prudentiam vestram requirimus, et rogamus quatenus, si vultis vestros homines et concives esse salvos et custoditos penes nos, ac eorum malefactores per nos puniri; quod libenter faciemus cum casus evenerit, dictos homines relaxare, et bona eisdem per vos accepta libere et integre restituere placeat. Quibus peractis, ad nos mittatis unum de vestris cum quo deputabimus unum de nostris, non ad petitionem Hospitalis, nec illorum de Prampergo, sed qui pacem et bonam concordiam inter vos, et ipsos affectabit, et videbit de vestris et suis juribus, que habet utraque pars in dicta villa. Super qua si reperiet justitiam vos fovere, prefatos nostros a molestiis et gravaminibus omnibus contra vestros acquiescere faciemus; quod quidem facere placeat erga nostros, si reperietur ipsos in justitia fore potiores. Datum Utini. x maii. Indictione xi. C. F. o.

N. 506.

1328 13 *Maggio Udine.*

Pagano conferma il Privilegio concesso dal Patriarca Bertoldo alla Chiesa di S. Nicolò di Sacile.

Gubertino da Novate Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, universis presentes inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Universitati vestre volumus esse notum, quod volentes postulationibus subvenire. viso et undique diligenter inspecto quodam Privilegio bone memorie Bertoldi Patriarche Aquilegensis, sigillo ejus cereo pendenti, non corrupto, non vitiato, nec in aliqua sui parte suspecto, nobis per dilectum filium Sygebaldinum Plebanum Ecclesie S. Nicolai de Sacilo exhibito, ipsum de ejusdem Plebani instantia et suplicatione humili per manum infrascripti Notarii nostri transcribi, et innovari precepimus: Volentes, decernentes, et statuentes, ut hoc ejus transumptum, sive exemplum eandem vim habeat, eundem vigorem, ac idem robur obtineat per omnia, quod originale predictum noscitur obtinere, etiam si illud nunquam in posterum appareret; utque idem Sygebaldinus Plebanus, et ejus successores eandem a nobis auctoritatem habeant compescendi per Censuram Ecclesiasticam detemptores jurium et possessionum dicte Ecclesie, Canonica monitione premissa; nec non violatores dictorum jurium et possessionum, seu contradictores et rebelles, quam idem noster Predecessor q.^{m} Bono ejusdem Ecclesie Plebano, et ejus successoribus per Privilegium ipsum noscitur concessisse. Cujus tenor talis est:

Bertoldus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, dilecto filio Beno Plebano Ecclesie S. Nicolai de Sacilo salutem, et benedictionem in Domino. Prudentia tua nobis cum instantia multa supplicavit frequenter, ut per scripta nostra, sigilli nostri roborata munimine, per que tibi, et successoribus tuis, ac aliis in posterum manifesta pateret veritatis cognitio, te cautum facere dignaremur, certificantes in illis, prout opinio nostra tenet,

nostraque jura fatentur si Ecclesia Beati Nycolai de Sacilo predicta, que immediate spectat cum omni jure suo ad Ecclesiam Aquilegensem, et nos, maxime quia inter Concordiensem Diocesim et Cenetesem ibidem sita est, habere debeat Populum et Cimiterium proprium, ac sit Ecclesia Baptismalis, nec non exemptionis gaudeat libertate. Preterea cum etiam non constet per scripturas publicas, quibus juribus et possessionibus dicta Ecclesia, cujus es tu Plebanus et Pastor, dotata fuerit ab antiquo, supplicasti nobis humiliter et instanter, ut saltem ex notitia quorundam Privilegiorum Aquilegensis Ecclesie, quibus fit mentio de premissis, dignaremur te reddere certum per eadem scripta nostra plenius in hac parte, ne deffectu talium scripturarum, ipsa Ecclesia de Sacilo super aliquibus juribus et possessionibus suis damnum pateretur, seu aliquod detrimentum.

Nos vero devotionis tue supplicationibus inclinati benigne, quas in Domino plurimum commendamus, tenore presentium, sicut per quedam Privilegia nostra didicimus, te, ac successores tuos, et universos hac litteras inspecturos scire volumus manifeste:

Quod temporibus illis, quibus vir illustris bone memorie Dux Henricus, qui licet de genere fuisset Alemannorum nobili stirpe genitus, tunc temporis dominabatur in partibus istis, circa Liquentie flumen, pro remedio anime sue in Sacilo ad honorem Beati Nycolai gloriosi Confessoris et Episcopi dictam Ecclesiam inter fines Diocesis Concordiensis et Cenetensis fundavit, sperans ibi tunc, et per subsequens tempus, vita comite, oppidum, seu munitionem construere laudabilem, que suo

nomini gloriam, et magnificentie sue redderet incrementum.

Idem tunc a Romana Curia videtur obtinuisse de gratia speciali, sicut patet per nostra privilegia supradicta, quod non obstantibus privilegiis et jurisdictionibus Diocesis Concordiensis et Cenetensis, dicta Ecclesia Beati Nycolai de Sacilo sit Baptismalis, Cimiterium habeat ac populum sibi subjectum interius et exterius libere, quantum munitiones et claustra dicti loci de Sacilo, et circumstans et adajcens undique Villa sibi caperet tunc, et temporibus successivis.

Ita tamen quod supradicte Dioceses Concordiensis et Cenetensis non teneant in aliquo: sed ab utroque prorsus Episcopatu cum omnibus suis juribus atque possessionibus ipsa Ecclesia sit exempta. Ita eadem privilegia nostra testari videntur, et asserunt: quod cum idem vir magnificus Dux Henricus fundavit Ecclesiam S. Nicolai de Sacilo predictam, tunc in remissione peccatorum suorum ei dedit, donavit, et contulit libere predium quoddam ad trium quantitatem agrorum, in quo construxit eandem, cum quodam territorio non longe multum ab ipsa, juxta ripam Liquentie, simul cum quartesiis omnibus, que deinde per subsequentia tempora da novalibus certorum nemorum, et aliis terris excultis, et laboratis de novo in confinio et districtu Sacili provenerint, Domino largiente.

Item quoddam territorium versus montes in parte superiori prope Rivum quod appellatur Orzale. Item, quedam predia in loco qui dicitur Viganovum et in ejus confinio et districtu. Item a parte inferiori juxta Liquentie

flumen per duas leguas ab eadem Ecclesia quoddam alind territorium sibi dedit. Item in districtu et confinio Canipe aliud etiam territorium cum quibusdam prediis et servis habitantibus in eodem.

His itaque Sancti Nycolai predictam Ecclesiam de Sacilo prediis, possessionibus, et territoriis, servis, atque quartesiis dotatam predictis, idem vir illustris Dux memoratus Henricus cum omnibus ejusdem exemptionibus, honoribus atque juribus, cunctisque possessionibus auctoritate Summi Pontificis Ecclesie Aquilegensi supposuit cum quibusdam aliis Ecclesiis, utpote ipsius, et nostra ferunt privilegia predicta, libere penitus, et precise.

Ut ergo conscientie tue, tuisque successoribus plenius in hac parte satisfaciant scripta nostra, volumus ut dicta Ecclesia S. Nicolai de Sacilo exemptionibus et honoribus, jurisdictionibus et possessionibus supradictis, nec non cunctis juribus suis, tam gratia predictorum Privilegiorum Sancte Aquilegensis Ecclesie, quam jure prescriptionis antique, gaudere debeat, et uti libere nunc et semper; salvis tamen honoribus circa predicta Aquilegensis Ecclesie, cui, ut dictum est, vir idem magnificus eandem supposuit Ecclesiam de Sacilo.

Ad hec autem devotioni tue, tam per nos, quam per Successores nostros, per presentes committimus et mandamus: quatenus dictas exemptiones cum honoribus suis, et omnia jura cum jurisdictionibus dicte Ecclesie S. Nicolai de Sacilo manutenere debeas, ac successores tui hoc modo viriliter tueri. Detemptores jurium et possessionum ejusdem auctoritate nostra, debita monitione premissa, per Censuram Ecclesiasticam, nec non et violato-

res dictorum jurium atque possessionum Plebis predicte, seu contradictores et rebelles intrepide compescendo.

In cujus rei evidentiam, et stabilem firmitatem presentes litteras nostras tibi et successoribus tuis concedimus, sigilli nostri pendentis munimine roboratas. Data Aquilegie anno M.CC.XLIX. die secundo intrante Novembri. Indic. VII.

Datum, et actum Utini in Patriarchali Palatio nostro, anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo octavo. Indictione XI. die XIII. mensis Maii. Presentibus venerabilibus viris D.D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et Petro Mora Rectore Ecclesie S. Marie de Turri Mediolanensis Diocesis Vicariis, Berofino Canonico Aquilegensi, Eusebio da Romagnano, Fratre Bernardo Monacho de Careval Mediolanensi Capellano D. Patriarche predicti, Odorico et Francisco Nasutti Notariis de Utino, Presbitero Taddeo Plebano Plebis de Circhiviz, Francisco de Manzano et Guillelmo Magistri Gualterii de Civitate testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis, et rogatis.

Ego Gubertinus q.m Ressonadi de Novate Mediolanensis Diocesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, et Scriba dicti D. Patriarche, Privilegium predictum, ut premittitur, in nulla sui parte suspectum, una cum eodem D. Patriarcha, et testibus suprascriptis vidi, et diligenter inspexi, ac de mandato ipsius D. Patriarche exemplavi, innovavi, et in hanc publicam formam redegi, meque cum signi mei impositione in ejus fine subscripsi rogatus. C. F. o.

N. 507.

1328 14 *Maggio Udine.*
Pagano concede sua vita durante 60 *Marche annue a Paolo Bojani.*

Da una pergamena della Famiglia Bojani.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilecto nobis Paulo Bojani de Civitate Austria fideli nostro salutem, et sinceram dilectionem.

Attendentes grata et devota obsequia que nobis et Ecclesie nostre Aquilegensi fideliter hactenus impendisti laboribus et sudoribus indefessis, et adhuc te, filios, et heredes tuos impensuros speramus, tibi, et heredibus tuis, quousque nobis Altissimus vitam prestabit, marchas sexaginta Aquilegensium novorum annuatim solvendas in Festo S. Georgii de redditibus nostre mense Patriarchalis, ex speciali gratia, deputamus; pro quibus solvendis et firmiter observandis Mutam nostram, et alia bona que habemus in Civitate Austria, ac generaliter alia quecumque ad nostram mensam spectantia, tibi, et heredibus tuis tenore presentium obligamus. In quorum testimonium presentes fieri jussimus nostri sigilli appensione munitas.

Datum Utini, in nostro Patriarchali palatio. Anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo XXVIII. Indictione XI. die XIV. Maii. A. C. C. o.

N. 508.

1328 16 *Maggio.*
Investitura accordata in Tricesimo a Stefano Decano di Rivosa.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xvi. mensis Maii. Rev. in Christo pater et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha cupiens, prout tenetur ex debito, fortificationi, et utilitati Castri sui et Aquil. Ecclesie de Tricesimo diligenter intendere, suo, et Ecclesie Aquil. nomine, ac per se, et Successores suos libere dedit, tradidit, et concessit Stephano Decano suo de Rivosa ibidem presenti, ac pro se, et heredibus suis recipienti, tres passus terre de burgo Castri predicti de Tricesimo a parte superiori dicti burgi versus Glemonam. Ita quod dictus Decanus sedimen construat et domum ibidem cum solario, cupis, et muro forti versus fossatum dicti burgi. Que quidem domus complecta sit a festo proximo S. Cantiani usque ad unum annum integrum proxime secuturum. Ibique habitationem et domicilium proprium habeat, et continuam mansionem, sicut verus et legalis habitator Ecclesie Aquilegensis. Et pro habitantia antedicta idem D. Patriarcha ad suum beneplacitum eidem Decano deputavit, et dedit silvam quamdam, que dicitur Rivus Fulchon Aquilegensis Ecclesie, sitam supra blatam. Cui silve coheret a mane via que dicitur sella de Musso, a parte superiori locus qui di-

citur Guarda major, ab occasu aqua que dicitur Arindaloch. Ita quod ipse Decanus et heredes sui habeant, teneant et custodiant dictam silvam, et de lignis ipsius incidant, omnemque suam utilitatem et comodum faciant: reservata tamen eidem D. Patriarche et Successoribus suis de lignis predictis accipiendi pro utilitate, et usu suo, et Aquil. Ecclesie plenaria potestate. Et quia idem Decanus prefato D. Patriarche et Ecclesie antedicte se fidelem et obsequiosum exhibuit, ipse D. Patriarcha ad suum similiter beneplacitum prefato Decano et heredibus suis Decaniam de Rivosa habendam et tenendam cum utilitatibus et comodis consuetis concessit, et tradidit, si dictus Decanus et heredes prefati in solita et debita fidelitate perstiterint, faciendo per Decaniam predictam omnia et singula que de jure facere tenetur et debet, et ad que rationabiliter est astrictus. Hoc adjecto de gratia speciali, quod ipse Decanus per Gastaldionem Tricesimi, qui nunc est, et pro tempore fuerit, ad aliquas honorantias, seu collectas, aut pecuniarum impositionum gravamina compelli non possit. A quibus omnibus idem D. Patriarcha per se, suosque Successores usque ad suum, et eorum beneplacitum, absolutum reddidit et liberum. Preterca sepedictus D. Patriarcha per se, et Successores suos usque ad beneplacitum antedictum eidem Decano et heredibus suis concessit et dedit pratum unum suum et Ecclesie Aquilegensis situm in territorio Rivose, quod ipse Decanus habuit et tenuit longo tempore ab eadem Ecclesia solvendo quolibet anno, sicut ab antiquo solvere consuevit ipsi D. Patriarche et Ecclesie Aquil., marcham dimidiam et denarios quatuor frixachensium Aquil.

monete. Ac campos quatuor sitos in pascuo de quibus nulla utilitas habebatur, solvendo pro ipsis campis denarios sexdecim annuatim. Qui Decanus fidelitatis debitum juramentum prestitit, sicut verus et legalis habitator domino suo prestare tenetur. Actum Utini, in Castro et palatio Patriarchali; presentibus ven. viris D. Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis Vicario, Berofino de Cremona Canonico Aquil. Capellano D. Patriarche predicti, Magistro Francisco Nassutti notario de Utino, Francino de Laude notario ejusdem D. Patriarche testibus, et aliis pluribus. C. F. o.

N. 509.

1328 23 *Maggio Gemona.*
Spiegazione della sentenza pronunziata dal Patriarca nelle vertenze tra Intrinseci ed Estrinseci di Muglia.

Gubertino da Novate Can. P.

In nomine Domini amen. Cum nos Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha inter homines nostros et Ecclesie nostre Aquilegensis Terre de Mugla, intrinsecos videlicet et extrinsecos, qui plene et libere in nos compromiserant, sententiam pacis et concordie, presentibus ipsis partibus, sub certa forma duximus promulgandum, quam observare precepimus sub pena in compromisso apposita, reservata nobis potestate et baylia addendi, diminuendi, interpretandi, declarandi et

dilucidandi ea que in sententia nostra hujusmodi continentur: et ipsi intrinseci super se nimium elevati sententiam nostram predictam contumaciter recusaverint observare, et adhuc recusant animo indurato; nosque timentes quod aliqua in capitulis ipsius pacis contenta, per que Potestatem concedendo eisdem, per nos dedimus et ordinavimus certam bayliam et arbitrium secundum quod in ipsis Capitulis continetur, possent contra mentem nostram, sententiam ipsius pacis intercipere et involvere, eo quod ipsi intrinseci alium quam illum, quem sibi dare volebamus, juxta id quod cum ipsis eramus in concordia et tractatu, temerario ausu eligere et assumere presumpserunt; ac diligenter attendentes quod non debent reprehensibiliter judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, presertim cum facti qualitas id exposcit, sententiam nostram iamdictam interpretantes, declarantes, et dilucidantes, eique addentes dicimus, volumus, pronunciamus, et sententiamus, quod primus terminus solutionis, quam facere debebant intrinseci extrinsecis pro expensis factis per eosdem extrinsecos in veniendo ad presentiam nostram etc. ut in ipso Capitulo ipsius pacis continetur, incipiat currere, et fuerit non infra duos menses postquam Potestas dicte Terre suum incepit regimen in ipsa Terra, sed a die decimo septimo mensis martii proxime preteriti, quo Sergius Sindicus dictorum intrinsecorum a nobis post sententiam predictam recessit, cumque dampnis et expensis que post ipsos duos menses substinuerunt ipsi extrinseci occasione ipsius pecunie, quam ipsiintrinseci solvere non procurant. Item quod omnia que per Potestatem

ipsius Terre fieri volumus, aut precipimus, aut sententiamus executioni mandari, sive in faciendo, sive in judicando, aut in dando confinia alicui, sive etiam securitates recipiendo, aut in ordinando de adventu Intresecorum, aut de statu eorum extra Terram, aut de bonis eorum: et quod ipsi Extrinseci ad salarium ejus teneantur, nullam habeant firmitatem, sed penitus sint cassa, et vacua, nisi esset ille Potestas de quo convenimus cum partibus supradictis, aut alius quem daremus eisdem, si ad gratiam nostram eosdem Intrinsecos recipere nos contingat. Item declaramus super illo Capitulo, quod omnes condempnationes et sententie, venditiones et distractiones etc. per illa verba in quantum contra justitiam fuerint facte, omnino de ipso Capitulo sint ammota, et de cetero non intelligantur esse ibidem. Et quod verba illa, salva omni justitia facienda per dictum nostrum Potestatem contra ipsos extrinsecos et intrinsecos, et eorum bona, habeant et vindicent sibi locum cum extrinseci ipsi fuerint in Terra predicta reducti, et non aliter, neque ante. Cetera autem omnia et singula in sententia jam dicta contenta, in sua maneant firmitate. Preterea quia jam dicti intrinseci non obediverunt sententie, declaramus eos incurrisse penam in jamdicto compromisso apposita, et teneri ipsis extrinsecis ad restituendum eis bona sua cum omnibus fructibus perceptis, et qui potuerunt, ac possunt percipi a die quo pronunciavimus dictam pacem. Et similiter omnia et singula dampna data, vel illata in bonis ipsorum extrinsecorum, postquam pronunciavimus pacem inter eos, et que ferentur de cetero, donec eos dicti Intrinseci contumaciter extra predictam Terram

Mugle tenebunt, nec non omnes expense quas medio tempore facerent, et facient ipsi extrinseci eis integraliter iidem intrinseci reficere et restituere teneantur. Super quibus taxandis nobis reservamus plenariam potestatem, ne inobedientia et malitia ipsorum Intrinsecorum eis comodum adferat, et ipsis extrinsecis obedientibus detrimentum pariat, et jacturam.

Data, lecta, et pronunciata fuit per D. Paganum Patriarcham interpretatio, declaratio, et dilucidatio in Castro Patriarchali Glemone.

Ego Gubertinus Notarius et prefati D. Patriarche Officialis et scriba predictis omnibus et singulis presens fui, et de mandato ejusdem D. Patriarche hec scripsi, publicavi, meoque signo consueto signavi. A. N. U. o.

N. 510.

1328 31 *Maggio Gemona.*
Il Patriarca accorda al Parroco di Nahel la facoltà di fare il suo Testamento.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Dilecto filio Presbitero Bernardo de Loch Plebano Plebis de Nahel nostre Diocesis salutem in Domino. Quum breves dies hominis sint, et vita ipsius velut a texente succiditur, proposuisti, ut asseris, de bonis tuis condere Testamentum, a Nobis super hoc auctoritatem et licentiam humiliter postulando. Quia igitur justis postulationibus non est denegandus assensus, de-

votioni tue de hujusmodi bonis tuis, tam intuitu Ecclesie, quem persone tue industria aquisitis, tractandi et disponendi, sive in operibus piis, sive in legando propinquis, vel extraneis, prout tibi Altissimus inspiraverit, liberam, tenore presentium, concedimus facultatem. Ita tamen quod Ecclesia tua ab ipsis Legatis exclusa nullatenus non existat.

Datum Glemone, secundo Kalendas Junii. A. N. U. o.

N. 511.

1328 6 *Giugno Tolmezzo.*

Il Patriarca Pagano accorda a Nassimbene Scarfadara e Compagni la facoltà di costruire dei forni onde lavorare il ferro.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die VI. mensis Junii. In Castro Tulmetii. Presentibus testibus Magistro Condeo de Calio Medico, D. Zonfredino de Oppreno Rectore Ecclesie S. Michaelis de Oppreno Vicedomino, Gubertino de Novate notario, et Aymerico de Laturre Domicello infrascripti D. Patriarche, Raymundo de Paona, et aliis.

Ven. pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, volens sui Patriarchatus utilitatem procurare, suo, et ipsius Patriarchatus nomine concessit perpetuo Naximbeno, dicto Guercio de Scarfedara, et Petro q.m ser Vallatini de eodem loco presentibus, et pro se, ac pro D. Petro Lauri de Fusina, Johanne de Ay-

rale, ser Ottobono dicto Monacho de Ayrale, Spiuello de la Fusina, et Gocello ejus fratre, et Nicolao de Scarfedara, ac sociis suis, a quibus dictus Petrus habebat super hoc speciale et plenum mandatum, sicut apparebat per publicum Instrumentum factum manu Silvestri ser Bennaxuti de Lcfusina, imperiali auctoritate Notarii, anno et indictione presentibus, die tertio intrante madio, ut ipsi, socii superius nominati pro se, et suis heredibus, et aliis quos sibi associare voluerint, possint, et valeant facere unum furnum ad ferrum faciendum et laborandum cum fusinis una, aut pluribus necessariis ad ipsum furnum super terram ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquil. in Carnia, in Contrata Avoltri, ubi fuit antiquitus. Et quod possint reparare domos existentes, et alias necessarias pro habitatione ipsorum et familiarum suarum infra sceptam, sive terminos assignandos eis per predictum Raymundum de Paona, et alios destinandos ad ipsum locum ex parte ipsius D. Patriarche: nec non unum, aut plura molendina construere per blado necessario molendo, in aqua que ibidem labitur, et reparare antiquum, et piscare in ipsa aqua, et cum eorum bestiis in Contrata libere pasculare. Ligna quoque necessaria eis pro hujusmodi edificiis, et pro fusinis, ac furno predictis, et usu eorum et familiarum suarum incidere, et habere de Gualdo Luze, et alibi ubicumque a Pontetremulo sursum versus Sapadam, usque in summo Cleve, et de summis montibus usque ad aquam Decani; ita quod predicti, et eorum heredes, et quibus dederint predicta, omnia cum omnibus tectis et edificiis, sive domibus ibi existentibus, et de novo edificandis perpetuo habeant, teneant et possideant, eisque utantur,

et fruantur ad eorum liberam voluntatem, cum omni jure fodendi, hujusmodi ferrum faciendi, et laborandi, et cum aquis, et aquarum ductibus, piscariis, pascuis, et aliis superius nominatis, et cum omni usu, actione et requisitione, sine contradictione cujuscumque persone. Ita tamen quod ipsi, et familie ipsorum subjecti sint ipsi D. Patriarche, et Gastaldie sue de Carnia, sicut alii in eadem Gastaldia habitantes. Promittens idem D. Patriarcha per se et suos Successores eisdem Naximbeni et Petro, pro se, et aliis superius nominatis, et eorum heredibus, ac pro hiis quibus darent, predicta omnia concessa perpetuo eis defendere, manutenere, et disbrigare ab omni persona, Collegio et universitate suis sumptibus et expensis, et super eis litem, vel controversiam nullo unquam tempore inferre, aut inferrenti consentire, nec facere de ipsis alicui concessionem aliquam in prejudicium eorundem, dummodo sibi et suis Successoribus obedientes sint, et solvant fictum inferius denotatum; videlicet solidos quinquaginta Venetorum grossorum, et libras mille quingentas ferri pro equis ipsius D. Patriarche annuatim in festo S. Martini, et pro quolibet Molendino libram unam piperis. Et non teneantur solvere Mutam de victualibus quos ement, vel ducent pro usu eorum familiarium. De ferro autem teneantur solvere consuetum. Quod quidem fictum idem Naximbenus et Petrus pro se, et suprascriptis, et eorum heredibus annuatim in perpetuum solvere promiserunt eidem D. Patriarche et suis Successoribus in prenominato festo S. Martini, cum omnibus damnis, expensis et interesse faciendis et substiuendis a termino in antea pro eo petendo et exigendo, sive ejus occa-

sione, obligantes inde piguori ipsi D. Patriarche omnia bona sua, et omnium predictorum habita, et habenda. Unde idem D. Patriarcha suo, et Successorum suorum, ac Ecclesie sue predicte nomine, prefatos Naximbenum et Petrum eorum, et predictorum nominibus de predictis omnibus presentialiter cum uno capucio investivit. Reservato tamen sibi, et suis Successoribus jure concedendi aliis ut facere possint furnos et fusinas in dicto loco, sive Contrata, non tamen intra fines assignatos predictis, vel tam prope, quod eis posset dampnum, vel gravamen inferre. Concedens predictis pro nuntio ad penendum eos in possessionem predictorum omnium que concessit eis, Raymundum de Paona superius nominatum. A. N. U. o.

N. 512.

1328 11 *Giugno Udine.*
Il Patriarca ordina al Gastaldo di S. Daniele di ritirarsi in Forgaria.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xi. mensis Junii. Presentibus Dominis Federico de Savorgnano, Francisco de Terchano, Napino de la Turre, Francisco Nassutti de Utino testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Reverendus in Christo Pater D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, dixit, et protestatus fuit, quod cum imposuisset Ubicinum Malamuscham Gastaldionem

suum S. Danielis ire ad habitandum in domo Federici q.m Blavisii de Folgaria, quod fecit propter guerrarum pericula, et alias conditiones imminentes ad presens, aut que possent imminere in partibus Forojulii, non intendit dicto Federico propter hoc aliquod prejudicium generari, salvo semper et reservato jure Aquilegensis Ecclesie.

Actum Utini in Curia Patriarchali. A. N. U. o.

N. 513.

1328 12 *Giugno Cividale.*

Monitorii, perchè paghino le Collette, al Preposito di Juna, e al Pievano di Rasch.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xii. Junii. Civitati: in Patriarchali palatio. Presentibus testibus venerabilibus viris D. D. Guillelmo Aquilegensi, et Guidone Civitatensi Decanis, Symone Plebano in Seldenhoven, et aliis.

Ven. vir D. Fr. Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius generalis Ven. Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, monuit semel, secundo, et tertio, et peremptorie D. Gherardum Prepositum Junensem ibi presentem, eique sub pena privationis precepit, ut infra festum Assumptionis S. Marie proxime venturum, solvere procuret xviii. marchas Denariorum Aquil. monete, quas pro suo Monasterio solvere tenetur, et debebat solvere

in terminis certis jam diu preteritis pro collectis D. Legati Apostolice Sedis. Protestans, denuntians, et comminans idem D. Vicarius eidem Preposito, quod si predictas collectas in termino non solveret memorato, ad privationem ejus procedet, justitia mediante, nulla alia monitione premissa.

Ibidem prefatus D. Vicarius monuit Vorlicum Clericum, cui ipse contulit nuper Plebem de Rasch Aquil. Diocesis, ut infra festum Assumptionis B. Marie proxime venturum, sub pena excommunicationis, sive de fructibus dicte Plebis collegerit, sive non, solvat marchas quinque denariorum Aquil. monete pro Collectis Legati Sedis Apostolice, in quibus Plebes sua predicta tenetur, quodque infra Festum S. Martini proxime sequens, si collegerit et habuerit fructus predicte Plebis, solvat Ecclesie Romane pro fructibus primi anni marchas vii. jam dicte monete, in quibus idem D. Vicarius fructus eosdem pro medietate ipsorum, que Ecclesia Romana habere debet, taxavit. A. N. U. o.

N. 514.

1328 16 *Giugno Cividale.*
Nomina del Parroco di Villacco dietro proposizione del Vescovo di Bamberga.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xvi. Junii. Civitate: in palatio supradicto. Presentibus testibus ser Pertoldo Capellano D. Comitisse Gö-

ritie, Gabriele q.m D. Henrigini de Cremona, et Francisco de Rosaceo Notariis.

Cum vacante pridem Plebe S. Martini prope Villachum Aquilegensis Diocesis per obitum q.m Presbiteri Friderici, olim ipsius Plebis Plebani bone memorie, D. Henricus Episcopus tunc Bambergensis ad Plebanatum ipsius Plebis presentaverit discretum virum Amelium de Saxonia presbiterum Capellanum suum ex jure, ut dicebat, sibi competenti ab antiquo, venerabili Patri D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche instituendum per eum, et ipse D. Patriarcha de jure presentandi hujusmodi ignarus, presentationem ipsam admittere noluit usque modo, qui idem presentatus de jure ipso docuit per publicum Instrumentum cujus tenor infrascribitur, venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius dicti D. Patriarche, de ipsius speciali mandato presentationem jamdictam innovatam etiam per venerabilem virum D. Vorvichum Bambergensem Electum admisit, et confirmavit, ipsumque presbiterum Amelium instituit in perpetuum ipsius Plebis Plebanum, et eum de Plebe ipsa, et omnibus ejus juribus per biretum suum presentialiter investivit, committens ei curam animarum et Parrochie ipsius Plebis vice ipsius D. Patriarche. Tenor vero dicti Instrumenti est talis. == In nomine Christi amen. Hoc est exemplum sumptum ex authentico cujusdam Privilegii cujus tenor de verbo ad verbum noscitur esse talis. In nomine Sancte et individue Trinitatis amen. In remedium oblivionis humane cujus dispendio consueverunt acta negotia in processu temporis aboleri, quod in tempore geritur perpetuari

debet apicibus litterarum. Proinde noverint universi tam posteri, quam presentes ad quos pervenerint ista scripta, quod cum inter D. Bertholdum venerabilem Patriarcham Aquilegensem, et Antecessores ipsius, nomine Aquilegensis Ecclesie ex parte una, et magistrum Henricum venerabilem Electum Bambergensem, ipsiusque Predecessores, nomine Ecclesie Bambergensis ex altera, super Capella S. Petri, S. Martini apud Villachum, et de Okke questio fuisset diutius agitata, illo tandem misericorditer operante qui dissidentium mentes ad unam sepe conciliat voluntatem, talis intervenit compositio inter ipsos. Quod prefatus D. Electus cessit omni juri patronatus in Ecclesia de Okke eidem D. Patriarche et Successoribus suis, Ecclesiam vero S. Petri ambo predicti Patriarcha et Electus per se, et eorum Successores concorditer contulerunt Hospitali S. Katherine apud Villachum in temporalibus, ita quod ipsius proventus in usum, et utilitatem pauperum et religiosarum personarum ibidem pro tempore Domino famulantium conversantur, salvo in omnibus et retento in prefatis tribus Ecclesiis jure spirituali et Diocesano eidem D. Patriarche et Successoribus ejus. Promiserunt insuper prefati Patriarcha et Electus sibi ipsis ad invicem firmiter dare opem et operam efficacem, quod utriusque Ecclesie Aquilegensis et Bambergensis Capitula hujusmodi compositioni infra annum libere prestent assensum. Si quis vero ipsorum infra prefatum tempus id neglexerit adimplere, cadat a jure Patronatus in Ecclesiis memoratis, quod cedat libere et absolute illi qui promissionem observaverit antedictam. Et si qua confirmatio, vel in-

stitutio de aliquibus personis fiet, vel facta est per eundem D. Patriarcham in ipsis Ecclesiis, et si qua presentatio per eundem Electum Bambergensem, omnino sit ex nunc cassa, et irrita, nulliusque valoris, et prefata compositio preter penam in statum pristinum reducatur. In cujus rei testimonium scripta est presens pagina de consensu et voluntate partium, et sigillis eorum, et sigillo venerabilis Episcopi Tergestini pendentibus roborata. Testes autem fuerunt Volricus Episcopus Tergestinus, Magister Hulwardus Archidiaconus Villacensis, Curadus Archidiaconus Saunie, Guibertellus Syboto, Graphto et Bonencuntrus Canonici Aquilegenses, Magister Marsilius, Magister Petrus, et alii. Datum apud Villachum, in Ecclesia S. Jacobi, anno Gratie M. CC. XLIV. Indictione secunda. XII. Kalendas Januarii.

Ego Johannes de Lupico Sacri Imperii publicus Notarius suprascriptum Privilegium signatum predictis tribus sigillis pendentibus vidi, legi, tenui, et ascultavi, et de mandato mihi facto per venerabilem patrem D. Raymundum Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham anno Domini M. CC. LXXV. tertia Indictione, apud Civitatem, in palatio Patriarchali, die XIV. exeunte Aprili, presentibus D. D. Gabriele Preposito Laudensi, Presbitero Pagano Canonico de Oxenago, Magistro Rizzardo de Faganea Capellanis, D. Nicho de Mediolano Senescalco, et Petro de Pona Ostiario dicti D. Raymundi Patriarche Aquilegensis testibus ad hoc vocatis et rogatis, et aliis, fideliter transcripsi, et publicavi, nil addens vel minuens quod ejusdem immutet sententiam, sive sensum. In cujus rei evidentiam memoratus D. Ray-

mundus Patriarcha Instrumentum presens fecit sui sigilli pendentis munimine roborari. A. N. U. o.

N. 515.

1328 19 *Giugno Cividale.*
Guidone Benefiziato di Aquileja fatta la prescrittagli penitenza è prosciolto dalla Scomunica.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Guillielmus Decanus Aquilegensis Dilecto nobis Guidoni dicto Caxono Presbitero perpetuo Beneficiato in Ecclesia Aquilegensi, salutem in Domino.

Pridem Venerabilis patris D. Bertrandi Dei gratia Ostiensis et Velletrensis Episcopi, Apostolice Sedis Legati litteras omni suspicione carentes a te recepimus in hac forma.

Bertrandus miseratione divina, olim titulo S. Marcelli Presbiter Cardinalis, Ostiensis et Velletrensis Electus, Apostolice Sedis Legatus, dilecto nobis in Christo ... Decano Ecclesie Aquilegensis salutem in Domino. Guidonem dictum Caxonum Presbiterum, perpetuum Beneficiatum in Ecclesia Aquilegensi latorem presentium, qui olim excommunicationis sententiam in Clericos concubinarios per Constitutionem venerabilis in Christo patris ... Patriarche Aquilegensis generaliter promulgatam incurrerat; et sic ligatus, non tamen in contemptum Clavium, sed per simplicitatem, et juris ignorantiam divina celebrarat officia, et alias se illis inges-

serat, ad te, cum eidem Patriarche ad quem esset alias remittendus, certis ex causis super hoc scribere omittamus ad presens, a dicta excommunicationis sententia, auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa, juxta formam Ecclesie remittimus absolutum, discretioni tue auctoritate committentes eadem, qualenus injuncta inde dicto Presbitero pro modo culpe pena salutari, eoque ad tempus, prout expedire videris, a suorum Ordinum executione suspenso, demum ab eo sufficienti cautione recepta, quod in sua, vel aliena domo non teneat de cetero Concubinam, cum future vite merito culpam preterite redimat, super irregularitate predicto modo contracta, si aliud non obsistat Canonicum, dispensamus misericorditer cum eodem. Datum Bononie, Nonis Februarii, Pontificatus SS. Patris D. Johannis Pape xxii. anno duodecimo. In quarum litterarum executione procedentes, tua humili confessione audita, penitentiam tibi pro modo culpe injunximus quam putavimus salutarem, teque ad tempus, prout expedire vidimus, a tuorum Ordinum executioni suspendimus. Nunc vero a te, juxta predictarum litterarum tenorem, idonea cautione recepta, quod in tua, vel aliena domo non tenebis de cetero Concubinam, cum tibi nihil obstet Canonicum, et te penitentem ostendas, tecum auctoritate nobis in hac parte concessa, super irregularitate dicto modo contracta, misericorditer dispensamus. Presentes tibi super hoc in testimonium concedentes sigilli nostri appensione munitas. Datum Civitate Austrie, die xix. Junii. A. N. U. o.

N. 516.

1328 19 *Giugno Cividale.*
Feudo avuto dal Patriarca da Bajamonte Tiepolo.

Gubertino da Novate Can. P.

Die XIX. Junii. Presentibus Jacobolo q.^m D. Lantelmi de Osenago, Francisco dicto Dentone de Mediolano, et Dominico q.^m Jacobini de Bravis testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Badoarius de Badoariis de Venetiis procurator, et procuratorio nomine Nobilis Militis D. Bagiamontis Tepuli de Venetiis, ut de procuratorio constat per publicum Instrumentum scriptum anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXVIII. Indictione XI. die penultimo mensis Maii per Bonanum q.^m Jacobi de Furno Notarii, sigillo pendenti dicti D. Bagiamontis munitum, confessus fuit se recepisse et habuisse a venerabili viro D. Fratre Johanne Vicario D. Patriarche Aquilegensis, solvente nomine dicti Patriarche, libras centum parvorum pro parte solutionis presentis anni pro feudo, et Gratia, quam habere debet ab Ecclesia Aquilegensi pro parte sua, quod feudum sibi concessum fuit de speciali licentia Sedis Apostolice, sicut apparere asserit per bona Privilegia Papalia de concessione feudi per publicum Instrumentum etc. De qua quidem pecunia, nomine quo supra, finem, remissionem, et quietationem fecit dicto Vicario, nomine antedicto recipienti.

Actum Civitate, in palatio Patriarchali. A. N. U. 01.

Conrado speciale mandatum, in animam ejusdem Domini nobis ad saucta Dei Evangelia juravit, quod ipse D. Conradus et filii erunt de cetero nobis et Successoribus nostris canonice intrantibus fideles et obedientes. Quod non erunt in consilio, neque in facto ut vitam perdamus, vel membrum, nec capiamus mala captione. Et si senserint aliquem, aut aliquos machinari contra nos, vel Ecclesiam Aquilegensem aliqua, que sint nocitura, impedient ea, si poterunt. Et si non poterunt, curabunt quantocius notificare nobis. Patriarchatum, et jura Aquilegensis Ecclesie adjutores erunt ad defendendum et retinendum suo posse; et alia omnia facient, et servabunt que in Sacramento fidelitatis plenius continentur.

In cujus rei testimonium presens Privilegium per manum infrascripti notarii nostri scribi fecimus, et sigilli nostri appensione muniri. Actum, et datum Civitate, in nostro Patriarchali palatio, anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo vicesimo octavo. Indictione undecima. Die xxvi. Junii. Presentibus ven. viro Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et nobilibus militibus Dominis Grifone de Reuthemberch, Henrico Gralanto, et Henrico de Pyuma, et aliis. A. N. U. o.

N. 518.

1328 2 *Luglio Udine.*

Licenza d' innalzare una Sega e un Molino sul Lisonzo vecchio presso Fiumicello.

Gubertino da Novate Can. P.

Nos Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha notum facimus universis et

singulis presentes nostras litteras inspecturis, quod Bondominico q.^m Bambasini de Bononia plenariam licentiam duximus concedendum construendi et edificandi in flumine nostro Lisontii veteris, sito penes Flumesellum, in loco ubi dicitur Sancta Crux, unam Segam, et unum Molandinum; Segamque predictam et Molandinum habendi, tenendi, et possidendi, omnemque suam voluntatem faciendi usque ad quinque annos proximos et completos, et deinde usque ad beneplacitum nostrum, solvendo annuatim nobis et Ecclesie Aquilegensi pro dicta Sega mediam marcham denariorum novorum Aquilegensis monete, et pro prefato Molandino libras tres piperis. Pactis tamen et conditionibus infrascriptis videlicet, quod predictus Bondominicus non possit, nec debeat incidere, nec incidi facere aliqua ligna in Communiis, seu Bannis nostris, et Ecclesie nostre Aquilegensis, nec alicujus persone absque licentia et voluntate illorum dominorum ad quos proprie spectaverint ligna et bona supradicta. Item quod dictam Segam et Molandinum, aut ipsorum alterum vendere nequeat, locare, aut aliqualiter alienare, aut distrahere alicui forensi, nec etiam Forojuliensi absque nostra speciali licentia, et mandatis nostris, seu nostrorum Successorum. In cujus rei testimonium presentes fieri fecimus, et nostri sigilli impressione muniri.

Datum Utini, die secundo Julii M. CCC. XXVIII. Indictione undecima. A. N. U. o.

N. 519.

1328 8 *Luglio Udine.*
Pagano Nomina un Procuratore onde garantire al Cardinal Legato il di lui credito.

Gabriele da Cremona Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXVIII. Die Octavo Julii. Utini. In Castro Patriarchali. Presentibus D. D. Abbate, Decanis, et Syfrido testibus antedictis, ac etiam D. Petro Mora de Mediolano Vicario, Francisco de la Turre Preposito Ecclesie S. Odorici supra Tulmentum, et Presbitero Nichola Plebano Plebis de Flambri Aquil. Diocesis testibus vocatis et rogatis.

Cum Rev. in Christo Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha pro decima triennali mense sue, et pro receptis per ipsum de anno ultimo, in ultimo termino sexennali solvere teneatur Ecclesie Romane mille marchas Aquil. monete infra unum annum, a die infrascripte securitatis prestande computandum, juxta compositionem et ordinationem factam per Rev. Patrem D. Bertrandum miseratione divina Ostiensem et Velletrensem Episcopum Apostolice Sedis Legatum, prout in ipsius D. Legati litteris plenius continetur: volens ipse D. Patriarcha expeditioni securitatis hujusmodi humiliter et devote intendere, suo, et Aquil. Ecclesie nomine fecit, constituit, et ordinavit honorabilem et discretum virum D. Berofinum de Giroldis de Cremona Canonicum Aquil. Capellanum suum ibidem

presentem et mandatum hujusmodi sponte suscipientem, suum, et dicte Ecclesie sue verum et legitimum procuratorem, et nuncium specialem ad comparendum per eo, et ejus nomine coram ven. viro D. Bertrando Rotundi Canonico Vinariensi Apostolice Sedis Nuncio, et ad prestandum sibi securitatem et caucionem congruam et accomodam de solvendis prefatis mille marchis, juxta tenorem litterarum D. Legati prefati; nec non ad obligandum, pro solutione et satisfactione predicta, Gastaldias Carnie et Tulmini cum fructibus et redditibus universis ad eas spectantibus, Mutas Aquil. Ecclesie, Gratiam vini quod de partibus Istrie ducitur, ac censum consuetum et debitum quadrigentarum et quinquaginta marcharum quem D. Dux et Commune Venetiarum pro juribus et jurisdictionibus Istrie eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi singulis annis prestare tenentur, ac etiam fructus, redditus, proventus, et census quoscumque Aquilegensis Ecclesie in quibuscumque rebus consistant, per que securitas hujusmodi obtineat plenum robur. Et ad jurandum in animam ipsius D. Patriarche de observandis et attendendis omnibus et singulis, que in dicte securitatis contentu ponentur. Et ad omnia et singula faciendum et procurandum que necessaria fuerint et opportuna in predictis et circa predicta, et que ipse D. Patriarcha facere posset si presens esset, etiam si mandatum exigant speciale. Promittens prefatus D. Patriarcha se perpetuo ratum habiturum et gratum quidquid per dictum procuratorem suum actum, dictum et procuratum fuerit in premissis sub ypotecha et obligatione omnium suorum et dicte Ecclesie bonorum. C. F. o.

N. 520.

1328 8 *Luglio Udine.*
Feudo in Forame dato dal Patriarca ad Ardemano ed Ossalco di Cormons.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die VII. mensis Julii. Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario D. Patriarche infrascripti, Gulielmo Decano Aquilegensi, Guidone Decano Civitatensi et Syfrido de Attemburgh Canonico Civitatensi, ac Guarnerio filio D. Hectoris militis de Utino testibus, et aliis.

Accedens ad presentiam Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche nobilis vir D. Jacobus miles de Cormono procurator, ut dicebat, D. Boyatizonis de Castro novo ad infrascripta specialiter constitutus, procuratorio nomine antedicti, pure, sponte, libere, et ex certa scientia, loco, et habitantie loci qui dicitur Foramen cum omnibus mansis, bonis, juribus, jurisdictionibus, et dominio ad eum spectantibus, que dictus D. Boyatizo habuit et tenuit usque modo tamquam feudum habitantie spectans ad D. Patriarcham, et Ecclesiam Aquilegensem, in manibus ipsius D. Patriarche cessit, renunciavit, et resignavit expresse. Quam quidem renunciationem prefatus D. Patriarcha suo et Aquilegensis Ecclesie nomine, admisit, et acceptavit. Et post hec idem D. Patriarcha, volens sibi et

eidem Ecclesie Aquilegensi utiles et fideles vassallos aquirere, et Ardemano, ac Ossalcho fratribus, filiis D. Jacobi antedicti, consideratione dicti patris sui, qui eidem D. Patriarche et Ecclesie sue predicte grata et fidelia obsequia pertulit, et perferre cum filiis suis poterit in futurum, gratis affectibus complacere, per se, et Successores suos, ac suo et Aquilegensis Ecclesie nomine, dictos Ardemanum et Ossalchum fratres pro se, et eorum heredibus recipientes, de loco, et habitantia dicti loci Foraminis, tanquam jure feudi habitantie, cum omnibus bonis, mansis, juribus, et jurisdictionibus, et dominio ad eum spectantibus. que hucusque habuit dictus D. Boyatizo, et tenuit, et possedit, et que ad ipsam habitantiam quomolibet pertinere noscuntur, per suum Capucium investivit. Qui Ardemanus et Ossalcus fratres, presente patre suo predicto, et ipsos tanquam fideles et subditos Aquilegensis Ecclesie in protectionem ipsius D. Patriarche tradente, et consignante, fidelitatis debite juramentum solitum prestiterunt, quod vassallus et fidelis habitator Domino suo prestare tenetur, et debet. C. F. o.

N. 521.

1328 23 *Luglio Udine.*

Feudo in S. Giovanni di Casarsa dato dal Vescovo di Concordia a Montino della Torre.

Gubertino da Novate Can. P.

Die XXIII. Julii. Presentibus Mazola de Victuono, Castellino Malacrida habitatore S. Viti, Bertolo de Sbro-

lavacha, Petrino de Cumis testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Reverendus in Christo pater D. Arthicus Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Concordiensis investivit discretum virum D. Montinum de la Turre per fimbriam sue Clamidis de quodam manso sito in S. Johanne de Casarsa, quod regitur per Martinum de Machina de dicta villa, qui mansus fuit olim D. Philippi de la Turre, jure recti et legalis feudi, salvo jure cujuscumque persone. Qui D. Montinus promisit fidelitatem etc.

Actum Utini, in domo Johannis dicti Canti. C.F.o.

N. 522.

1328 25 *Luglio Udine.*
Investitura di Osoppo data dal Patriarca Pagano a Federico di Savorgnano.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xxv. mensis Julii. Utini, in Castro et Palatio Patriarchali, in camera D. Patriarche. Presentibus ven. viro D. Fratre Johanne Ab. Monasterii Rosacensis Vicario, D. Zonfredino de Oppreno Vicedomino, et Nobilibus viris D. D. Carlevario filio q.^{m} D. Johannis, Antoniolo filio q.^{m} D. Zonfredi ambobus de la Turre de Mediolano, nepotibus: Obizino de Malamoschis de Mediolano, Gastaldione S. Danielis, Leone de Oppreno Cubiculario, familiaribus D. Patriarche infrascripti, Hermanno de Utino filio q.^{m} D. Mathie de Carnia, Philippussio de

Utino q.m D. Raynerotti de Venzono testibus vocatis, et rogatis.

Cum dudum propter rebellionem, derobationes, et spolia, homicidia, ac alia nepharia opera, et intollerabiles excessus multiplices Bonacursii, Berardi, et quondam Pelavicini fratrum olim de Osopio, tunc habitatorum D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensis, ven. Pater D. Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha cupiens usque ad sue possibilitatis extrema, pravitatem hujusmodi tollere, ac radicem illam pessimam in totum evellere, sueque Ecclesie, ac statui totius Terre, et mercatorum transeuntium providere quieti, contra Castrum predictum, et sceleratos prefatos, etiam contra fidem eorum se esse habitatores dicti loci et Ecclesie Aquilegensis proditorie denegantes, tunc obsidionem poni fecerit, non parcendo personarum sudoribus, suisque, et Camere sue sumptibus et expensis: per que, illo faciente qui potest, eorundem rebellione prostrata, et ipsorum effrenata protervia ad finem deducta, dictum Castrum cum Castri pertinentiis ad ipsos fratres spectans et pertinens, quod in Feudum habitantie ab Aquil. Ecclesia habebant, et habere consueverant, et tenere, licet hoc denegarent, ut dictum est, ad ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis manus pervenit. Illudque, superveniente recessu suo de partibus Forojulii, qui vocatus ab Ecclesia Romana in Lombardiam accessit, et tempore longo permansit cum magno expensarum onere usque ad presentem diem fecerit, et faciat custodiri: volens ipse D. Patriarcha ad evitandas expensas et sumptus hujusmodi incumbentes eidem circa Custodiam dicti loci pro

quiete, securitate, et pace libere mercatoribus transeuntibus impendenda, sibi, et universis tam provide, quam utiliter providere, ac de loco predicto sibi et Ecclesie Aquilegensi habitatorem fidelem acquirere: Idem D. Patriarcha per se, et Successores suos, ac suo, et Aquil. Ecclesie nomine, partem prefatam dicti Castri ad dictos fratres spectantem, seu quam tempore rebellionis eorum habebant et tenebant; ac etiam partem, que olim fuit Fulcherii Plebani, et Fortunati fratrum de Osopio, per ipsum D. Patriarcham ab eisdem pro utilitate et commodo sue Aquil. Ecclesie certo pretio aquisitam, nobili viro D. Federico de Savorgnano, nato q.m D. Constantini militis de Utino, pro se, suisque heredibus recipienti, et ab eis descendentibus, tam masculis, quam feminis, tanquam benemerito ob remunerationem multorum obsequiorum eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquil. gratanter et fideliter impensorum, et ut in devotione et fidelitate sua ferventius animetur, jure feudi habitantie, libere tradidit et concessit: eumque de partibus antedictis dicti Castri presentialiter investivit; ad habendum, tenendum, et possidendum, et quidquid sibi placuerit de dictis partibus, salvo semper jure Aquileg. Ecclesie, perpetuo faciendum. Dans eidem D. Federico licentiam, et auctoritatem accipiendi, et retinendi possessionem Castri et partium predictarum; ac promittens per se, et Successores suos eidem, solempni stipulatione interveniente, litem, aut controversiam aliquam de predictis de cetero non movere, inferre, nec inferenti consentire: sed omnia et singula antedicta dicto D. Federico et heredibus suis facientibus et servantibus fidelitatem suam, ab omni homine, et universitate legitime

defendere, auctorizare, et disbrigare, et predictam concessionem perpetuo ratam et firmam habere, et tenere. et non contrafacere, aut venire per se, aut alium aliqua ratione aut causa, de jure, vel de facto, sub ypoteca omnium bonorum suorum, et Ecclesie Aquileg. predicte. Ita quod idem D. Federicus, et heredes sui tanquam veri habitatores Ecclesie Aquil. teneantur, et debeant pro rata partium predictarum, locum predictum de Osopio aperire D. Patriarche, qui nunc est, et pro tempore fuerit, et Officialibus suis, eosque intus admittere; ac, cum incumberet necessitas, de loco predicto eidem omnem quem poterit succursum, et favorem prestare, ac juxta posse suum, operam dare, quod strata mercatoribus, et aliis transeuntibus libera permaneat et secura. Super quibus omnibus et aliis, que in fidelitatis debito continentur, idem D. Federicus prefato D. Patriarche corporale prestitit juramentum, prout fidelis et verus habitator domino suo prestare tenetur. C. F. o.

N. 523.

1328 5 *Agosto Parma.*

Carta di procura per l' esazione del denaro preteso dal Cardinal Legato pel nono anno della sua Legazione.

Gubertino da Novate Can. P.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXVIII. Indictione XI. die quinta mensis Augusti,

Pontificatus Sanctissimi Patris D. Johannis Pape xxii, anno duodecimo. In presentia mei Notarii et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum. Venerabilis vir D. Armandus de Fagiis Archidiaconus Biliomi in Ecclesia Claromontanensi, Camerarius Reverendi in Christo Patris D. Bertrandi Dei gratia Ostiensis et Velletrensis Episcopi, olim titulo S. Marcelli presbiteri Cardinalis, Apostolice Sedis Legati, deputatus per eundem D. Legatum ad recipiendum procurationes sibi debitas ratione noni anni Legationis ipsius, fecit, constituit, et ordinavit suum verum et legitimum procuratorem, et nuntium specialem Argentum Clericum Diocesis Sarlatensis ad presentandum litteras ipsius D. Legati in Aquilegensi et Gradensi Patriarchatibus, nec non Mediolanensi, Ravennatensi, et Januensi provinciis, ac in Sardinie et Corsice insulis, et in Sclavonie partibus, venerabilibus in Christo Patribus Dominis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et Prioribus, et aliis quibuscumque personis exemptis et non exemptis, quibus ipse litere dirigantur super procurationibus sibi debitis ab eisdem et eorum singulis, pro ipsius D. Legati et ejus familie necessariis sumptibus et expensis, prout in ejusdem D. Legati litteris seriorius continetur. Ad notificandum quoque et insinuandum eisdem Prelatis et aliis personis Ecclesiasticis supradictis, quod pecuniam dictarum procurationum in statuto eis termino, eorum risico et fortuna eidem D. Legato in Civitate Bononie, aut si se absentaret ab ea, in loco ubi cum sua Curia residebit, debeant assignare, aut facere assignari; et ad faciendam fieri de presentatione litterarum predictarum, ac

notificatione, et insinuatione predictis publica Instrumenta, alium, seu alios procuratores loco sui, si expediret, substituendum, qui similem in premissis habeant potestatem, ac si essent ab eodem D. Camerario specialiter constituti; ratum et firmum habere promittens quidquid per eundem procuratorem, aut substitutum ab eo circa premissa factum fuerit, aut etiam procuratum.

Actum Parme, in Episcopali Palatio in quo habitat dictus D. Camerarius, in presentia venerabilium virorum Dominorum Girardi de Fagiis Prioris B. Marie de Latis Magalonensis Diocesis, Hugonis de Veyraco Sedis Apostolice Nuntii, et Guillielmi de Funestarco Rectoris Ecclesie de Rodo Albensis Diocesis testium ad premissa specialiter vocatorum et rogatorum.

Ego Dieteselvus de Pergamo imperiali auctoritate notarius premissis omnibus et singulis una cum nominatis testibus presens interfui, ipsaque omnia et singula de mandato prefati D. Camerarii scripsi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi, meumque signum rogatus apposui consuetum in testimonium premissorum.
A. N. U. o.

N. 524.

1328 5 *Agosto.*
Feudo concesso a Sofia Contessa di Ortemburch.

Dall' Inventario di Odorico Susanna.

Investitio illustris Domine Sofie Comitisse de Ortimburch quorundam bonorum feudalium per eam empto-

rum in valle de Trich a quodam Comite de Stemborch ad vitam ejus tantum; et post vitam ejus devolvantur Monasterio SS. Trinitatis et Beate Marie Virginis quod in Hospitali apud Ortimburgum fundare decrevit. Ex Gubertino Notario. C. P. c.

N. 525.

1328 27 *Agosto Udine.*
Spese di un Cavallo infermo pagate dal Comune di Udine.

Dai Registri del Cameraro.

Die v. exeunte Augusto dedit de mandato D. Gastaldionis et Consilii, Philippussio q.^m D. Raynerotti pro expensis unius sui equi, qui stetit infirmus in Montefalcone per xviii. dies, cum iverunt ad exercitum Mugle cum D. Patriarcha, in ratione quatuor denariorum pro expensis dicti equi quolibet die, libras novem denariorum. C. F. c.

N. 526.

1328 27 *Agosto Udine.*
Il Patriarca è prosciolto dalla Scomunica.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xxvii. mensis Augusti. Utini, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus venerabilibus viris D. D. Francisco de la Turre Preposito Ecclesie S. Odorlici supra Tulmentum Aquilegensis Diocesis, Petro Mora. Re-

ctore Ecclesie S. Marie de Turri, et Lauterio Canonico Ecclesie de Vicomercato Mediolanensis Diocesis, Magistro Condeo de Calio Medico, Nobilibus viris D. D. Carlevario, et Antonio de la Turre, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Aquilegensis Diocesis; receptis pridie ex parte venerandi Patris D. Bertrandi Dei gratia Ostiensis et Vellitrensis Episcopi Apostolice Sedis Legati, certis literis infrascripti tenoris:

Bertrandus miseratione divina Ostiensis et Vellitrensis Episcopus, Apostolice Sedis Legatus, dilecto nobis in Christo Abbati Monasterii Rosacensis Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino. Litteras Sanctissimi Patris et Domini nostri D. Johannis divina Providentia Pape xxii. nobis tunc titulo S. Marcelli presbitero Cardinali directas, olim recepimus in hac forma.

Johannes Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Bertrando titulo S. Marcelli Presbitero Cardinali Apostolice Sedis Legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noster Paganus Patriarcha Aquilegensis pro decimis pro Aquilegensi et Paduane Civitatibus et Diocesibus dudum per Sedem Apostolicam impositis, ad solvendum certas quantitates pecunie, quarum occasione Collectores ab eadem Sede super hoc deputati contra eum certos processus, quasdam speciales continentes sententias habuisse dicuntur, nostre Camere sit astrictus, asseratque se non posse commode propter alia incumbentia sibi onera de dictis quantitatibus satisfacere in presenti, volumus, ac tue discretioni mandamus, quatenus super solutione hujusmodi quantitatis pecunie pre-

stande Camere, manu (tractare conveniente et accomoda) de qua tue circumspectioni videbitur), non postponas. Interim sententias contra ipsum Patriarcham per processus dictorum Collectorum promulgatas, nihilominus relaxando. Addecto specialiter et expresse, quod si nobis tractatus per te super hiis faciendus, quem nobis notificare procures quamtotius, forsitan non placeret, dictus Patriarcha in sententias quibus erat ligatus antea propter hoc, recidat ipso facto. Datum Avenione, Kalendis Novembris, Pontificatus nostri anno undecimo..

Postmodum vero hujusmodi tractatum, et relaxationis negotium dilecto nobis in Christo Magistro Bertrando Rotundi Canonico Vinariensi Apostolice Sedis nuntio duximus committendum. Et eisdem Patriarcha et Canonico, sicut ex parte ipsorum nuper accepimus, super premissis nequentibus concordare, negotium ipsum per eos ad nostram prudentiam est remissum. Cum autem predictum Patriarcham ratione Decime Sexennalis dudum per dictam Sedem imposite, in centum marchas monete Frixachensium, que de pecunia dicte decime ad ipsius Patriarche manus pervenerant, prefate Camere fore invenimus obligatum, ratione vero decime triennalis olim similiter per eandem Sedem imposite, pro singulo videlicet hujusmodi trium annorum, trecentas marchas ejusdem monete, de quibus nuper cum procuratore et nuntio dicti Patriarche ad concordiam de bonis ad mensam suam Patriarchalem spectantibus eidem Camere solvere sit paratus, ac super solutione omnium dictarum marcharum que ad summam mille marcharum ascendunt, eidem Camere facienda, habuerimus cum nuntio et procuratore predicto tractatum:

nos ejusdem Patriarche, qui propter ipsarum decimarum solutionis defectum est diversis interdicti, suspensionis et excommunicationis in eum per memoratos Collectores prolatis, sententiis innodatus, saluti et statui in hac parte benignius providere volentes, ejus suplicationibus inclinati, discretioni tue; si dictus Patriarcha infra duorum mensium spatium a tempore receptionis presentium numerandum, idoneam dicto Canonico cautionem prestiterit, quod predictas marchas infra unum annum a tempore presentationis hujusmodi cautionis computandum, prefate Camere cum integritate persolvet, sententias ipsas, juxta formam Ecclesie relaxandi plenam et liberam dictarum litterarum auctoritate concedimus tenore presentium facultatem. Ea per te in hujusmodi relaxatione, prout Apostolicis litteris continetur eisdem, conditione expresse apposita. Quod si premissus tractatus prefato Domino nostro (cui illum post prestationem dicte cautionis et relaxationem predictas, prout tenemur, notificare intendimus), forsitan non placuerit, idem Patriarcha ipso facto in sententias recidet antedictas. Quidquid autem in premissis duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes, intimare quantocius non omittas.

Datum Bononie, VIII. Idus Junii. Pontificatus ejusdem D. Johannis Pape XXII. anno duodecimo.

Receptisque hodie per manum D. Berofini Canonici Aquilegensis litteris venerabilis viri D. Bertrandi Rotundi Canonici Vinariensis, Nuntii et Collectoris predicti subscripti tenoris:

Bertrandus Rotundi Canonicus Vinariensis Apostolice Sedis Nuntius, Collector Decimarum et fructuum a Sanctissimo Patre et Domino nostro D. Johanne superna Dei providente clementia Papa xxii. una cum aliis, in Aquilegensi et Gradensi Patriarchatibus in solidum deputatus, venerabili et circumspecto viro D. Johanni Abbati Monasterii Rosacensis, Diocesis Aquilegensis, salutem, et nostris, imo verius Apostolicis, firmiter obedire mandatis. Cum juxta mandatum nuper nobis directum per Reverendissimum in Christo Patrem D. Bertrandum miseratione divina Ostiensem et Velletrensem Episcopum, Apostolice Sedis Legatum, de recipiendis certis et idoneis cautionibus a Reverendo patre in Christo D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, pro solutione mille marcharum frixachensium, pretextu Decimarum Sexennalis, et triennalis, et ipsarum residuorum per ipsum D. Patriarcham nobis specialiter facienda: in quibus, tam pro receptis per ipsum ultimo termino Sexennalis, quam pro mensa dicti sui Patriarchatus tempore triennalis, camere dicti Domini nostri Pape inveneerat obligatum, discretus vir D. Berofinus de Giroldis de Cremona Aquilegensis Canonicus, Capellanus, et ut procurator, et nomine procuratorio dicti D. Patriarche, habens ad infrascripta, prout instrumento publico contineri vidimus, speciale mandatum, dicto procuratorio nomine, omnia bona dicti Patriarchatus generaliter nobis recipientibus pro dicta Camera obligavit de solvendo in Civitate Venetiarum, infra unum annum dictas mille marchas frixachensium in pecunia numerata. Nec non specialiter Gastaldias Carnie et Tulmini

cum universis fructibus et redditibus spectantibus ad easdem; Mutas Aquilegensis Ecclesie, et Gratiam vini quod ducitur de Istrie partibus, ac censum consuetum et debitum quadrigentarum et quinquaginta marcharum, quem dominus Dux et Commune Venetiarum pro juribus et jurisdictionibus Istrie eidem domino Patriarche et Ecclesie Aquilegensi annis singulis prestare tenentur. De quibus Gastaldiis, Mutis, Gratia vini, et Censu supra specificatis dictus D. Berofinus procurator predictus promisit, et etiam super Sancta Dei Evangelia juravit in ipsius Domini sui D. Patriarche animam, nihil per se, vel alium exigere, percipere, dare, seu obligare quousque de dictis mille marchis frixachensium nobis fuerit plene et integre satisfactum; ipseque procurator etiam dicto procuratorio nomine nobis promisit realiter se acturum, et sub etiam pena, prout in Istrumento obligationis et conventionis inde per ipsum facte, et nobiscum habite continetur, dandi et prestandi personas certas et idoneas, que se, et sua pro dictis mille marchis solvendis infra dictum annum nobis, aut cui mandabimus committendo, videlicet infra spatium trium mensium sufficienter et plenissime obligabunt; volumus eo casu, consentimus, et vobis mandamus quatenus dictum D. Patriarcham a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis contra ipsum et suam Aquilegensem Ecclesiam, tam auctoritate Predecessorum nostrorum in officio, quam etiam nostra diversimode promulgatis, possitis, et debeatis absolvere, juxta ipsius D. Legati litterarum continentiam et tenorem. Hoc addito, quod si infra dictum spatium dictorum trium mensium a presentatione et rece-

ptione presentium dumtaxat computandum, idem D. Patriarcha pro dicta cautione personas certas, sufficientes et idonees pro premissis solvendis infra dicti anni terminum nobis, aut alteri nomine nostro recipienti, presentare et dare cessaverit, in statum dicte excommunicationis pristinum, et in quo nunc est, sit, et recidat ipso facto. Datum, et actum apud Venetias, in Prioratu S. Trinitatis, sub sigillo nostro. Anno a Nativitate Domini M. CCC. XXVIII. Undecime Indictionis, mense Julii, die XXII. Pontificatus ejusdem Domini nostri Pape anno XII. Eundem D. Patriarcham in ipsius D. Abbatis presentia constitutum, et omnia que per dictum suum procuratorem premissa et acta sunt in predictis ratificantem, et approbantem, atque promittentem, et offerentem dare infra terminum supradictum trium mensium personas idoneas, sufficientes, et certas pro premissis infra jam dictum annum solvendis, humiliter petentem se absolvi a sententiis et processibus supradictis, idem D. Abbas, juxta formam Ecclesie, ab eisdem sententiis et processibus absolvit, auctoritate sibi in hac parte commissa, et eosdem processus et sententias relaxavit; hoc adjecto specialiter et expresse, quod si tractatus factus inter jam dictum D. Legatum, et ipsum D. Patriarcham forsitan dicto D. Pape non placuerit, aut si forte infra jam dictum terminum trium mensium personas sufficientes, et certas, et idoneas pro premissis solvendis infra annum jam dicto D. Bertrando collectori non presentaverit, ut promisit, et dederit, in sententias et processus hujusmodi recedat ipso facto. A. N. U. o.

N. 527.

1328 29 *Settembre Udine.*
Parlamento e nomina de' Consiglieri.

Gabriele da Cremona C. P.

In nomine Domini amen. Anno Domini M.CCC.XXVIII. Indictione XI. die penultimo Septembris. Infrascripta facta sunt in Colloquio generali celebrato Utini, in quo interfuerunt infrascripte notabiles persone.

D. Abbas Sextensis.
D. Abbas Bellunensi.
D. Decanus Civitatensis.
D. Ulvinus de Prampergo Plebanus de Strassoldo.
D. Decanus Concordiensis.
D. Articus de Prampergo miles.
D. Hector de Utino miles.
D. Federicus de Villalta.
D. Johannes de Villalta.
D. Odoricus de Villalta.
D. Bernardus de Strassoldo.
D. Johannes de Pulcinico.
D. Fantussius de Pulcinico.
D. Franciscus de Sbrolavacha.
D. Bortulus de Sbrolavacha.
D. Arnoldus de Brazzacho.
D. Nicolaus de Castello.

D. Johanninus de Aquilegia.
D. Jacobus de Ragonea.
D. Nicolaus de Faganea.
D. Pupinus de Faganea.
D. Gerardus de Cucanea.
D. Johannes de Pertinstayn.
D. Michulus de Pertinstayn.
D. Fantinus de Pertinstayn.
D. Johannes D. Adalpreti de Cucanea,
D. Henricus D. Adalpreti de Cucanea.
D. Henricus D. Adalpreti de Cucanea.
D. Rizzardus de Valvasono.
D. Federicus de Pers.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Leonardus de Tercano.
D. Franciscus de Tercano.
D. Federicus de Savorgnano.
D. Bellus de Savorgnano.
D. Simon de Budrio.
D. Odoricus de Budrio.
D. Franciscus de Manzano.
D. Ainzutus de Flagonea.
D. Nicolaus de Soffumbergo.
D. Magister Guilelmus Magistri Valteri de Civitate.
Nicolaus Notarius de Glemona.
Odoricus Notarius de Utino.
Franciscus Notarius de Utino.

Federicus Magistri Galvagni Notarius de Utino, et aliorum quamplurium, tam Nobilium, quam popularium et Communitatum multitudo copiosa.

Propositis igitur per D. Patriarcham verbis pluribus diligenter et provide super statu totius Terre; ac factis in ipso Colloquio multis clamoribus et querimoniis; facta inquisitione more solito a circumstantibus, quid esset agendum: consultum fuit et provisum, quod pro exoneratione omnium, et quia melius, et salubrius provideri potest per paucos, quam per multos, super his que providenda et ordinanda sunt, fiant Consiliarii novi, more solito, qui consulant, et esse debeant cum D. Patriarcha super omnibus que dicta sunt in Colloquio antedicto. Et tunc omnes secedentes in parteu, suos Consiliarios elegerunt sicut inferius annotantur.

Pro Prelatis.

D. Abbas Bellunensis.

D. Raynaldus Thesaurarius Aquilegensis.

Pro Liberis.

D. Federicus de Villalta.

D. Bernardus de Strassoldo.

Pro Communitatibus.

D. Hector de Utino.

D. Hugo D. Contii de Civitate.

D. Nicolaus de Guella de Aquilegia.

D. Mattiussius Presbiter de Glemona.

Pro Ministerialibus.

D. Articus de Prampergo.

D. Federicus de Pers.

D. Johannes de Cucanea.

D. Bernardus de Colloreto.

D. Leonardus de Tercano.

D. Ossalchus de Strassoldo.
D. Fantussius de Pulcinico.
D. Nicolaus de Soffumbergo.
A. C. U. c.

N. 528.

1328 5 *Ottobre Cividale.*
Antoniolo della Torre Capitano di Tolmino porta via gli animali a Stojano di Lambrio.

Benvenuto q.^{m} Corrado Not.

Die quinto intrante Octubri. In Civitate, ante domum Communis. Presentibus D. Philippo de Portis, Rodulfo ejus nepote, D. Nicolao q.^{m} D. Candidi de Canussio, Alberto filio q.^{m} D. Putii de Florentia, Civitate commorante, et aliis.

Cum Stoyanus de Lambrio Massarius Henrici q.^{m} Nicolussii de Pertinstagno fregisset quandam Intromissionem factam ad petitionem Francisci filii q.^{m} Chinde, prout asserebat ibidem, et D. Antoniolus Capitaneus Tulmini accepisset tantam quantitatem bestiarum, et armentorum causa et occasione dicte offensionis, D. Ulvinus q.^{m} D. Candidi de Canussio, precibus dicti Stoyani, eidem D. Antoniolo se per fidejussionem obligavit pro dicto Stoyano, pro quinque marchis Denariorum Aquil. monete, si statutum in antea sententialiter extitit, quod dictus Stoyanus offendisset causa predicta etc. A. N. U. o.

bere debebat libras novem centum et quinquaginta parvorum; et pro secundo anno idem Nicolussius asserebat quod dictus Patriarcha locaverat dictum Castrum sibi pro septem centum libris parvorum: ita quod faciendo rationem pro indempnitate primi anni, debebant defalcari libre due centum et quinquaginta; et pro secundo totidem: et hiis omnibus fuerunt presentes D. Abbas Rosacensis Vicarius dicti D. Patriarche, et Franciscus Nassuti de Utino, ut asserit dictus Nicolussius. Dictus vero D. Patriarcha ignorans utrum ita esset, dixit se velle adventum dicti Vicarii expectare, et in adventu suo perscrutari veritatem eorundem a supradictis Vicario et Francisco; et si ipsi confiterentur ita esse, ut premittitur, securitas hujusmodi debebat esse cassa et vana. Si vero non reperiretur rei veritas, ut premittitur, dictus Nicolussius debebat producere Instrumentum coram dicto D. Patriarcha, qui providere debeat indempnitati dicti Nicolussii, prout benignitati sue videbitur expedire, solvendo tamen residuum locationis supradicte, si repertum non fuerit integre persolvisse. Item cum dictus D. Patriarcha dicat quod Nicolussius incidi fecerit certa nemora in confinibus Cinti Gastaldie Medune in dampnum suum, et contra preceptum Officialium dicti Domini; et idem Nicolussius dicat se emisse dicta nemora a Bernardo de Strassoldo, et quod post intromissionem dicti nemoris, seu preceptum prefatum, nisi postquam habuit litteras ab ipso Domino super hoc, novitatem aliquam non fecit in eisdem: et idem D. Patriarcha dicat se ignorare de litteris antedictis: et si facte fuerunt, fictitie fuerunt, et fraudolose impetrate. Super quibus idem

Nicolussius promisit, et securitatem prestitit, quod comparebit coram D. Patriarcha cum ab ipso fuerit requisitus per litteras, aut ejus nuntium specialem, cum instrumento suo venditionis dictorum nemorum facte sibi per prefatum Bernardum, et litteris supradictis: per quod Instrumentum si ostenderit quod nemora ipsa emerit ab ipso Bernardo, D. Patriarcha recursum habere debet supra ipsum Bernardum. Quod si dicte littere forent fictitie, aut impetrate tacita veritate, debent videri et examinari; et si repertum fuerit quod non fuerint fictitie, seu tacita veritate impetrate, idem Nicolussius debet absolvi: et si contra predicta fecisset, condempnari, prout ordo postulat rationis. Pro quibus omnibus et singulis attendendis, et firmiter observandis, nobiles viri Domini Rizzardus de Cuchanea, et Philippus de Portis de Civitate ad preces dicti Nicolussii, se constituerunt fidejussores. A. N. U. o.

N. 530.

1328

Timori di guerra e di assedio, ed apparecchi di difesa.

M. S. Fontanini. T. VI. pag. 175.

Civitas nostra Utini tempore suspicionis belli menia ipsius munire volens, Plebes, sive villas ad hoc peragendum sibi commissas vocabat. Qua propter currente anno Christifere salutis MCCCXXVIII, sub Patriarchatu Pagani de la Turre Mediolanensis, existente Gastaldione Ci-

vitalis nostre Utini nob. Viro D. Conrado de Bernardigio, ac nobilibus Dominis Hectore ac Federico fratribus de Savorgnano ad gubernium deputatis a novo et veteri Consilio Civitatis, et Hermanno de Percoto Camerario Communis, quidam timor surrexit ne gentes Regulorum vicinorum, faventibus Castellanis Patrie, dictem Urbem aggredi tentarent, ad quam muniendam, in ea parte ubi Turris erat post Cenobium Fratrum Sancti Dominici, sequentes ville, sive Plebes fuerunt vocate, quarum hominibus laborantibus per Camerarium prefatum Communis, sic mandantibus D. Gastaldione, et ad gubernium deputatis, fuerunt dati panes quatuor in die cum duabus Trullis vini pro quolibet laboratore, et libras duas Carnis.

Pasigliano, Puzzoleo, Cussignacco,
Vissaudono, Gallargiano, Orgnano,
Plebs Tricesimi. Carpeneto, Sclaunico, Nimis,

Reverendus vero in Christo Pater D. Paganus prefatus occasione dicti timoris belli cum D. Comite de Ortemburg, Civitati nostre posuit impositionem centum Marcharum solutarum per predictum Hermannum Camerarium Communis, et dicta Civitas fecit aptare murum Castellanum vetustate consumptum, et illius stipari foramina post Ecclesiam S. Francisci. Item custodias imposuit super Portis Aquilegie de Burgo et Ville, cum duabus ferreis catenis implumbatis pro qualibet Porta. Idem fuit factum super Portis Postcollis de Burgo, ubi erat magnus lacus sive Gurges, Grazani de Burgo,

S. Lazari de Burgo, (que porta est a Dominis Floriis possessa) Glemone de Burgo, in cujus loco nobile edificium familie de Touinis est constructum, nunc per Cartarios possessum, S. Bartholomei, sive de Cividato, nunc possessa per familiam de Manticis, mediante publica recognitione. Alia porta erat, que Utini dicebatur, ejus locum precise nequeo demonstrare; credo ego quod ista porta sit illa Turris noviter restaurata a Ludovico Manino Patricio Veneto. Intrinsecus vero erat Porta Civitatis, et erat in circuitu Arcis antique, sive Castri, et creditur in loco, ubi est Turris horaria, et Civitas, sive Castrum antiquum unicam habebat Portam. Nam in quodam Codice pervetusto de anno salutis MCCCXXVIII expensarum factarum per dictum Camerarium Communis, et conscripto manu Benvenuti Notarii Communis, ita legitur: Item die eadem, scilicet IV. Julii, pro reparatione serrature porte Civitatis intrinsecus den. IV. Putei etiam sub Monte, et Fori Novi fuerunt optimis funibus aptati pro aquis hauriendis ad beneficium populorum et militie.

De mandato ulterius D. Gastaldionis et Consilii Civitatis misse illico sunt spie ad videndum ubi reperiantur gentes illorum de Orvynstain, et hoc iterum per octo dies continuos de mandato, ut supra, steterunt Bordonus et Petrus de Potscolle super Palatio Rev. D. Patriarche pro effectu predicto. Provisum etiam fuit, quod filius cujusdam vocati Gambelongie staret diu noctuque cum socio supra Turrim Campanarum ad sonandum Campanas ad martellum, casu quo gentes predicte vellent venire ad damna nostre urbis et illius Territorii nec non villarum extrinsecarum.

Sed quia diversa decrant arma, decretum fuit, quod per Magistrum Aulinum artificem multe deberent construi Pillote et alia artificia ad defensionem Civitatis. Onus militare de commissione D. Gastaldionis et Consilii fuit impositum per D. Federicum de Savorgnano et Socios popularibus et burgensibus, qui postea dederunt monstram in Campoformio, clamantibus Vintero et Dunello Preconibus Communis ad sonum pive.

Illi etiam de Sacilo timebant supradictas Gentes, ideo Civitatem nostram humillime supplicaverunt de auxilio. Quibus Sacilanis de commissione D. Gastaldionis et Consilii missi fuerunt quindecim armati pedites, quibus pro stipendio unius mensis exbursate fuerunt XVIII Marche.

Dicto tempore quedam novitas est suborta inter homines Terre Mugle, que multum displicuit Civitati nostre.

Qua propter de mandato Gastaldionis, et totius Consilii missi fuerunt iu Ambaxiatores, sive Nuncios ad Commune dicte Terre Andreas, et Odorlicus Miulite super eo quod dicte Civitati multum displicebat dicta novitas, et etiam pro illa sedanda et tollenda, cum nostra Civitas magnam semper habuerit protectionem dicte Terre Mugle.

Hoc interim dictus D. Patriarcha cum militia Utinensi ivit Medunam pro visitatione illius loci, et de mandato D. Gastaldionis et Consilii cum dicta militia ivit Nicolussius q.m D. Federici Andriotte, qui expendit pro victu dictarum Gentium Marchas XV.

In suo antiquo splendore nihilominus nostra Communitas permanebat. Nam fecit tunicas Preconibus suis

de Panno rubeo, et viridi, cum suo cuculario pro quibus tunicis conficiendis empta fuerunt Brachia xxxvii cum dimidio panni. Item facte fuerunt tres Banderie de Vilgesio et tres Pinelli ad usum, ed magnificentiam ipsius. B. S. D. c.

N. 531.

1328 14 *Novembre Udine.*
Bertolo di S. Daniele è condannato a restituire le cose tolte a Lodovico di Caporiacco.

Gubertino da Novate Can. P.

In nomine Domini amen. Cum questio appellationis verteretur coram nobis Petro Mora Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, super eo quod nobiles viri D. Ludovicus de Caporyaco ex parte una, et D. Bertulus de S. Daniele ex altera conquerebantur sibi ad invicem fuisse accepta certa bona, videlicet D. Ludovicus petebat quandam equam sibi acceptam per dictum Bertulum et quendam bovem; et D. Bertulus petebat quatuor boves sibi acceptos per dictum Ludovicum, seu ad ejus requisitionem; et arbitro hinc inde super hoc electo, ut de questione videret et sententiaret. Qui cognita veritate cause, diffiniendo sententiavit, dictam equam dicto D. Ludovico debere restitui altressum, et sexaginta libras; triginta ad iutrandum, et triginta ad exeundum de domo de qua accepti fuerunt dicti boves.

A qua quidem sententia dictus D. Ludovicus sentiens se gravatum appellavit ad arbitrium boni viri, scilicet ad D. Patriarcham, seu ejus Vicarium, et cum dicta questio verteretur coram nobis Petro Vicario supradicto, dictam causam examinavimus juris ordine observato.
A. N. U. o.

N. 532.

1328 15 *Novembre Udine.*
Gian Pietro e Duringussio di Mels
colpiti di Scomunica.

Gubertino da Novate Can. P.

Petrus Mora Vicarius Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, universis et singulis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Prepositis, Decanis, Plebanis ac ceteris Ecclesiarum Rectoribus et ministris, eorumque Vicariis, ad quos presentes pervenerint, salutem in Domino.

Cum per nostras litteras districte sub excommunicationis pena dederimus in mandatis Johanni Petro et Duringussio de Mels executoribus testamenti q.m D. Duringi de Mels, ut infra certum terminum diu elapsum solvere deberent D. Arthico de Prampergo procuratori, et procuratorio nomine Communis et hominum de Glemona, mille triginta libras parvorum per usurariam pravitatem extortas dictis Communi et hominibus per dictum q.m D. Duringum, in quibus ipsos per quandam

sententiam per nos latam contra eos condempnavimus: iidemque Johannes Petrus et Duringussius nostrorum mandatorum contemptores, dictam pecuniam persolvere non curaverint infra terminum supradictum: Nos, exigente justitia, sententiam excommunicationis in eosdem duximus promulgandum. Quare mandamus vobis districte precipiendo sub excommunicationis pena, quatenus prefatos Johannem Petrum, et Duringussium diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis et extinctis, in Missarum solempniis, coram populo, tamdiu excommunicatos publice denuntietis, donec prefato D. Arthico procuratori supradicto de premissa pecunie quantitate integre satisfecerint, ac nostris et Ecclesie mandatis venerint humiliter pariturі, ab hujusmodi denunciatione non cessantes, quousque de ipsorum absolutione vobis constiterit evidenter.

Datum Utini, Anno a Nativitate Domini M.CCC.XXVIII. die XV. Novembris, indictione XI. A. N. U. O.

N. 533.

1328 18 *Novembre Moggio.*
L' uffizio di Scudifero è dall' Abbate di Moggio dato in Feudo a Enrico di Protresach.

Manuscritti del Fontanini.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis M. CCC. XXVIII, Indictione XI. die octavo decimo intrante mense Novembris. Presentibus honorabilibus viris D.

Ulvingo de Prampergo, D. Candido de Varmo plebano de Mocio, D. Bernardo plebano S. Michaelis in Ech, Mambello q.m Pagni de Florentia, Thomasino q.m Marini de Mocio, et aliis pluribus ad hoc convocatis et rogatis.

Venerabilis in Christo pater et D. D. Bertholdus permissione divina Abbas Monasterii Mosacensis, per se suosque Successores, cum consensu et voluntate sui Conventus, videlicet Dominorum Monachorum Viviani Prioris, Johannis, Philippi, Nicolai sacriste et Johannis Diaconi ad hoc specialiter in infrascipto loco congregatorum, dedit, contulit, atque investivit jure Ministerialis Feudi, quod pertinet ad Scutiferale officium, Henrico q.m Albret de Protresach, suisque heredibus decimam quam olim pater ejus, videlicet Albret predictus, emit a q.m Morafino jure emptionis, prout asseruerunt predicti D. Abbas, Vivianus Prior et Johannes monachi, que Decima colligitur in villa, que dicitur Prut, que jacet apud Gillam, et omnes fructus et proventus ipsius decime, prout jus decimarum postulat in partibus illis, eo jure quo predictus ejus pater eam habuit et possedit, ita quod predictus Henricus possit uti, frui, et colligere decimam predictam eo modo quo predicti Morafinus et Albretus habuerunt et possederunt, quia predictus Morafinus antiquitus habuit ipsam Decimam a predicto Monasterio jure predicti feudi. Et hoc idem ipse D. Abbas fecit, reservatis sibi servitute et officio in quibus predictus Henricus prefato D. Abbati, aut suis Successoribus tenetur, prout ordo veri ipsius feudi Ministerialis in scutiferali officio postulat et requirit: videlicet quod pre-

fatus Henricus prenominato D. Abbati aut Successoribus suis fideliter et legaliter atque bona fide serviat, obediat, et officium suum exerceat, prout tenetur. Quod si hec, aut horum aliquod non fecerit, vel ita non fecerit, ut dictum est, quia forte sui negligentia, vel malitia, aut pigritia in predicto officio semel desierit, tunc dictus D. Abbas super eo provideat, prout jus et ratio ipsius ministerialis feudi in Scutiferali officio postulat et requirit. Et promisit prefatus D. Abbas per se, suosque Successores predicto Henrico, suisque Heredibus predictam Decimam non auferre, nec auferenti consentire aliqua ratione vel causa, de jure vel de facto, dummodo ipse Henricus serviat, ut superius est expressum, sed ipsam decimam, et fructus ejus, et proventus in omnibus et per omnia ab omni homine et universitate legitime difendere, auctorizare, et disbrigare, atque manutenere in omnibus predictis, prout bonus et verus dominus feudatarium suum defendere, et manutenere tenetur. B. S. D.c.

N. 534.

1328 26 *Novembre Udine.*
Elezione e conferma del Podestà di Pola.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xxvi. Novembris. Presentibus Nobilibus viris Dominis Fedrigino de la Turre Capitaneo Glemone, Michaele de la Turre nepote, Nicoleto de Lasalle de Geriux familiare D. Patriarche Aquilegensis. Accedens

ad presentiam dicti D. Patriarche Johannes Subtilis de Pola, Sindicus et procurator Capitanei et universitatis Polensis ad infrascripta specialiter deputatus, ut de procuratorio hujusmodi constat per publicum Instrumentum, scriptum manu Adalgerii notarii filii Leonis notarii de Pola, anno et indictione presentibus, die vero penultimo mensis Octubris, supplicavit dicto D. Patriarche, ut sibi, procuratorio nomine supradicto, dignaretur concedere, quod posset eligere Potestatem et Rectorem de Civitate, qui D. Patriarcha hujusmodi licentiam concessit eidem. Qua sibi data, Christi nomine invocato, Nobilem virum D. Georgium Basilium de Venetiis, in dicte Civitatis Potestatem et Rectorem elegit. Quam electionem dictus D. Patriarcha, acceptando eundem D. Georgium in dicte Civitatis Potestatem et Rectorem, confirmavit, concedens sibi litteras tenoris infrascripti.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, ad quem pleno jure spectat Potestatem, sive Rectorem dare Terre nostre de Pola, Nobilem virum D. Georgium Basilium de Venetiis nobis per Johannem Subtilem de Pola Sindicum Capitanei et universitatis Polensis, de nostra licentia presentatum, eidem Terre et universitati in Potestatem concedimus, tenore presentium, et Rectorem; precipientes sibi, ut Rectori, in omnibus, que ad dictum officium pertinent, obediri. Alioquin penas, seu mulctas, quas rite tulerit in rebelles, faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum Utini, in nostro Patriarchali Palatio, anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXVIII. die XXVI. Novembris. Indictione XI. A. N. U. o.

N. 535.

1328 28 *Novembre Udine.*
Fidejussione prestata al Collettore delle Decime pei debiti del Patriarca.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XXVIII. mensis Novembris. Utini, in Palatio Patriarchali; presentibus testibus venerabilibus viris Dominis Petro Mora Rectore Ecclesie S. Marie de Turri Mediolanensis Diocesis, Tramontano de Portis Plebano Plebis S. Cantiani de Craimburch, Presbitero Thaddeo Mansionario Ecclesie Aquilegensis, Vincentio Sacrista Concordiensi, Presbitero Marino de Sale de Clugia, et nobili viro D. Francischino da Laturre de Mediolano, ac aliis multis.

Cum venerabiles et discreti viri Domini frater Johannes Monasterii Rosacensis, Guillelmus Decanus Aquilegensis, Guido Decanus Civitatensis, Philippouus de Laturre ejusdem Ecclesie Civitatensis Prepositus, Franciscus natus q.m D. Zoufredi de Laturre Prepositus Ecclesie S. Odorici supra Tulmentum Aquilegensis Diocesis, et Carlevarius de Laturre de Mediolano filius q.m D. Zanini de Laturre, et quilibet eorum in solidum ad instantiam venerabilis Patris D. Pagani Dei et Aposto-

lice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, prout ipse D. Patriarcha ibi presens confitebatur fidejussissent pro ipso D. Patriarcha in manibus venerabilis viri D. Bertrandi Rotundi Canonici Vinariensis, Apostolice Sedis Nuntii, Collectoris Decimarum et fructuum, a Sede eadem deputati, de mille marchis denariorum Aquilegensium, in quibus idem D. Patriarcha pro se, et Predecessoribus suis dicte Sedi tenebatur, occasione Decime Sexennalis et Triennalis olim imposite per Sedem eandem, que solute non fuerant de mensa Patriarchali, et super quibus facta fuit conventio inter ipsum D. Patriarcham et Sedem Apostolicam supradictam in mille marchis predictis, de quibus pars jam soluta existit: idem D. Patriarcha nolens quod ipsi fidejussores sui ex eorum liberalitate dampnum debeant reportare, promisit eis presentibus et stipulantibus, eos et quemlibet eorum ab hujusmodi debito et fidejussione servare indempnes, suis propriis et Ecclesie Aquilegensis expensis; obligando eisdem, et cuilibet eorum omnia sua et Ecclesie sue, sive Patriarchatus sui, bona: Renuntians exceptioni non facte promissionis et obligationis, et quod non possit dicere, aut opponere fidejussionem hujusmodi, et debitum supradictum factum fuisse sine causa, aut ex injusta causa, aut non fore usum in utilitatem Ecclesie Aquilegensis predicte: cum ad hoc compulsus extiterit idem D. Patriarcha a dicta Sede et Nuntiis ejus per excommunicationis et interdicti sententias, ac diversos alios processus. A. N. U. o.

N. 536.

1328 9 *Dicembre Udine.*
Feudi de' Signori di Soffumberch.

Martino di S. Odorico Not.

Anno Domini M.CCC.XXVIII. Indictione XI. die nono intrante Decembri. In Utino, in Palatio Patriarchali. Presentibus Reverendo Domino, Domino Cantiano Episcopo Emonensi, Nobilibus viris D. Girardo filio D. Odorlici de Cucanea, Francisco de Tricano, Federico de Savorgnano filio q.^m D. Costantini, Magistro Condeo Phisico, medico D. Patriarche infrascripti, Leonardo de Vicentia Utini commorante, et aliis.

Cum Reverendus pater et D. D. Paganus Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha nobilem virum D. Nicolaum de Sorphumberch, filium q.^m D. Vorlici de bonis feudalibus investisset, prout quodam Instrumento facto manu mei Notarii subscripti sub predictis anno, Indictione, die, loco, et testibus plenius continetur, idem D. Nicolaus ibidem confessus et contentus fuit, tam oretenus, quam in scriptis porrectis et datis predicto D. Patriarche, se habere ad rectum et legale feudum, secundum consuetudinem Terre Forijulii ab ipso D. Patriarcha et Aquilegensi Ecclesia infrascripta bona: que quidem bona dictus D. Vorlicus pater dicti D. Nicolai, et ejus antecessores eodem modo antiquitus habuerunt ab Ecclesia Aquilegensi.

In primis Turrim Castri Sorphimberch cum domibus et Sediminibus dicte Turri, et mantello dicti Castri adherentibus.

Item Domos et Sedimina posita in Barbachano ipsius.

Item omnes terras et possessiones que habet in monte et plano, in Dominio et in pertinentiis Sorphimberch.

Mansos duos in villa de Campiglio.

Item mansos duos in villa de Rostha.

Item mansum unum in villa de Maxarolis.

Item mansos quinque in villa de Questa, et omnia que in dicta villa sunt.

Item mansum unum in villa de Griglono.

Item mansos tres in villa de Orsaria.

Item mansos undecim in villa de Papia.

Item mansos duos et medium in villa de Pesseriano.

Item mansum unum in villa de Selz in Contrata Tulmini.

Item mansos duos in eadem Contrata; unum in Prapoth, et alterum in Pobza.

Item mansos duodecim in Contrata Vipachi.

Item urnas vini viginti de Canipa Aquilegensi D. Patriarche in redditibus annuatim.

Item mansum unum in villa de Paderno.

Item mansos quatuor in villa de Sclapt.

Item mansum unum in villa de Orzano.

Item mansos sex in villa de Bressa.

Item mansos novem in villa de ....

Item mansum unum in villa de Slobozmna.

Item mansos duos in villa de Trebil; salvo si plus vel minus requirentur.

Et ego Martinus Imperiali auctoritate Notarius de S. Odorico hiis interfui, et rogatus scripsi. A. C. U. o.

N. 537.

1328 13 *Dicembre Udine.*
Selva di Sgeden data in affitto alla Comunità di S. Odorico.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xiii. mensis Decembris. Presente Presbitero Nicola Plebano Flambri, Hermano de Carnea, Johannolo de Oppreno, et Faciolo dicto Rafagnio de Mediolano testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Venerabilis vir D. Franciscolus de la Turre Prepositus S. Odorici supra Tulmentum, suo nomine et Successorum suorum investivit per fimbriam sui epitogii Hendricum Decanum dicte ville S. Odorici recipientem suo nomine, et nomine Communis et hominum dicte ville nominatim de silva una, que vocatur Sgeden, sita apud ipsam villam, ad dictum D. Prepositum et ejus Ecclesiam antedictam spectante, et habendum, tenendum, et nomine locationis possidendum, ac in ea, ligna incidendum, pasculandum, segandum, omnemque suam voluntatem et comodum faciendum; a festo Nativitatis Domini proxime futuro, usque ad novem annos proximos et completos,

solvendo pro eadem silva ipsi D. Preposito, seu ejus Successoribus annuatim in festo Nativitatis Domini, Marcham unam denariorum Aquilegensium novorum, et unam gallinam pro quolibet foco in dicta villa existente. Quam quidem locationem idem D. Prepositus promisit, obligando omnia sua bona et ejus Ecclesie supradicte presentia et futura, habere ratam, et firmam usque ad terminum supradictum, ut contra ipsum non facere, aut venire aliqua ratione, aut causa, per se, aut per alium, seu alios, sed eandem silvam sibi defendere, manutenere, et guarentare ab omni persona, collegio et universitate.

Actum Utini, in Castro Patriarchali juxta cameram Prepositi. C. F. o.

N. 538.

1328 17 *Dicembre.*

Feudo di Guarnero di Ajello.

Anno Domini M. CCC. XXVIII. Indic. XI. die XVII. intrante Decembri. D. Guarnerius q.^m D. Churadi de Agello dicit, quod habet in Feudum a D. Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi infrascripta bona. In primis tres mansos jacentes in villa de Agello. Debet pro dicto Feudo Ministerii servire D. Patriarche cum uno equo pro somerio, qui portet preparamenta Capelle D. Patriarche, quando ipse D. Patriarcha vadit ad D. Imperatorem pro suis feudis. A. C. U. o.

N. 539.

1328

Il Patriarca cede Valle d' Istria ai Veneziani.

Hoc tempore etiam civitas Polæ, quæ vinculo fidelitatis Venetis erat adstricta, libere ipsius Civitatis dominium sub Ducali protectione posuit, et illud idem illi de Valle fecerunt. De quo Paganus Aquilegiensis Patriarcha, sentiens se gravatum, exercitum congregavit, sed tandem resistere non valens, per pacta inita ipsæ civitates sub Ducali dominio remanserunt.

Chronicon Andreæ Danduli. Scrip. R. I. T. XII. col. 413.

N. 540.

1329 11 *Gennajo Udine.*
Cambio di Servi proposto da Artico di Castello Vescovo di Concordia ed accettato.

Stefano Romano Valconio Not.

Anno Domini M. CCC. XXIX. Indictione XII. die XI. intrante Januario. Presentibus Nobilibus viris Dominis Odorlicho de Chuchanea, Artichо de Prampergo, Hectore de Savorgnano militibus, Dominis Henrico de Strassoldo, Asquino de Colloreto, Dominis Odorlicho, Franci-

seu Nasuti Notariis de Utino testibus, et aliis ad hoc vocatis, et rogatis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, sedente pro tribunali, pervenit, et comparuit Reverendus Pater D. Hartichus Dei, et Apostolice Sedis gratia Episcopus Concordiensis dicens et protestans pro se, ac loco, vice, et tutorio nomine Federici q.^m D. Johannis nepotis sui de Castello, quod dictus Fedricus ejus nepos quendam servitorem suum hominem de Masnata, et sibi subiectum habet, videlicet Nicolaum dictum Cholettum, filium Polironi de Bagnarola, quem Nicolaum dictum Cholettum, nomine gambii et permutationis pro certis gratis servitiis habitis et receptis de sua persona, in servitorem et sibi subjectum assumere, et accipere volebat; qui Fedrico suo nepoti, nomine gambii et permutationis, per dictum Nicolaum Cholettum tres suos servitores et homines de Masnata, videlicet Johannem, Nicolaum, et Fedrichum fratres, filios q.^m Petri de Trecento dare et assignare volebat. Qui Dominus Hartichus Episcopus predictus, nomine dicti gambii et permutationis, predictum Nicolaum Cholettum petebat, et volebat tantummodo in persona, sed predictos Johannem, Nicolaum, et Fedrichum fratres, dicto Fedrico suo nepoti, nomine dicti gambii, dare et assignare volebat cum bonis et personis. Que quidem omnia et singula predicta, proposita et allegata per ipsum D. Hartichum Episcopum, petit, et rogavit predictum Reverendum Patrem et D. D. Paganum Patriarcham, ut per sententiam faceret diffiniri si pro se, et vice, ac tutorio

nomine dicti Fedrici sui nepotis, predictum gambium et permutationem predictorum hominum de Masnata facere posset. Super quibus vero allegationibus et propositionibus factis, dictus Reverendus Pater et D. D. Paganus Patriarcha petiit a testibus supradictis, et aliis circumstantibus in suo Consilio congregatis more solito, quid inde ordo juris et ratio postularet; et si dictum gambium et permutatio fieri poterat. Sententiatum vero fuit per omnes et singulos existentes in Consilio dicti D. Patriarche, nemine discrepante, quod postquam dictus D. Hartichus Episcopus pro se, et tutorio nomine dicti Federici sui nepotis, gambium predictum facere volebat, et ipsum gambium et permutationem facere videbatur in utilitate et melioramento dicti Fedrici sui nepotis, et quod utilitas erat et melioramentum, ut ibique extitit, et fuit affirmatum, quod dictum gambium et permutationem bene facere potest, et quod dictus D. Patriarcha licentiam et auctoritatem dicto D. Episcopo dare et concedere debeat in predictis. Qui D. Paganus Patriarcha, vigore sententie, dicto D. Episcopo ad dictum gambium et permutationem faciendam licentiam atque auctoritatem omnimodam tradidit, atque dedit, confirmans et ratificans, ut extitit sententiatum.

Actum Utini, in sala Patriarchalis palatii apud Curiam. A. C. U. o.

N. 541.

1329 17 *Gennajo Udine.*
Feudo accordato a Filippo e fratelli di S. Daniele coll' obbligo di custodire le prigioni, e di portar le lettere del Patriarca.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xvii. Januarii. Utini, in Patriarchali Palatio, presentibus testibus Presbitero Nicolao Plebano Flambrii, D. Opicino Malamusca de Mediolano Gastaldione S. Danielis, Berria de S. Daniele, et aliis.

Constitutus in presentia Ven. Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, Philippus filius Zilii fabri de S. Daniele, ipsi D. Patriarche humiliter supplicavit, ut cum ipse Philippus, et Sopolus, ac Thomas fratres sui emerint in S. Daniele et ejus territorio unam domum cum Baiarcieto, que fuerunt q.m Johannis Morandi, et unum campum, qui fuit Gavardi, que sunt de Feudo ipsius D. Patriarche ad custodiam carceris, et portandum litteras ejus deputato, ipsos fratres de eisdem domo, Baiarcieto, et campo cum suis oneribus investire dignaretur. Qui D. Patriarcha, sperans eosdem fratres esse sibi et Ecclesie Aquil. in predictis ministeriis utiles et fideles, eundem Philippum, suo, et predictorum fratrum suorum nomine recipientem, de predictis domo, Baiarcieto, et campo cum oneribus, que ministeria predicta requirunt, per unum Capucium, quod suis tenebat manibus, investivit. A. N. U. o.

N. 542.

1329 13 *Febrajo Udine.*
Feudo in S. Daniele accordato alle figlie di Peregrina da Strata.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XIII. mensis Februarii. Utini, in predicto Palatio. Presentibus testibus nobili viro D. Johanne de Cucanea, D. Obicino Malamuscha de Mediolano Gastaldione S. Danielis, et Magistro Odorlico, et Francisco Naxuti de Utino Notariis, et aliis.

Constitutus in presentia prefati D. Patriarche Julianus filius q.m Petri Zotoni de S. Daniele, notificavit ipsi D. Patriarche, quod Peregrina uxor q.m Petri de Strata de S. Daniele, que fuit Feudataria ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, de uno casamento et terra tenente se cum eo, jacente in S. Daniele apud Cortinam ipsius loci, que sunt feudi ministerialis, defuncta est, relictis tribus filiabus, Gardučia videlicet uxore ipsius Juliani, Galiana et Palma, ad quas, ex ipsius earum matris successione, feudum predictum, secundum naturam ejus, pervenire debet. Unde idem Julianus supplicavit ipsi D. Patriarche, quatenus eum, nomine dicte uxoris sue et Sororum predictarum ejusdem, ac filiorum suorum, de hujusmodi Feudo investire benigne dignaretur. Qui D. Patriarcha, inclinatus supplicationibus Juliani predicti, eundem cum uno caputio, quod tene-

bat suis manibus, nomine prefate uxoris sue, et sororum earum, ac descendentium ab eisdem, de Casamento ac terra predictis, et omnibus juribus pertinentibus ad dictum feudum, investivit. Ita tamen quod per ipsum Julianum, aut alterum virorum dictarum Sororum, aut unum ex superstitibus earundem, Feudum ipsum, quoties expedierit, serviatur, secundum quod emolumentum rei feudalis habuit, tempore necessitatis ipsius servitii. Quod quidem fideliter impendere dictus Julianus in animas dictarum uxoris sue, et sororum, ac descendentium ab eisdem, promisit ipsi D. Patriarche pariter ac juravit, A. N. U. o.

N. 543.

1329 25 *Febrajo.*

Vani tentativi per instituire in Cividale uno Studio Generale.

Honorabilibus, et carissimis, ac amicabilibus sibi Domino Castaldioni, Consilio et Communi Civitatis Austrie, Aquilejensis Diocesis.

Amicabili et cordiali salutatione premissa, cum animo vestris omnibus beneplacitis preparato. Affectionem vestrum cujuslibet mihi in litteris vestris ostensam, actusque favorabiles exhibitos per vos Manfeo de Fara Canonico Civitatensi Nepoti meo dilecto, de quibus corde et mente, quantum possum, regratior, et me, et mea obligationi et servitio vestrum constituo ex nunc, et in an-

tea in futurum, requirentes expresse, ut si qua per me valent, vel in hiis partibus que cadent vestris commodo et honori, mihi, ut vestro, fiducialiter rescribatis. Ad alia vero tangentia impetrationem generalis Studii Terre vestre eisdem vestris litteris intimata, respondeo per presentes, ut curam non haberem, nec viderem litteras Domini Patriarche, Capituli, et Terre Aquilejensis, que videlicet, ut mihi scripsistis, Domino summo Pontifici propterea mittebantur, non potui, nec debui, sicut me decuit, eidem domino Summo Pontifici cum meo honore, debitam de dicto negotio facere mentionem, quia coram tanto Domino non sunt aliqua exponenda in quibus defectus modicus valeat reperiri. Et igitur cum propter defectum ipsarum litterarum, quas, ut prefertur, non vidi, non poterit in negotio ipso per me quovis modo procedi, habeatis me rationabiliter axcusatum, me tamen in hiis, et aliis semper habetis respondere affectibus vestris promptum.

Bonifacius de Fara Magister Reginalis Curie.

Scriptum Aquis xxv. Februarii xii. Indictione.

C. C. F. c.

N. 544.

1329 2 *Marzo Udine.*

Procura del Patriarca onde riscuotere dal Doge di Venezia il censo annuale per la giurisdizione sopra alcuni luoghi dell' Istria.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die secundo mensis Martii. Utini, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus discretis viris D. Zonfredi-

no rectore Ecclesie S. Michaelis de Oppreno, fratre Bernardo de Novate monacho monasterii Clarevallis, Mediolanensis diocesis, Magistro Condeo de Callio Medico, Gabriele q.m D. Henrighini de Cremona notario, Christophoro Cavallo de Mediolano, et aliis pluribus. Ven. Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha fecit, et constituit discretum virum D. Berofinum de Giroldis Canonicum Aquil. absentem tanquam presentem, suum et Ecclesie sue Aquil. verum et legittimum procuratorem et nuncium specialem ad petendum, exigendum, et recipiendum nomine suo et ejusdem Ecclesie, a Magnifico D.D. Francisco Dandolo Dei gratia inclito Duce, et ejus honorabilibus Consiliariis, et Communi Venetiarum pecuniam, sive pagam eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi debitam in Kalendis Martii proxime preteritis, pro juribus et jurisdictionibus Istrie; et ad faciendum ipsis Dominis Duci, Consiliariis, et Communi confessionem, quietationem, et finem de recepto. Et ad omnia alia et singula facienda, que hujusmodi negotii efficax prosecutio postulabit, etiam si mandatum exigat speciale. Promittens idem D. Patriarcha suo nomine, et quo supra, mihi Eusebio notario infrascripto, ut persone publice recipienti, et nomine dictorum dominorum Ducis, Consiliariorum, et Communis, ac omnium quorum interest, aut intererit, se ratum perpetuo habiturum et gratum quidquid per eundem procuratorem factum fuerit in predictis, sub ypotecha omnium bonorum suorum et Ecclesie memorate. A. N. U. o.

N. 545.

1329 15 *Marzo Griez.*
Lagni di Enrico di Carintia verso del Patriarca.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Reverendo in Christo Patri D. Pagano S. Sedis Aquilegensis Venerabili Patriarche, Henricus Dei gratia Bohemie et Polonie Rex, Karintie Dux, Tirolis et Goritie Comes, Aquilegensis, Tridentine, et Brixinensis Ecclesiarum Advocatus, sinceram ad ejus beneplacita voluntatem. Conquestus est nobis discretus Vir Johannes Civis Breume, quod in strata Portus-latisane, quam assecuravimus, spoliatus sit per homines Ecclesie vestre de centum et triginta Marchis argenti. Quare vestram Paternitatem monemus, et requirimus studiose: quatenus sibi prefatas res suas restitui faciatis, alioquin fideli nostro Chuorado de Ovenstayn, Capitaneo in Venzono, committemus, quod securitatem hujusmodi debeat retractare. Datum in Griez, die xv. Martii, Indictione xii. A. N. U. o.

N. 546.

1329 22 *Marzo Udine.*
Risposta del Patriarca Pagano ai reclami di Enrico Duca di Carintia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Illustri D. D. Henrico Dei gratia Bohemie, et Polonie Regi, Karintie Duci, Tirolis et Goritie Comiti,

Aquilegensis, Tridentine, et Brixinensis Ecclesiarum Advocato, Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, salutem et felices ad vota successus. Miramur quomodo Excellentia Regia stratas Ecclesie Aquilegensis, a qua tam nobilia feuda tenet, contra jus ipsius Ecclesie, quod ab omnibus defendere teneretur, assecurasse se dicit; cum talis assecuratio ad nullum alium pertineat, nisi ad nos et Ecclesiam supradictam. Quod autem ille Johannes Civis Breume spoliatus fuerit in ea, quamvis non sine culpa sua, doluimus, et dolemus: sed nunquam tanta pax extitit, quod non essent aliqui male agentes, quos Dominia semper habere non possent pre oculis. Ad vindictam quoque dicte spoliationis, ea audita, statim brachium nostrum extendimus. Et quia spoliatores cum spolio se in Spimbergo contulerant, contra Spimbergarum exercitum nostrum paravimus: sed gens Comitatus et vestra, veniens de Tarvisio, cui gratiose ob vestri reverentiam liberum transitum dederamus per Sclusam, intravit cum ribellibus contra nos, ad defensionem rebellium et spoliatorum hujusmodi. Propter quod oportuit nos cum ipsis rebellibus pacificari, sive concordari; non consequendo de spoliatoribus, et spoliis factis intentum. Videat igitur, et libret predicta omnia, eadem magnificentia equa lance, et si juste movetur ad ea committenda illi de Oufenstayn, que in suis comminata est litteris, consideret diligenter. Et si ad sui culmen honoris accedunt, faciat prout bonum in oculis suis videbitur, et anime sue saluti crediderit expedire. Datum Utini, die XXII Martii. Indictione XII. A. N. U. o.

N. 347.

1329 23 *Marzo Udine.*
Vendita di Osoppo a Federico di Savorgnano.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xxiii. mensis Martii. Utini, in Castro et Patriarchali Palatio. Presentibus ven. viro D. Fr. Johanne Abb. Monasterii Rosacensis Vicario, D. Eusebio de Romagnano Not., et Magistro Condeo de Calio medico, familiaribus D. Patriarche infrascripti testibus vocatis, et rogatis.

Cum Rev. in Christo Pater et D. D. Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, tempore rebellionis illorum de Osopio pro obsidione et recuperatione loci predicti, longas et graves expensas substinuerit, et fecerit de suis et Ecclesie Aquil. bonis, quas, sicut exposuit et dixit ibidem, existimabat fuisse marchas septingentas et ultra denariorum novorum Aquilegensis monete: idemque D. Patriarcha pro custodia dicti loci, et securitate stratarum in retinendo ibi custodes et homines plures adhuc magnas expensas patiatur et sumptus: Prefatus D. Patriarcha, provida deliberatione premeditans expensas evitare predictas, cum suo, et Ecclesie sue commodo, et mercatorum transeuntium libertate, suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, ac per se, et Successores suos, dedit, cessit, transtulit, tradidit, atque mandavit nobili viro D. Federico de Sa-

vorgnano, nato q.m D. Constantini militis de Utino fideli, ac servitori devoto Ecclesie Aquilegensis, recipienti pro se, suisque heredibus, et cui jus suum dare voluerit, omnia jura, omnesque rationes et actiones reales et personales, utiles et directas, tacitas et expressas, quo, et quas ipse D. Patriarcha, et Ecclesia Aquileg. habebat, seu videbatur habere quocumque jure, modo, nomine, seu causa, in loco predicto Osopii, et bonis suis per ipsum taliter acquisitis. Ita quod de cetero ipse D. Federicus, suique heredes, et cui jus suum dare voluerit, possit tanquam de re propria uti loco, et bonis prefatis, dictumque locum tenere, conservare, et custodire ad honorem ipsius D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensis, ac Successorum suorum in Feudum habitantie, juxta investituram et concessionem alias sibi factam per D. Patriarcham predictum, prout ipse D. Patriarcha facere poterat ante traditionem hujusmodi; constituens ipsum D. Federicum, ut in rem propriam. Et hoc pretio et foro octingentarum marcharum denariorum Frixechensium Aquilegensis monete, quod totum contentus et confessus fuit ipse D. Patriarcha se habere, et ab eodem D. Federico integre recepisse, de quo vocavit sibi fore bene solutum et plenarie satisfactum. Renuncians exceptioni non sibi dati, numerati, atque in se habiti, et recepti dicti pretii, doli, mali, et in factum, omnique spei numerationis future, ac omni juri suo per quod contra predicta posset facere, aut venire. Ac promittens per se, et Successores suos cessionem, traditionem, et datam hujusmodi, ac omnia et singula predicta, rata et firma habere perpetuo, et nullo tempore contra

facere, aut venire, cum omnium suorum, et Aquil. Ecclesie bonorum obligatione. C. F. o.

N. 548.

Il Castello di Feletan è dato in Feudo a Tommasutto di Cucagna.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xxiii. Martii. Utini, in Patriarchali palatio. Presentibus testibus ven. viro D. Fratre Johanne Ab. Monasterii de Rosaceo Vicario, et Magistro Condeo de Calio medico dicti D. Patriarche.

Idem D. Patriarcha intendens utilitatem Patriarchatus sui, et Ecclesie Aquil. in hac parte procurare, personam etiam dilecti, fidelis sui nobilis viri D. Thomasutti de Cuchanea, quem inter ceteros fideles Ecclesie Aquilegensis promptum semper et paratum invenit ad defensionem et conservationem bonorum et jurium ejusdem Ecclesie, sicut dignum est, honorare, ut tanto ferventius ad hujusmodi servitia attendat, quanto se prospexerit honorari, quendam locum inhabitatum, et sine ullo edificio, in quo, ut dicitur, fuit antiquitus Castrum quod dicebatur Feletan, ad ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem spectantem, ex quo nullam prorsus utilitatem habuit multis jam temporibus retroactis, et ob cujus Castri defectum strata publica est minus secura, et multe robarie in ea, et homicidia perpetrata: ut deinceps malefactoribus via perpetrandi talia

precludatur, et honor, ac utilitas dicte sue Aquil. Ecclesie augeatur, suo, et ejusdem Ecclesie, ac Successorum suorum nomine, concessit prefato D. Thomasutto, et ejus heredibus legitimis ab eo descendentibus in perpetuum, nomine recti, boni, et utilis habitantie feudi, locum superius notatum, et Braidam positam juxta illum, ad ipsum locum edificandum, et simul cum dicta Braida habendum, tenendum, et possidendum, et quidquid sibi, et suis heredibus, salvo fidelitatis debito, deinceps placuerit perpetuo faciendum, cum omnibus accessibus, et ingressibus suis, et cum omnibus et singulis que habet super se, aut infra, seu inter se, in integrum, omnique jure, et actione, usu, seu requisitione sibi, et dicte sue Ecclesie Aquilegensi ex predictis loco et Braida modo aliquo pertinente. Dans eidem D. Thomasutto licentiam accipiendi nomine suo et heredum suorum, ac deinceps intrandi corporalem prefatorum loci et Braide possessionem, et etiam retinendi. Ac promittens per se et Successores suos, et prefatam Aquil. Ecclesiam ipsi D. Thomasutto pro se, et suis heredibus predictis, litem eis, aut controversiam de predictis, ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire, sed illa ab omni homine et universitate legittime defendere, auctorizare, et disbrigare, et predictam concessionem, et omnia et singula superscripta perpetuo firma et rata habere et tenere, et non contrafacere, vel venire per se, aut per alium aliqua ratione, vel causa, de jure vel de facto. Et insuper ad robur et confirmationem horum omnium idem D. Patriarcha suo nomine, et quo supra, cum uno baculo quem tenebat in manu eundem D. Thomasuttum

recipientem pro se, et suis heredibus, de predictis omnibus investivit.

Idem vero D. Thomasuttus, licet alias pro aliis rebus feudalibus ipsi D. Patriarche, ut vassallus fidelitatem juraverit, pro concessione jam dicta de novo fidelitatem juravit in omnibus, et per omnia, ut vassallus domino suo jurat, et facere universa que tale feudum habitantie requirit. A. N. U. o.

N. 549.

1329 25 *Marzo Aquileja.*

Il Patriarca delega il Decano di Aquileja a proscioglieге dalle Censure Ecclesiastiche, in cui spesso incorrevano e Canonici e Chierici per le loro baruffe.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha dilecto filio ven. viro Guillelmo Decano Aquilegensi, Decretorum Doctori salutem in Domino sempiternam.

Cum contingat interdum quod, auctore discordie procurante, Canonici et Clerici Ecclesie nostre Aquilegensis rixentur ad invicem, et inter se manus injiciant temere molestas, Discretioni tue, de qua in hiis, et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium tenore committimus, quatenus eosdem Canonicos et Clericos, quoties ex causa hujusmodi in Canonicam sententiam

latam incurrerent, ab ea, juxta Ecclesie formam, absolvas, in casibus tamen in quibus eos absolvere possemus de jure, vices nostras in hac parte tibi plenarie committentes.

Datum Aquilegie, in Patriarchali palatio nostro viii. Kalendas Aprilis, anno Dominice nativitatis m. ccc. xxix. Indictione xii. A. N. U. o.

N. 550.

1329 4 *Aprile Aquileja.*

Il Decano del Capitolo di Aquileja è incaricato della visita della Diocesi di Verona.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilectis filiis Archipresbitero et Capitulo Veronensi, nobis immediate subjectis, salutem in Domino sempiternam.

Procumbente nobis circa vos visitationis officio, mittimus dilectum filium venerabilem virum, Guilielmum Decanum Aquilegie, Decretorum Doctorum, exhibitorem presentium, vobis universis et singulis virtute sancte obedientie, et sub excommunicationis pena mandantes, quatenus ipsum, et visitationem ejus devote recipere, sibique in omnibus, que ad officium visitationis hujusmodi pertinent, parere humiliter procuretis; alioquin penas, quas ipse rite tulerit, inremissibiliter ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum Aquilegie, in nostro Patriarchali palatio, die IV. Aprilis, Indictione XII. A. C. U. c.

N. 551.

1329 *7 Aprile Gemona.*
Opposizione di Valdrada perchè non sieno amministrati i Sacramenti ai detentori dei di lei beni.

Peregrino Notajo.

M.CCC.XXIX. die VII. intrante Aprili. Presentibus Fratre Martino de Castello, Johanne de Civitate Ordinis Predicatorum, Zannino Justi de Glemona, Johanne Subtili Notario de eodem loco, Nicolao q.^m Pellegrini de Glemona, et aliis.

Valdrada uxor q.^m Jacobi Fraeles de Glemona ex parte Dei, et omnium Sanctorum, et D. Pagani, Dei gratia, S. Sedis Aquilegensis Patriarche, et D. Guidonis Plebani S. Marie de Glemona, et cujuslibet rationis contendit discretis viris D. D. Blasio, Gabrieli, Nicolao, Jacobo et Henrico Sacerdotibus de Glemona, quod dare non debeant Jacobo Angoleani de Glemona Sacramenta Ecclesie, nisi satisfaceret sibi de vinea sua de Morgengrabio, et nepotibus predicti Jacobi etc.

Actum Glemone, in Ecclesia S. Marie. A. N. U. o.

N. 552.

1329 8 *Aprile Moggio.*
Elezione dell' Abbate di Moggio.

Francesco q.m Barbini Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini M.CCC.XXIX. Indictione XII. die octavo intrante Aprili. Presentibus discretis viris Dominis Pertoldo Monacho de Milistach, Fideli Vicario Mosacensi, et Conrado filio Dietalmi de Cerneo testibus, et aliis.

Bone memorie Domino Pertoldo q.m Abbate Monasterii de Mozio, Aquilegensis Diocesis, viam universe carnis ingresso, ipsius corpore terre tradito Ecclesiastice sepulture, venerabiles et discreti viri Domini Johannes, Philippus, Nicholaus, et Johannes Monaci Monasterii de Mozio diem istam Veneris prefixerunt ad electionem futuri Abbatis celebrandam. Convenientibus igitur ante Tertiam ad sonum campane in termino hujusmodi ad Capitulum de Mozio omnibus qui debuerunt, potuerunt, et voluerunt commode interesse, predicti Domini Johannes, Philippus, Nicolaus, et Johannes Monaci, vice eorum omnium et singulorum ipsius Monasterii, mandato specialiter eis facto per quam formam esset in Electionis negotio procedendum, tandem placuit omnibus et singulis super hoc specialiter requisitis, per formam compromissi eidem Monasterio de Mozio providere. Unde unanimiter, nullo penitus discrepante, dederunt vene-

rabili viro D. Fratri Viviano Priori Mosacensi plenam, generalem, et liberam potestatem hodie usque quo pulsabitur ad Tertiam tantummodo duraturam, eligendi Abbatem, ac ipsi Monasterio providendi tam de se compromissario, quam de aliis. Promittentes universi et singuli quod illum quem elegerit, recipient in suum Abbatem et Pastorem.

Actum in Capitulo Monasterii predicti de Mocio. Et ego Franciscus q.m Barbini de Utino Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui et rogatus scripsi. A. C. U. o.

N. 553.

1329 8 *Aprile Moggio.*

Fra Martino de Ripa eletto Abbate di Moggio.

Francesco q.m Barbini.

In nomine Christi amen. Anno Domini M.CCC.XXIX. Indictione XII, die octavo intrante Aprili. Presentibus discretis viris D. D. Pertoldo Monacho de Milistach, Fidele Vicario Mosacensi, et Conrado q.m D. Dietalmi de Cerneo testibus, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Vivianus Prior Monasterii Mosacensis compromissarius a discretis viris Dominis Johanne, Philippo, Nicolao et Johanne Monachis de Mocio habens generalem, plenam, et liberam potestatem hodie usque quo pulsabitur ad Tertiam eligendi Abbatem et

ipsi Monasterio providendi tam de se, quam de aliis, prout in Instrumento per me Franciscum notarium inde confecto plenius continetur, se in loco in quo Capitulum Mosacense fieri consuevit in simul congregaverunt, ut ibidem, habita collocutione, seu tractatu plurium personarum eligendarum, finaliter dictus D. Vivianus Prior Mosacensis et compromissarius ante Tertiam convenit, et consensit in venerabilem virum D. Fratrem Martinum de Ripa Tridentine Diocesis Monachum Monasterii S. Michaelis de Medicina, Ordinis S. Benedicti, qui habitat in Aquilegia, in Ecclesia S. Syri, monachum S. Marie in Organis de Verona ejusdem Ordinis; eligens, et volens ipsum eligere in Abbatem Monasterii de Mocio; quam quidem electionem in scriptis reductam, de ipsius mandato per me notarium subscriptum, idem D. Frater Vivianus Prior coram predictis Monachis ad hoc specialiter convocatis, voce sua publicavit, et legit solempniter.

In nomine Patris, et filii, et Spiritus Sancti amen. Cum vacante Monasterio Mosacensi per mortem bone memorie D. Pertoldi q.m Abbatis Monasterii de Mocio, Aquilegensis Diocesis, potestatem mihi plenam et liberam usque ad Tertiam duraturam dederitis eligendi, et ipsi Monasterio de me, ut compromissario, aut aliis providendi, finaliter, divina gratia favente, et meum animum illustrante, ego frater Vivianus Prior Mosacensis in predictum D. Martinum de Ripa Tridentine Diocesis Monachum S. Michaelis de Medicina, Ordinis S. Benedicti dirigo vota mea; virum utique providum, et discretum, literarum scientia, vita et moribus commendandum, in etate legitima constitutum, de legittimo matrimonio, et

de stirpe nobili procreatum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, et donis gratuitis et naturalibus multipliciter perditatum, per quem, et sub cujus regimine Monasterium Mosacense regi, gubernari, atque dirigi poterit, et in suis juribus defensari. Unde ego, vice mea, et vice etiam totius Monasterii Mosacensis, prout ex forma compromissi mihi licet, et melius licere potest, predictum D. Martinum in Mosacensem Abbatem eligo et pastorem et eidem Monasterio Mosacensi, eadem auctoritate, omni jure, et modo quibus melius possum, provideo de eodem, ac electionem ipsam publico, et communico. Quam siquidem electionem omnes et singuli Monachi approbaverunt, Te Deum Laudamus, pulsatis campanis, decantantes.

Actum in Capitulo Monasterii Mosacensis. Et ego Franciscus filius Barbini de Utino imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.
A. C. U. o.

N. 554.

1329 11 *Aprile Moggio.*
Incarico dato a Fra Nicolò di ottener l' assenso di Fra Martino e la conferma del Patriarca.

Francesco q.m Barbini Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini. M.CCC.XXIX. Indictione XII. die XI. intrante Aprili. Presentibus D. Pertoldo Monasterii de Milistach, Nicolao q.m Botiz de

Avenzono in Mocio commorante, et Mathiussio q.m Vinuti Decani de Mocio testibus, et aliis.

Congregatis ad sonum campane in Capitulo de Mocio, solito more, venerabili viro D. Fratre Viviano Priore Mosacensi, discretis viris Dominis Fratribus Johanne, Philippo, et Johanne Monachis dicti Monasterii Mosacensis, fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt D. Nicolaum Monachum de Mocio presentem, et hujusmodi mandatum suscipientem, procuratorem et nuntium specialem ad presentandum D. Fratri Martino de Ripa Tridentine Diocesis Monachum S. Michaelis de Medicina, Ordinis S. Benedicti, qui habitat in Aquilegia, seu in Ecclesia S. Syri Monasterii S. Marie in Organis de Verona, ejusdem Ordinis, Electionem de ipso per ipsos celebratam in Abbatem Monasterii de Mocio, et ad petendum ab eo suppliciter et instanter, ut ipse electioni sue assensum debeat impertiri; et ad supplicandum Reverendo in Christo Patri et D. D. Dei gratia Pagano Patriarche Aquilegensi, quatenus confirmare debeat dictam electionem. Promittentes se ratum et firmum perpetuo habituros quidquid per ipsum procuratorem actum fuerit in premissis, et quolibet premissorum.

Actum in Capitulo Monasterii Mosacensis. Et ego Franciscus Barbini de Utino Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.
A. C. U. o.

N. 555.

1329 13 *Aprile Udine.*
Fra Nicolò partecipa a fra Martino la sua elezione ad Abate di Moggio, e chiede il suo assenso.

Francesco q.m Barbini Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini M.CCC.XXIX. Indictione XII. die XV. intrante Aprili. Presentibus Religioso viro fratre Aynzuto de Ordine Predicatorum, D. Bernardo Plebano S. Michaelis de Henc, discreto viro D. Martino presbitero de Utino, nobili viro D. Hectore milite de Savorgnano, Petro et Conrado fratribus de Cerneo, Andriola D. Federici, Gubertino stationario, et Aulino aurifice de Utino, et aliis.

Constitutus in presentia venerabilis viri fratris Martini de Ripa, Tridentine Diocesis, Monachi S. Michaelis de Mediciua, Ordinis S. Benedicti, qui habitat Aquilegie in Ecclesia S Syri, Monachi S. Marie in Organis de Verona, ejusdem Ordinis, electi in Abbatem Monasterii de Mocio, discretus vir D. Nicolaus Monachus Monasterii de Mocio procurator D. Fratris Viviani Prioris Mosacensis, et Monachorum de Mocio Johannis, Philippi, et Johannis ad infrascripta deputatus, ut quodam Instrumento manu mei Francisci notarii plenius continetur, presentavit eidem D. Martino electo, nomine procuratoris predictorum, unum instrumentum manu mei Francisci notarii factum, quod continebat processum electionis de ipso D. Mar-

tino celebrate; petiitque idem D. Nicolaus procurator ab eodem D. Martino, ut eidem electioni deberet prestare assensum.

Actum Utini, in Capitulo fratrum Predicatorum. Et ego Franciscus Barbini de Utino imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.
A. C. U. o.

N. 556.

1329 15 *Aprile Udine.*
Assenso prestato da Fr. Martino da Ripa all' elezione di lui fatta ad Abate di Moggio.

Francesco q.m Barbini Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini M.CCC.XXIX. Indictione XII. die XV. intrante Aprili. Presentibus Religioso viro D. Bernardo Plebano S. Michaelis in Henc, discreto viro D. Presbitero Martino de Utino, nobili viro D. Hectore milite de Savorgnano, Petro et Conrado, Andrioto q.m Federici, Gubertino stationario, et Aulino aurifice de Utino testibus, et aliis.

Constituto in presentia venerabilis viri D. Fratris Martini de Ripa, Tridentine Diocesis, Monaci S. Michaelis de Medicina, Ordinis S. Benedicti, qui habitat in Aquilegia, in Ecclesia S. Syri, Monaci S. Marie in Organis de Verona ejusdem Ordinis, in Abbatem Monasterii de Mocio Electi; Domino Nicolao Monaco Mosacensi, procuratore D. Fratris Viviani Prioris Monasterii de

Mocio, ac dictorum fratrum Johannis, Philippi, et Johannis Monacorum de Mocio; atque petente suppliciter et instanter, vice, et nomine predictorum, ut idem D. Martinus Electus, electioni, de se facte consentire deberet, idem D. Martinus gratias agens Deo, et Beate Virgini dixit, quod dicte electioni consentiebat, atque ipsam acceptabat. In presentia vero testium in Instrumento presentationis electionis scriptorum, aut nominatorum discretus vir D. Maynardus Monachus de Mocio vice sua ratificavit et confirmavit omnia et singula predicta. In cujus rei testimonium dictus D. Vivianus Prior, et omnes et singuli Monaci Monasterii de Mocio suprascripti jusserunt predicta Instrumenta munimine sigilli Monasterii de Mocio roborari.

Actum Utini, in Capitulo Ordinis Fratrum Predicatorum. Et ego Franciscus Barbini imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.
A. C. U. o.

N. 557.

1329 19 *Aprile Aquileja.*
L' elezione di Fr. Martino in Abate di Moggio non è dal Patriarca confermata.

Francesco q.m Barbini Not.

Reverendo in Christo Patri, et D. D. Reverendo Domino Bertrando Dei gratia Ostiensi et Velletrensi Episcopo, Apostolice Sedis Legato, Paganus Patriarcha Aqui-

legensis sui humilem reccomandationem, seque ad mandata paratum.

Nuper Prior, et Monaci Monasterii de Mocio mee Diocesis, non obstante quod Monasterium ipsum vacavisset pluribus mensibus in reservatione facta per Dominum nostrum Summum Pontificem de Abbatiis et aliis Dignitatibus, quandam electionem facere presumpserunt de quodam Fratre Martino Monaco profugo, tabernas frequentante, eis similem in moribus, et qui de Predicatorum Ordine fuit; et, ut dicitur, adjecto certo pacto, quod renuntiabit cum ejus promotores voluerint, et in eodem Monasterio Monachus remanebit, qui nobis heri sue presentavit Electionis Decretum petens, ut Electionem hujusmodi confirmare deberem. Ego vero cognoscens indubitanter quod nullus poterat, obstante jam dicta reservatione de tali Abbatia in Romanum Pontificem, aut cui committet specialiter ordinare, etiamsi majori tempore vacavisset, non ex negligentia, aut contemptu, aut alia illegitima causa, sed ob reverentiam Sedis Apostolice, et justitiam ipsi Fratri Martino super examinatione sue Electionis predicte confirmande, ei annuere recusavi. Propter quod ad vos vocem appellationis emisit. Ad Paternitatem itaque vestram, appellationem suam remittentes cum eodem pariter appellante, sibi has meas litteras tradidi pro appellationis litteris, et dimissoriis.

Datum Aquilegie, die xix. mensis Aprilis, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XXIX. Indictione XII. A. C. U. O.

N. 558.

1329 26 *Aprile Aquileja.*
Fallo di Fra Giovanni da Padova, e punizione.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XXVI. Aprilis, Aquilegie, in Patriarchali Palatio, presentibus testibus Venerabilibus Viris, Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario, et Fr. Bernardo de Novate Monacho Monasterii Clarevallensis de Mediolano. Constitutus in presentia Venerabilis Patris Domini Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, D. Johannes de Padua Ordinis Minorum de Conventu Utini, confessus fuit, quod pridie in Parasceve Domini, cum Missam Conventualem celebraret in Ecclesia ipsorum Fratrum Minorum de Utino, astantibus ipsorum Fratrum conventu, et populi multitudine, inter alias orationes illam, que de Imperatore Romanorum mentionem facit dixit clara, et alta voce dicendo: Oremus et pro Christianissimo Imperatore etc. Et cum Fratres et populus murmurarent propter Bavarum, qui se facit Imperatorem, et persequitur Ecclesiam Dei, et ab ea reprobatus et excommunicatus est, ac de heresi condemnatus, attonitus fuit valde, et, ut asseruit in semetipso fremuit, et recognovit se male dixisse. M.CCC.XXIX. Indictione XII. A. N. U. O.

N. 559.

1329 3 *Maggio, Cividale.*
De Provisoribus Communis.

Dai Registri Comunali.

M. CCC. XXIX. Ind. XII. die tertio intrante Mayo. In Civitate Austria, super domo Communis. Presentibus Dominis Paulo q.m D. Boyani, Hugone q.m D. Quoncii, Johanne Ribissino, Adenrico, et Warnero q.m Bontadi de Civitate, et aliis.

Convocatis et congregatis ibidem ad sonum campane Dominis Sagino de Parma Castaldione, et Consilio Civitatensi, nomine Communis Civitatensis, ut moris est, electi et confirmati fuerunt per eos in Provisores Communis Civitatensis Domini Philippus q.m D. Johannis de Portis et Henricus q.m Petri Fondani de Civitate, ut negotia Communis faciant et procurent in omnibus utilibus et necessariis, prout melius viderint expedire; et quod rixas, et mestelas intercipiant, et separent, et treguas sub certis penis fieri precipiant, et recipiant nomine Dominii, et Consilium faciant convocari, et defectum Dominii suppleant, et bona et jura Communis contra quoslibet impedientes et impugnantes manuteneant et defendant, et ordinamenta Communis observent, et faciant observari usque ad festum S. Georgii proximi, et ulterius donec mutati fuerint; quibus, et cuilibet eorum in solidum homines et Commune Civitatis astare debeant toto posse. Qui quidem Provi-

sores dictum Officium exercere fideliter promiserunt, corporali prestito juramento.

De Exactoribus Communis.

Item eisdem die, loco, et testibus Electi et confirmati fuerunt in Exactores Communis Civitatis Nicolaus q.m Domine Biliarde, et Stephanus Notarius de Civitate pro tribus mensibus proximis, et Federicus Sclisulinus, et Diebrasius pro aliis tribus mensibus subsequentibus. Ita quod Banna Communis ex statutis Advocatie exigant, et quod exegerint, dent Camerariis Communis, habendo sibi quartam partem: et condempnationes Communis exigant, et dent Camerariis Communis, habendo de pecunia quam ex ipsis dederint dictis Camerariis decimam partem, secundum ordinamenta Communis. Qui juraverunt predicta facere bona fide.

De Camerariis Communis.

Item die v. intrante Mayo. In Civitate Austria, super domo Communis. Presentibus Dominis Paulo q.m D. Boyani, Hugone q.m D. Quoncii, Johanne Ribissino, Adenrico, et Warnero q.m Bontadi de Civitate, et aliis. Electi et confirmati fuerunt per dictos Dominos Castaldionem et Consilium, nomine Communis Civitatis, in Camerarios Communis Civitatis Nicolaus Longus de Civitate, et Isachus de Florentia commorans Civitate, usque ad Festum S. Georgii proximum venturum, ut recipiant, et expendant de bonis Communis, prout eis per Do-

minos Castaldionem, Provisores, et Consilium fuerit ordinatum, et ita quod ab una marcha infra in laboreriis et munitione Terre et burgorum valeant expendere, prout eis videbitur, bona fide: de hiis illa que receperint et habuerint de rebus et bonis Communis diligentem faciant rationem; quos D. Castaldio et Consilium, nomine Communis Civitatensis promiserunt, et tenuerunt conservare indempnes de debitis quos in servitio et utilitate Communis contraxerint. Qui Camerarii juraverunt dictum Officium fideliter exercere.

De Pacificis.

Item electi et confirmati fuerunt in Pacificos pro anno presenti D. Guilelmus q.m Magistri Walteri, et Johannes Ribissinus de Civitate, ut discordantes de Civitate et districtu ad concordiam et pacem reducant, et contra illos quos invenerint inobedientes et contrarios, secundum eorum relationem, per D. Castaldionem et Consilium procedatur. Qui juraverunt hujusmodi Officium fideliter exercere. C. M. R. o.

N. 560.

1329 3 *Maggio*, *Cividale*.
De Statutariis Communis.

Da' Registri Comunali.

M.CCC.XXIX. Indictione XII. die tertia intrante Mayo. Electi fuerunt ad examinandum, corrigendum, et

ordinandum Statuta et ordinamenta Communis tam sub Domino Castaldione, quam sub Advocato Civitatensi, et ad dandum claves portarum, et ad audiendas rationes Officialium Communis, Domini Philippus de Portis, et Henricus q.m Petri Fondani Provisores Communis, Guilelmus Magistri Walteri, Nicolaus Domine Biliarde, Jacobus D. Johannis D. Ottonelli, et Johannes q.m Magistri Juliani, qui juraverunt predicta facere bona fide. C. M. R. o.

N. 561.

1329 5 *Maggio Udine.*
Ulvino di Prampergo chiamato a render conto delle fatte ruberie.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus etc. dilecto nobis Ulvino de Prampergo Canonico Civitatensi salutem in Domino. Conquestus est nobis Johannes de Clevi massarius Altefloris de Savorgnano, quod tu ei abstulisti indebite et injuste x. armenta, unum runcinum, xviii. pecudes, et xiv. agnos. Ideoque presentium tenore tibi districte sub Excommunicationis pena committimus atque mandamus, quatenus infra sex dies proximos a presenti numerandos, quorum tibi duos pro primo, duos pro secundo, duos pro tertio, et peremptorio termino assignamus, eidem Johanni restituas integraliter animalia supradicta: aut ipsa sexta die, si feriata non fuerit, alioquin sequenti non feriata, compa-

reas legitime coram nobis, ipsi Johanni de justitia responsurus; facturus, et recepturus super hiis quod ordo dictaverit rationis. Alioquin contra te in negotio, quomodo de jure possumus procedemus. De presentatione presentium etc.

Datum Utini, die v. Maii. Indictione xII. A.N.U.o.

N. 562.

1329 5 *Maggio Udine.*

Costituzione del Patriarca Pagano in cui si stabilisce che i frutti del primo anno delle prebende vacanti nel Capitolo di Udine sien devoluti al Capitolo stesso, a servano per l' anima del Defunto.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo vicesimo nono, Indictione duodecima, die quinto mensis Maii.

Reverendus in Christo Pater, et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha, pia consideratione desiderans quod loca et Ecclesie sue jurisdictioni subiecta, continuis proficiant incrementis; et attendens tenues et exiles redditus et proventus majoris Ecclesie S. Marie de Utino, propter quod ejusdem Ecclesie profectum, et statum, ac augmentum reddituum predictorum benignis amplectens affectibus, per se, et Successores suos in dicta Ecclesia sua constituit, ordinavit, et statuit, quod Custos et Canonici, qui nunc

sunt, et pro tempore fuerint in supradicta Ecclesia, post mortem quorumlibet ipsorum decendentium fructus et proventus Prebendarum suarum, quos ipsis viventibus percipiebant, et habere consueverant per annum, babeant et percipiant, secundum laudabiles consuetudines Ecclesiarum Aquilegensis et Civitatensis. Hac tamen modificatione adjecta, quod fructus, redditus et proventus predicti nemini dari, et legari valeant, sed solum pro remedio animarum defuncti, et benefactorum suorum in anniversario suo, anno quolibet celebrando, convertantur, et inter presentes, et interserentes modo debito dividantur. Et hanc Constitutionem, et ordinationem voluit et mandavit idem D. Patriarcha robur obtinere perpetuum, et inviolabiliter observari.

Actum Utini, in Castro et Palatio Patriarchali, presentibus venerabilibus viris dominis Morando de Porcillis, Odorico de Strassoldo Canonico Aquilegensi, Francisco Custode Ecclesie predicte de Utino, ac nobilibus et discretis viris Dominis Carlevario de la Turre, Federico de Savorgnano, Johanne filio q.m D. Adalpreti de Cucania, Gerardo filio D. Odorici militis de Cucania, Joanne et Thomasutto fratribus de Pertenstain, et Nicolussio filio q.m D. Federici Hendriotis de Castro Utini testibus vocatis specialiter, et rogatis.

Ego Gabriel filius q.m D. Henrigini de Cremona publicus Imperiali auctoritate Notarius, prefatique D. Patriarche Officialis, predictis omnibus interfui, et hec de ipsius mandato scripsi, signumque meum rogatus consuetum apposui. A. C. U. o.

N. 563.

1329 7 *Maggio Udine.*
Feudo di Abitanza accordato in Aviano
a Pietro de Rubeis.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die vii. mensis Maii. Utini, in Patriarchali palatio. Presentibus testibus D. Morando de Porcilis, D. Johanne de Cuxano Mediolanensi extrinseco, Gastaldione Aviani, Frederico q.m Ser Galvagni Notario. et pluribus aliis.

Constitutus in presentia venerabilis Patris D. Patriarche subscripti Petrus, dictus Rubeus filius q.m Guascheti de Aviano, humiliter ipsi D. Patriarche supplicavit, ut eum investire dignaretur de quodam Casamento in Castro Aviani apud murum Castellanum ipsius Castri, que fuit habitantia dicti q.m Patris sui, et de aliis juribus ad habitantiam ipsam pertinentibus. Qui D. Patriarcha, ejusdem Petri supplicationibus inclinatus, ipsum, quem sibi et Ecclesie sue Aquilegensi utilem et fidelem fore sperabat, recipientem pro se, et heredibus suis ab eo descendentibus legittime, de Casamento et juribus hujusmodi habitantie cum uno libro, quem tenebat in manibus, investivit. Ita tamen quod idem Petrus murum Castellanum dicti Castri, quod ad presens deficit, quantum tenet hujusmodi casamentum facere debeat equalem alteri muro ejusdem Castri, et alia observare que alii Habitatores observant. C. N. U. o.

N. 564.

1329 11 *Maggio Udine.*
Nuova riserva alla S. Sede dei frutti dei Benefizj vacanti.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XI. Maii. Utini, in Patriarchali palatio. In presentia ven. Patris predicti D. Patriarche, D. Raynaldi de la Turre Camerarii Ecclesie Aquil. D. Francisci Custodis Ecclesie de Utino, et multorum aliorum. Ven. vir D. Frater Johannes Abbas et Vicarius superscriptus fecit publicari litteras infrascripti tenoris.

Bertrandus Rotundi Canonicus Vinariensis, Apostolice Sedis Nuntius, Collector Decimarum et fructuum a Sanctissimo patre, et Domino nostro D. Johanne superna providente clementia Papa XXII. una cum aliis in Aquilegensi et Gradensi Patriarchatibus in solidum deputatus, Reverendo Patri in Christo Domino Johanni Abbati Rosacensi Vicario Rev. in Christo patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, salutem, et nostris, imo verius Apostolicis, firmiter obedire mandatis.

Litteras rev. Patris in Christo D. Gasberti permissione divina S. Arelatensis Ecclesie Archiepiscopi domini nostri Pape Camerarii, ejus sigillo vero et integro, quo utitur, communitas nos recepisse noveritis sub hiis verbis.

Gasbertus permissione divina S. Arelatensis Ecclesie Archiepiscopus, domini Pape Camerarius venerabili-

bus viris dominis Bertrando Rotundi, et Michaeli Landeti Vinariensis Ecclesie Canonicis, salutem, et sinceram in Domino caritatem. Dudum Sanctissimus pater, et dominus noster D. Johannes divina providentia Papa XXII. pro relevandis utilius multiplicium expensarum oneribus, quibus camera sua tunc gravabatur importabiliter, sicut adhuc gravari dignoscitur, fructus, redditus, et proventus omnium et singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, aut sine cura, etiam dignitatum, personatuum et officiorum quorumlibet exemptorum, et non exemptorum, tunc apud Sedem Apostolicam vacantium, et que usque ad certum tempus vacare contingeret apud eam, certis Ecclesiis et beneficiis Ecclesiasticis expressim exceptis, sub certa forma reservandos duxit, et eidem Camere pro utiliori supportatione onerum hujusmodi applicandos, sicut in diversis litteris Apostolicis super hiis confectis plenius continetur. Verum quia predictis oneribus non diminutis, sed auctis, terminus reservationis hujusmodi noscebatur instare, memoratus dominus noster summus Pontifex, valens eidem Camere ad tot et tanta supportanda onera, quot et quanta sibi dignoscuntur incumbere continue, nequaquam propter suorum raritatem proventuum sufficienti commodo ulterius providere; fructus, redditus, et proventus omnium, et singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, aut sine cura, etiam dignitatum, Personatuum et officiorum quorumlibet exemptorum et non exemptorum, tunc apud Sedem predictam, aut alibi vacantium, ex generali, aut speciali reservatione, aut aliter ad ejus dispositionem immediate spectantium, pro toto tempore vacationis ipso-

rum, nec non unius anni tam illorum, quam aliorum quorumcumque que usque ad unum annum a xv. Kalendas Martii futuri proxime in antea computandum, apud dictam Sedem, aut ubicumque, sicut premittitur, quoquomodo vacare contingent reservandos, sub certis modis, formis, et conditionibus expressis in litteris confectis super hoc, duxit, et eidem Camere pro dictis relevandis utilius oneribus applicandos. Volens ut nos dictos fructus, redditus, et proventus per illos de quibus nobis videretur, faceremus exigi et levari. Contradictores et rebelles quoslibet per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Nos igitur de vestre circumspecionis industria, et experta probitate plenam in Domino fiduciam obtinentes; discretioni vestre, tenore presentium committimus et mandamus, quatenus vos, aut alter vestrum hujusmodi fructus, redditus, et proventus Beneficiorum talium quorumcumque in Aquilegensi et Gradensi provinciis, nec non Astensi, Ferrariensi, Novariensi, Laudensi, Bononiensi, Albensi, Terdonensi, Reginensi, Placentina, Brixiensi, Pergamensi, Parmensi et Papiensi Civitatibus et diocesibus consistentium, per vos, aut alium, seu alios viros fide ac facultatibus idoneos petere, exigere, colligere, illosque conservare sic tute ac fideliter, nomine dicte Camere procuretis, quod inde valeatis plenarie respondere. Contradictores et rebelles quoslibet per Censuram Ecclesiasticam, si necesse fuerit, compescendo. Datum Avenione, sub sigillo nostri Camerariatus, die xv. Februarii. Anno Domini м.ccc.xxix. Indictione xii. Pontificatus prefati domini nostri Pape anno xiii. Quarum auctoritate vo-

bis committimus et mandamus, quatenus dictas litteras, et reservationem in eis contentam sufficienter publicare debeatis: nec non fructus et proventus beneficiorum, que in dicta reservatione vacare contingerent, affictare et recipere cum integritate debita, prout ad Dominum nostrum spectat, nobisque rationem et assignationem premissorum loco, et tempore opportunis facere, et exequi diligenter. Ita quod jus Domini nostri Pape deprimi non valeat in hac parte; vosque possitis de diligentia et obbedientia in Domino merito commendari. Premissa exequentes sub interdictionis ingressus Ecclesie, ac etiam sub excommunicationis pena, debito intervallo per nos vobis imposita quam, canonica monitione premissa, vos incurrere volumus, si in hiis que mandamus negligentes fueritis, aut remissi. In hiis, et ea tangentibus vices nostras committentes quousque in partem, aut in solidum eas nobis duxerimus renovandas. Non intendentes propter premissa, potestatem in hac parte nobis concessam in ceptis, aut non ceptis negotiis a nobis modo aliquo abdicare. De quarum presentatione, et intimatione vobis faciendis volumus fieri publicum instrumentum. Presentes vero litteras et processus per nostrum Notarium scribi fecimus, et in cartulariis nostre Curie registrari, vobisque presentari per Sinibaldum Plebanum Sacilli latorem presentium, quem ad premissa juratum dicte Curie nuncium duximus specialiter deputandum. Cui de harum presentatione adhibebimus plenam fidem.

Datum Venetiis, in Priorata S. Trinitatis, quo inhabitamus, sub sigillo nostro quo utimur, die v. men-

sis Madii. Anno a Nativitate Domino M. CCC. XXIX. Indictione XII. Pontificatus dicti domini nostri Pape anno XIII. A. N. U. o.

N. 565.

1329 16 *Maggio Cividale.*

Intanto che sta preparando le riforme che intende introdurre nella Diocesi e Clero di Verona, il Patriarca raccomanda a quel Capitolo di uniformarsi ai provvedimenti colà stabiliti da Guglielmo Decano d' Aquileja.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilectis filiis Massario, et Capitulo Ecclesie Veronensis, nobis immediate subiectis, salutem in Domino sempiternam.

Ad reformationem vestram super hiis, que circa vos, et Ecclesiam vestram indigere videbimus intendentes, examinare cepimus visitationem nuper de mandato nostro factam per dilectum filium Guilielmum Decanum Aquilegensem, Decretorum Doctorem; sed variis nobis negotiis occurrentibus, adhuc visitationem plene examinare, et reformationem facere hujusmodi, vobisque mittere non potuimus. Ideoque devotionem vestram hortamur in Domino, ut salubria monita, que idem Decanus vobis in ipsa visitatione fecit servantes, sic parere curetis hiis, que in eadem reformatione pro salute vestra, et bono statu vestro, et Ecclesie ordinabimus,

quod et vobis ad salutem proficiat, nobis ad laudem, et omnipotentis Dei cedat ad gloriam. Tibi autem Massario, presentium tenore, committimus et mandamus quatenus Presbiterum Antonium Capellanum nostrum in Ecclesia S. Georgii ex parte nostra citare procures, ut decima quinta die non feriata, a tua citatione hujusmodi computanda, compareat personaliter et peremptorie coram nobis, super hiis que in dicta visitatione contra eum inventa sunt et probata: videlicet quod est concubinarius manifestus, et usurarius, sententiam auditurus. Protestans eidem, et comminando predicens, quod sive veniat, sive non, ad sententiam hujusmodi, sua non obstante absentia, procedemus, justitia mediante. De citatione vero hujusmodi, et termini assignatione, et aliis que circa hoc duxeris facienda, nos certos reddas per tuas patentes litteras, vel per publicum Instrumentum.

Datum Civitate Austrie, die xvi. Maii. xii. Indictione. Anno Dominice Incarnationis m.ccc.xxix. A.C.U.c.

N. 566.

1329 7 *Giugno Udine.*

***Parlamento.** In cui si tratta della sicurezza delle strade, dei diritti dotali, della milizia, della Fortificazione del Castello Moscardo, e dei danni fatti alla Chiesa d'Aquileja nelle parti dell' Istria.*

Gabriele da Cremona C. P.

Anno m.ccc.xxix. Indictione xii. Infrascripta facta sunt in generali Colloquio Utini celebrato die Mercurii

vn. mensis Junii, in sala inferiori in quo interfuerunt infrascripte notabiles persone.

D. Decanus Aquilegensis.
D. Abbas Sextensis.
D. Decanus Civitatensis.
D. Morandus de Porcillis.
D. Federicus de Prampergo.
D. Articus de Prampergo.
D. Hector de Utino.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Federicus de Pers.
D. Thomasuttus de Cucanea.
D. Gerardus de Cucanea.
D. Johannes de Cucanea.
D. Nicolaus de Cucanea.
D. Hendricus de Cucanea.
D. Conradus de Benardigio Gastaldio Utini.
D. Saginus de Parma Gastaldio Civitatis.
D. Odoricus Notarius de Utino.
D. Franciscus Notarius de Utino.
D. Franciscus Sibelli Notarius Glemone.
D. Georgius de Castro Pole.
D. Bernardus de Strassoldo.
D. Ossalchus de Strassoldo.
D. Odoricus de Villalta.
D. Mussatus de Cauriaco.
D. Federicus de Murutio.
D. Rapotus de Budrio.
D. Simon de Budrio.

D. Franciscus de Manzano.
D. Hendricus de Manzano.
D. Fantussius de la Frattina.
D. Johannes de Rivarola.
D. Durissa de Varmo.
D. Bellus de Savorgnano.
D. Ainzutus de Flagonea.
D. Arnaldus de Brazzaco.
D. Hendricus de Faganea.
D. Guillelmus Magistri Valteri de Civitate.
D. Nicolaus Longus de Civitate.
D. Mapheus Notarius de Aquilegia.
D. Nicolaus D. Guillelmi de Aquilegia.
D. Johannes Qualia de Montefalcone.

Propositis igitur per D. Patriarcham in dicto Colloquio sapienter et provide hiis, propter quod dictum Colloquium convenerat, que fuerunt quatuor generalia, et unum speciale. Primo super facto stratarum, quod sint secure, et nulla mala procurentur et fiant super ipsis: Secundo super facto jurium Dotalium spectantium ad Dominas, quod non ducantur per longum, et quod illa consuetudo de dando tres terminos quindecim dierum pro quolibet, et de hora meridiana removeatur, et reformetur: Tertio super facto militie, si expiravit, ut impositio nova fiat, aut firmetur alia impositio quando ultima expirabit; Quarto de furtificatione Castri Moscardi, ut ejus ad custodiam et prohibitionem transitus gens nostra que necessaria sit ponatur, et provideatur quod cum modica gente prohiberi possit; ad quod ipse D. Patriarcha portionem suam se obtulit positurum.

Speciale vero fuit quod cum D. Hugo de Duyno multa dampna fecisset in partibus Istrie Ecclesie Aquilegensi, ad quam examinationem Electi per ipsum missi fuerunt D. Abbas Rosacensis, et D. Decanus Aquilegensis; quibus visis et examinatis dixerat debitam restitutionem facere, et demum, superveniente infirmitate, que ipsum de hoc seculo subtraxit, ordinavit in testamento, quod dampnis Ecclesie Aquilegensis de bonis propriis satisfieret, quod hucusque factum non erat, licet pluries, et cum importunitate continua requisissent D. Odoricum de Cucanea, Gubertum de Prata, et Grylideum, qui non videbantur de hoc aliquid curare, seu quasi deludere D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem, propter quod ipse D. Patriarcha dicens se nolle ulterius tantum opprobrium substinere, requisivit omnes et singulos dicti Colloquii sub fide eorum, et juramenti debito quo tenentur, ut circa hoc sibi, et Ecclesie Aquilegensi non deficiant, et quod super premissis per eum propositis consulant quid sit melius et utilius pro statu securo totius Terre, et Servitorum Ecclesie Aquilegensis.

Quibus sic provide et sapienter expositis, quesitum fuit more solito ab omnibus de Colloquio, quid consulendum, et agendum erat super predictis. Et primo a D. Decano Aquilegensi, qui consuluit et dixit, quod bonum erat et necessarium penitus super facto securitatis stratarum ut justitia fieret, et pax integra omnibus servaretur providere: et super facto Dotium Dominarum, de quibus magnum peccatum committitur inducendo eas per longum, et faticando eas indebite ac injuste pro recuperatione jurium suorum: et quod mili-

tia firmetur, et Mostra fieret, si aliis videbatur, et quod omnino expediebat quod fortificatio fieret pro custodia Castri Moscardi, quia si fortificaretur ibidem, tota Terra reddebatur secura ex parte illa, et quod consulebat omnino quod fieret. Super ultimo vero, ac speciali consuluit, quod D. Patriarcha cum suis Consiliariis de novo creandis, si videbatur aliis de dicto Colloquio, provideant et consulant illud quod melius sit pro honore D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, et salubriori statu totius Terre: qui etiam Consiliarii simul cum D. Patriarcha provideant super omnibus et singulis predictis. Quesito postea ab omnibus tam Prelatis, quam Nobilibus, et Communitatibus more solito quid consulebant, omnes sequentes consilium D. Decani, illud idem consuluerunt, firmantes quod fiant novi Consiliarii, qui cum D. Patriarcha remaneant, consulant, et provideant super predictis; et quidquid fecerint, statuerint et ordinaverint, totius Colloquii vigorem obtineat. Secesserunt itaque in partes, omnes, prout moris est, ad faciendum Consiliarios suos, et electi, et facti fuerunt infrascripti.

D. Guillelmus Decanus Aquilegensis.
D. Morandus de Purcillis.
D. Odoricus de Cucanea.
D. Articus de Prampergo.
D. Federicus de Pers.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Bernardus de Strassoldo.
D. Odoricus de Villalta.

Pro Communitatibus.

D. Federicus de Savorgnano pro Utino.
D. Hermannus Notarius pro Glemona.
D. Philippus de Portis pro Civitate.
D. Hermanus Notarius pro Aquilegia.

Ministeriales.

D. Federicus de Murutio.
D. Nicolaus de Castello.
D. Ossalchus de Strassoldo.
D. Durissa de Varmo.

Qui omnes, preter quam D. Odoricus de Cucanea, Federicus de Savorgnano, Philippus de Portis, et Hermannus de Glemona, qui absentes erant, juraverunt ad Sancta Dei Evangelia, more solito, quod quando vocabuntur per D. Patriarcham ad Consilium venient, nisi tale impedimentum sit, quod se legittime possint excusare, et quod fideliter consulent illud quod sibi pro meliori videbitur, juxta conscientias eorum. Circa vero que tractabuntur, et fient in Consilio, secreta habebunt, et nemini pandent.

Finito igitur Colloquio antedicto, et convenientibus in unum simul cum D. Patriarcha in sala inferiori predicta pro ordinandis predictis, prefatis Consiliariis, videlicet D. Decano Aquilegensi, Morando de Purcillis, Bernardo de Strassoldo, Odorico de Villalta, Artico de

Prampergo, Federico de Pers, Asquino de Colloreto, Federico de Morutio, Ossalco de Strassoldo, Durissa de Varmo, et ultra dictos Consiliarios, D. Hectore de Utino loco Federici sui fratris, D. Sergio de Castro Pole, Dominis Odorico et Francisco Notariis de Utino, D. Guillelmo Magistri Valteri loco D. Philippi de Portis, Mapheo Notario de Aquilegia pro dicto Communi, loco Hermanni absentis, provisum, statutum, deliberatum, et ordinatum fuit atque firmatum, et primo super facto stratarum, quod strate secure sint et libere, omnibus tam mercatoribus, quam aliis quibuscumque personis cujuscumque conditionis existant. Quicumque vero stratas ipsas violare, rumpere, aut turbare, spolia et derobationes committere super ipsis presumpscrit quocumque modo, sive nobilis, sive popularis existat, si haberi, aut capi poterit, justitia debita puniatur. Si vero haberi, aut capi non poterit, sub eadem pena perpetuo sit bannitus per universas terras, et a quocumque dominio Ecclesie Aquilegensis. De bonis vero malefactoris predicti, si qua habebit, aut habere poterit, satisfiat spoliato usque ad summam ejus quod acceptum fuerit sibi, et stetur Sacramento suo. Acceptantes vero malefactores et derobatores predictos, aut cum re taliter derobata, aut sine, et admittentes eosdem in Castris, Fortiliciis, sive domibus suis, si scienter fecerint, et ipsos, aut ipsum cum spolio et derobatione hujusmodi infra tres dies non presentaverint, et assignaverint D. Patriarche, aut officialibus suis Dominium Gariti gerentibus, simili pena subjaceant, et contra ipsos sic per Dominium viriliter provideatur, ac si per ipsos scelus hujusmodi fuisset commissum.

Secundo per ipsos statutum et ordinatum fuit, quod impositio militie, que modo ultimo expiravit, firmetur, et firmata sit juxta taxationem et portionem Elmorum et Balistrarum alias unicuique datam, que duret, et durare debeat a proximo Festo S. Johannis Baptiste, usque unum annum integrum; et quod littere more solito mittantur universis, quod sint, juxta impositionem eorum parati, et parentes quam citius possint equis et armis, ut quandocumque D. Patriarcha eos requisiverit, aut pro mostra, aut pro aliquo alio casu superveniente, nihil deficiat eis, et hoc sit sub pena alias tempore alterius impositionis ordinata.

Tertio firmatum est, quod in casu restituende Dotis per Dominam unus terminus quindecim dierum, aut plus, aut minus, sicut placuerit Dominio, assignetur; quodque sine strepitu et figura judicii restitutio ipsa fiat, et quod Domine, sive mulieres in restitutione hujusmodi ceteris aliis creditoribus preferantur. Qui quidem terminus assignetur per Dominium quacumque hora placuerit Dominio; et si Domine, seu tales mulieres petentes dotes suas in predicto termino expediri non poterunt, in arbitrio Dominii consistat de assignando terminum unum aut plures, brevem aut longum pro expeditione earum, et quoad heredes ipsarum modus similis observetur: et quod de hujusmodi ordinamento, seu Statuto cuique, in juditio petenti copia ulla detur, et hoc servetur, et servari debeat non obstante consuetudine hactenus observata.

Quarto super fortificatione passus, seu transitus Castri Moscardi provisum et firmatum fuit, quod fortifica-

tio ipsa fieret expensis hominum et villarum de Carnia, apponente D. Patriarcha, sicut se obtulit, partem suam, et quod aliqui discreti homines, qui sciant et cognoscant, mittantur ad locum predictum, qui diligenter videant et examinent quid fieri expediat pro fortificatione predicta; et quantum, et quale opus, et quantum possent expendere in opere hujusmodi. Et tunc per aliquos bonos homines eligendos per D. Patriarcham et suum Consilium, fiat distributio justa et rationabilis inter illos de Carnia: que pecunia per dictos tales eligendos colligatur, et tunc ad perfectionem illius operis, prout deliberatum est in Consilio, procedatur; et quod Gastaldio de Carnia nullam circa predicta penitus habeat potestatem.

Super ultimo vero et specialiter proposito per D. Patriarcham pro facto illius de Duyno, provisum fuit, quod non deficiatur dicto D. Patriarche per servitores Ecclesie ad recuperandum quod sit sui juris, et ad faciendum illud quod sit honoris D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensis. Pro quibus et aliis pluribus tangentibus statum totius Terre, Electi fuerunt duo Ambaxatores, qui vadant ad Dominam Comitissam, videlicet D. Decanus Aquilegensis, et D. Bernardus de Strassoldo.

A. C. U. c.

N. 567.

1329 9 *Giugno Udine.*

Restituzione del Patriarca ad Ettore di Savorgnano.

M. CCC. XXIX. Indictione XII. die nono mensis Junii. Presentibus discretis viris Presbiteris Nichola Plebano Flambri, ac Beltramo de Concesa, Francisco Nassutti, Nicolussio Orbiti, et Valentino Draperio de Utino, Armano Mecholotio de Mediolano, Maphiolo Barazia, Marchisio filio q.m Bernardi Moroni, et Ambrosio de Casnate testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis, et rogatis.

Nobilis miles D. Hector de Savorgnano confessus et contentus fuit se recepisse et habuisse a Reverendo in Christo patre D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dante et solvente suo, et Successorum suorum, et Aquilegensis Ecclesie nomine, marchas ducentas et quinquaginta, et frixachenses nonaginta sex Aquilegensium novorum in pecunia numerata, et hoc pro plena et completa solutione et satisfactione totius pecunie per ipsum mutuate super bonis que habet ipse D. Patriarcha et Aquilegensis Ecclesia in villis de Cerneu de subtus et superius, Teypana et Pressinico, ac dimidio manso sito in Canalutto Gastaldie Tricesimi, nec non quinque mansis positis in Campiformio. Renuncians exceptioni non recepte, numerate, et non habite dicte pecunie quantitatis tempore hujus contractus, speique nu-

merationis future, doli, mali, in factum, actioni et omni probationi in contrarium; ac faciens eidem D. Patriarche et Aquilegensi Ecclesie finem, remissionem, et perpetuam quietationem de ulterius aliquid non petendo premissorum occasione, et cassans, irritans, et annullans omnia Instrumenta que invenirentur super debito antedicto fore confecta; nec non promittens sub obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum finem, remissionem, et quietationem, ac omnia et singula supradicta rata et firma perpetuo habere et tenere, et non contrafacere, aut venire aliqua ratione sive causa, sub pena dupli quantitatis pecunie suprascripte. Qua soluta aut non, premissa omnia plenam roboris obtineant firmitatem.

Actum Utini, in Castro dicte Terre juxta domum habitantie dicti D. Hectoris. A. C. U. o.

N. 568.

1329 9 *Giugno Cividale.*
Incanto de' Dazj.

Da' Registri del Commune.

De Datio Stationum vendito Anselmo pro se, et Jacobo Pizulo.

M. CCC. XXIX. Indictione XII. die VIII. intrante Junio. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D.D. Guilelmo q.m Magistri Walteri, Adenrico de Civitate, Ernisto de Wisnivich, et aliis.

Cum Datium Stationum Communis Civitatensis per Mathiussium Preconem de Civitate venditum fuisset ad incantum Anselmo de Civitate pro se, et Jacobo Pizulo de Civitate notario, pro Marchis sexaginta octo denariorum Aquilegensis monete ad habendum, et exigendum ipsum a Kalendis mensis Augusti proxime venturi, usque ad unum annum, Isacchus q.m Mari de Florentia Camerarius Communis Civitatensis, de consensu et voluntate Dominorum Sagini Castaldionis, et Consilii Civitatensis ibidem ad sonum campane more solito congregatorum, nomine dicti Communis, ipsum Datium dedit predicto Jacobo Pizulo pro se, et dicto Anselmo recipienti pro pretio antedicto, ita quod ipsi, aut cui commiserint per dictum annum illud exigant, habeant, et ad suam voluntatem recipiant, prout exigi consuevit secundum Ordinamentum factum per Consilium Civitatense in anno Domini M.CCC.XXV. Indictione octava, die V. exeunte Aprili. Quod Datium per dictum annum, nomine dicti Communis, promisit, et tenetur eis manutenere, et defendere ab omni homine et persona. Et pro hiis attendendis et observandis Henricus q.m Petri Fondani de Civitate Provisor Communis extitit fidejussor, et manutentor, et legittimus defensator.

De Datio Mensurarum vendito Jacobo q.m Scofolotti.

Item eisdem anno, indictione, die, loco, et testibus. Cum per Marinum Preconem Communis Civitatis Datium, videlicet Mensurarum, a festo Assumptionis Beate Marie de Augusto, ad unum annum, et Datium Mieri,

Ruppi, Brazzolarii, et Statere a Kalendis Augusti proximi, ad unum annum venditum fuerit ad incantum Jacobo q.m Scofolotti de Civitate pro viginti quatuor marchis et uno denario Aquilegensis monete, Isachus de Florentia Camerarius Communis Civitatensis, de consensu et voluntate dictorum Dominorum Castaldionis et Consilii, nomine dicti Communis, ipsa Datia dedit dicto Isacho pro pretio antedicto, ita quod ipse, et cui commiserit illa per dictum tempus exigat, habeat, et ad suam voluntatem recipiat, prout exigi consuevit secundum ordinationem factam in Consilio Civitatatensi, in anno Domini M. CCC. XXV. Indictione, VIII. die V. exeunte Aprili. Que Datia per dictum annum, nomine dicti Communis promisit, et tenetur ei manutenere, et defendere ab omni homine, et persona. Et pro hiis attendendis et observandis predictus Provisor dicti Communis extitit fidejussor, et manutentor.

De Datio Panis vendito D. Sagino pro Pidruccio filio Johannis Magistri Juliani.

Item eisdem anno, Indictione, die, loco, et testibus. Cum Datium Panis Communis Civitatis per Mathiussium Preconem de Civitate venditum fuerit ad incantum D. Sagino Castaldioni ementi nomine et vice Pidrussii filii Johannis Magistri Juliani de Civitate pro triginta quinque Marchis denariorum Aquilegensis monete ad habendum ipsum a Kalendis Augusti proximi, ad unum annum; predictus Isachus Camerarius Communis Civitatis, de consensu et voluntate dictorum Dominorum Castal-

dionis et Consilii, ipsum Datium dedit predicto Pidrussio, pro pretio antedicto. Ita quod ipse, et cui commiserit illud exigat, et habeat, et sua utilitate recipiat per dictum annum, prout exigi consuevit, et reformatum fuit in Consilio Civitatis sub anno Domini M. CCC. XXV. Ind. VIII. die V. exeunte Aprili. Quod Datium, nomine dicti Communis, promisit ei manutenere, et defendere ab omni homine et persona, nomine dicti Communis. Et pro hiis attendendis dictus Henricus Provisor Communis extitit fidejussor et manutentor.

De Datio Macelli vendito Stephano pro Bonetto Tusco.

Item eidem anno, Indictione, et die. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Sagino Castaldione Civitatis, Ernisto de Wisnivich, Bontado q.m Johannis Bontadi de Civitate, et aliis.

Cum Datium Macelli Communis Civitatensis per Benedictum Preconem venditum fuerit ad incantum Stephano familiari Bonetti Tusci pro ipso Bonetto ementi, pro sexaginta sex Marchis et duobus denariis Aquilegensis monete, ad habendum ipsum a Kalendis Augusti proximi, ad unum annum, Nicolaus Longus de Civitate, et Isachus de Florentia Camerarii Communis Civitatensis, nomine dicti Communis, ipsum Datium dederunt predicto Bonetto pro pretio antedicto. Ita quod ipse, et cui commiserit illud habeat, exigat, et recipiat, prout exigi consuevit, sicut reformatum extitit in Consilio sub anno Domini M.CCC.XXV. Ind. VIII. die V. exeunte Aprili. Quod Datium, nomine dicti Communis, promiserunt ei per di-

ctum annum manutenere et defendere ab omni homine et persona; et de hiis attendendis et observandis predictus Henricus Provisor Communis Civitatis extitit fidejussor, ac etiam manutentor.

De Datio Vini vendito Thorino de Florentia.

Item eisdem die, loco, et testibus. Cum Datium Vini Communis Civitatensis per Cergnam Preconem de Civitate venditum fuisset ad incantum Thorino q.m Isachi de Florentia commoranti Civitate pro centum et sexaginta tribus Marchis denariorum Aquilegensis monete ad habendum ipsum a Kalendis Augusti proximi, ad unum annum, predicti Nicolaus et Isachus Camerarii, nomine dicti Communis, illud eidem Thorino pro dicto pretio dederunt, ita quod ipse, aut cui commiserit illud habeat, et exigat, et recipiat ad suam voluntatem, prout exigi consuevit, sicut reformatum extitit in Consilio Civitatensi sub anno Domini m.ccc.xxv. Indictione viii. die v. exeunte Aprili. Quod Datium, nomine dicti Communis promiserunt ei manutenere ab omni homine, et persona per dictum annum. Et de hiis attendendis et observandis predictus Henricus Provisor extitit fidejussor, ac etiam manutentor.

Summa omnium predictorum Daciorum capit Marchas ccclvi. et Denarios tres. C. M. R. o.

N. 569.

1329 20 *Giugno Venezia.*
Richiamo del Doge di Venezia contro il Podestà di Marano.

Reverendo in Christo Patri Domino Pagano Dei gratia Sancte Aquilegiensis Ecclesie Patriarche, amico plurimum honorando, Franciscus Dandulo, eadem gratia, Venetiarum, Dalmatie, atque Croatie Dux, dominus quarte partis et dimidie totius Imperii Romani, salutem et sincere dilectionis affectum.

Receptis et intellectis litteris vestre Paternitatis super frumento et blado viri nobilis Donati Quirino Civis nostri dilecti acceptis violenter per Potestatem et homines Marani, ut vobis scripsimus seriose, vestre dilectioni presens reddimus, quod homines Marani vobis, ut videmus, veritatem rei potius tacuerint. Nam non solum per querelam Civis nostri prefati, sed per nobilem virum Odoricum de Strassolt, qui nuper fuit Venetiis, et de predicto negotio interrogatus a nobis, habemus, quod barcha in qua erat oneratum bladum, adhuc non removerat se a ripa, et quod restabat pars aliqua bladi onerati in barcha predicta, expectantibus nuntiis dicti nostri fidelis licentiam et litteram vestram cum qua posset discedere, et venire Venetias cum blado prefato; intendens, si ipsa licentia non posset obtineri, Aquilegiam navigare. Unde cum cunctis constet nostrum civem fore dampnificatum indebite, quod vestra Paternitas pati non

debet, nec credimus de justitia et benignitate vestra prefata; Paternitatem vestram instanter requirimus et rogamus, quatenus de satisfactione, et indempnitate prefati civis nostri sic benigne, justeque providere, et ordinare vellitis, quod, ejus quiescente querela, vobis merito obligemur, nec eum oporteat pro sua indempnitate ulterius laborare, cui in sua instantia deficere non possumus.

Datum in nostro Ducali Palatio, die xx. Junii xii. Indictione. *Biblioteca Florio* o.

N. 370.

1329 22 *Giugno Aquileja.*

Riforme ordinate dal Patriarca nella Diocesi di Verona.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilectis filiis Massario et Capitulo Ecclesie Veronensis, nec non universis et singulis ipsius Capituli, et aliis Capitulis et Ecclesiis de Verona, nobis immediate subjectis, salutem in Domino sempiternam.

Pridie nobis incumbens visitationis officium per dilectum filium Guilielmum Decanum Aquilegensem Decretorum Doctorem circa vos et vestras Ecclesias exequentes, quedam per visitationem hujusmodi reformanda invenimus, que ad honorem Dei, et utilitatem vestram omnimodam decrevimus, prout inferius denotantur, et que per vos communiter ac divisim sub obedientie de-

bito, et pena excommunicationis, sicut ad unumquemque pertinentia, precepimus observari.

In primis quod ficta, seu census quinque domorum Canonicorum Veronensium positarum juxta portam ipsius Canonicatus dividantur deinceps inter omnes Canonicos, equis portionibus, cum non deceat ut, exclusis aliis, septem, vel octo eorundam Canonicorum, sicut hactenus, soli percipiant dicta ficta.

Item quod possessio, que dicitur Frixolana quibusdam dum receptis ultra numerum ipsorum Canonicorum assignata, ex quibus non superest nisi unus, statim revocetur ad manus et Canipam Capituli Verone, et illi tali recepto, licet ipsa receptio nulla fuerit de jure, et per consequens possessionis predicte assignatio, nunquam debite frui permittatur, provideatur per ipsum Capitulum de aliquo stipendio competenti, quod non beneficii nomine censeatur ob reverentiam ejus cujus intuitu facere extitit eadem receptio. Inhibentes et districte percipientes sub excommunicationis pena quam, canonica monitione premissa, in his scriptis proferimus in contrarium facientes, ne de cetero ulla talis receptio vel portionis, seu possessionis assignatio fiat, et si forte presumeret de novo facere eam, decernimus ex nunc invalidam, atque nullam, et ad hec quia dicta Frixolana possessio per industriam dilecti filii Nerii Canonici Veronensis valde meliorata est, et ad meliorem statum reducta, ut de sua cura et industria commodum valeat reportare, volumus, et omnes de Capitulo suademus, ut eidem Nerio illam pro consequenti, et moderato censu annuo debeant offerre. Ita tamen quod census, sive fictum hujusmo-

di in Canipam, et Communitatem perveniant memoratam.

Suademus etiam dilecto filio Permessano Canonico, ut possessionem legatam Capitulo cum fructibus in vita sua recipiat, juxta dispositionem legantis, et ex nunc ipsi Capitulo dimittat, et ab ipso Capitulo recipiat censum aliunde equalis valoris ejus quem recipit ex eadem, ne post ejus decessum, Capitulum ipsum in jure sibi legato valeat perturbari.

Bernardus Domicellus Veronensis, qui tenet possessiones deputatas ad fabricam, faciat statim cooperire Ecclesiam et porticum, et magis sit sollicitus in his que pertinent ad suum Officium, et in redenda ratione, aut officium ipsum et possessiones ad hec deputatas resignet.

Presbiter Bartholomeus de Mantica septimanam suam continue faciat, et melius vadat ad officium, ac infra mensem obligetur quod magis voluit ex duobus altaribus quibus servit, unum aut alterum dimittere, nec presumat de cetero binas in die Missas celebrare, nisi in Natali, et in casibus permissis a jure.

Nicolaus Mansionarius Veronensis corrigatur per Massarium Capituli de blasphemiis Dei et Sanctorum, de ludis taxillorum, et de discursu inhonesto quem facere perfertur cantando, et nisi destiterit privationem formidet.

Idem Nicolaus et ceteri Mansionarii faciant, ut tenentur, residentiam in Canonica, et in divinis Officiis Ecclesie assiduum famulatum impendant.

Capellani S. Elene bis in hebdomada celebrent pro defunctis Patronorum dilectorum suorum, et si non fecerint, per eundem Massarium inquiratur, nec non de

quibusdam bonis prebendarum Canonicorum absentium, que dicuntur vendite per colonos; et si invenerit, ad recuperationem eorum intendat, et faciat quod vinee Vallis Pavouleti melius procurentur. Intendat etiam una cum Capitulo ad recuperationem possessionum de Gardesana, quas Gastaldio temeritate propria, ut dicitur, vendidit. Ostiarii Ecclesie, qui sunt novem, resideant in Ecclesia, et si residere noluerint, fructus beneficiorum suorum subtrahantur eisdem.

Datum Aquilegie, die xxii. Junii. Anno Dominice Incarnationis m.ccc.xxix. Indictione xii. A. C. U. c.

N. 571.

1329 29 *Giugno Juna.*

Lettera del Preposito di Juna al Patriarca Pagano, e relazione della zuffa ch' ebbe luogo tra esso Preposito e il Parroco di Vanstrap.

Eusebio de Romagnano Can. P.

Reverendo in Christo Patri Domino suo gratiosissimo Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Eberardus Prepositus June cum recomendatione se ipsum. Caritati vestre, de qua plurimum sum confidens, supplico precibus confisivis, quatenus, amore Dei, mihi dignemini indulgere, quod personaliter hodie non valui comparere scitatus ad instantiam Presbiteri Ulrici. Cum ferie rustice nunc instent, et oportet me fruges recolligere quibus hoc anno volumus una cum

Canonicis, et familia sustentari. Sed ut cognoscatis quo vobis affectu fideliter obedire studeam, mitto Presbiterum Churadum latorem presentium loco mei, vestram gratiam flagitans studiose, ut mihi vellitis de Presbitero Ulrico, qui contra me graviter excessit, facere justitie complementum.

Datum in Ecclesia Junensi, in die Petri et Pauli Apostolorum.

Hic notantur excessus facti per presbiterum Ulricum, scripti per nos Canonicos Junenses, quos jurati omnes et singuli confirmamus sic esse. Primo cum idem Ulricus esset de viris territorii Prepositi antedicti quo ad temporalia et spiritualia, incepit vivere dissolute ludens in tabernis die noctuque; et cum delusisset aliquas marchas, noster Prepositus corripuit eum, volens sibi prohibere talem vitam, ipse male tractavit Philippum familiarem Prepositi, volens eum figere suo cultro, primo in taberna, deinde in presentia nostri Prepositi. Tunc Prelatus in secundum constitutus volebat punire Ulricum in quadraginta solidis Curie, et sibi in quadraginta, ipse vero renuit obedire. Item Prepositus requisivit Collectam sibi dari, sicut ceteri sui subditi solent eum juvare in exactionibus et collectis, et iterum ipse Ulricus renuit, et appellavit. Sed cum se non videret proficere, se Preposito subjugavit, dans super se publicum instrumentum, quod integraliter legendum transmittimus, et ostendendum, secundum quod potestis coniicere, ipsum Ulricum esse sacrilegum, ac perjurum; videturque quod talis non possit esse Actor. Quare de jure deberet in

expensis condempnari, et ad perpetuum silentium in hac causa. Item anno presenti, cum idem presbiter Ulricus vellet Sanctorum limina visitare, spopondit marcham argenti unam ad vitrum Ecclesie Junensis cum rediret, si autem non rediret, statuit unum vas vini Preposito pro illa muta. Cum autem jam perfecto itinere rediret, Prepositus repetivit argentum vitro jam preparato, qui noluit dare, quia filiam suam copulaverat, que ei magnam constabat pecuniam plusquam ad decem marcharum. Cum autem magister vitri exigeret pretium a Preposito nostro, misit tribus vicibus ad dictum Presbiterum pro argento, quod voverat se daturum; penitus nihil dedit. Tunc Prepositus jussit Ulrico equum suum recipi pro pignore, quousque sibi de tali pecunia satisfecisset. Videns hoc idem Ulricus, precincto gladio, voluit equum famulis prohibere. Timens autem Prepositus scandalum et freneslam dicti Presbiteri vocavit eum ore proprio, qui noluit venire. Tandem Prepositus misit Hermannum Canonicum et unum Diaconum, ut interciperent, ne ipse gladio lederet quemquam, qui minime obedivit, sed evaginato gladio, eos a se repulit. Hoc videns Prepositus quod taliter insaniret cucurrit ad eum petens, ut sibi gladium daret, qui noluit, sed de una plaga contra eum percussit. Tunc quidam Diaconus, et alii familiares Prepositi irruentes tenuerunt eum, et Prepositus arripiens eum per renes, tenuit quousque sibi gladius reciperetur; et sic duxit eum ad carcerem, volens eum corrigere, ut debebat. Et cum nollet intrare carcerem, Prepositus traxit eum manibus in carcerem: sed D. Vicarius absolvit Prepositum. Et

cum esset in carcere, intuitu discipline, prima nocte, confracto carcere, volebat exire. Tunc Prepositu, habito nostro consilio, timens periculum sibi, ac Ecclesie imminere a dicto Volrico, posuit eum in compedem, et in alio loco; qui nobis tam diu supplicavit, ut pro eo intercessimus, et posuit juratus, non coactus fidejussores pro xxx marchis, quod non deberet ad Contratam Junensem venire absque licentia Prepositi, et quod ipse Prepositus securus esset una cum Ecclesia et familiaribus ab eo. Et si non creditis his dictis, ac nostro sigillo, potestis statuere unum judicem in Carinthia utrisque partibus, coram quo bene poterimus dicta nostra veris testibus comprobare. C. F. o.

N. 572.

1329 1 *Luglio Gemona.*
Reclamo delle Monache di Gemona contro il Gastaldo di Udine.

Artuico Not.

Die primo mensis Julii. Presentibus Bertolotto filio Questioni Bariglarii, Johanne filio ... de Zernodis commorante Glemone, Gibilino olim Gerlussi de Glemona, et aliis.

Soror Peregrina Priorissa Conventus, Ecclesie, et Monasterii S. Agnetis de voluntate et consensu Sororis Chunize, Adaleite, et sororis Dominiusse, atque Chunize, et totius conventus Monasterii, fecit, constituit, et

ordinavit Johannem Notarium filium olim Blasii Sellarii de Glemona presentem, et hoc mandatum suscipientem contra, et adversus Gastaldionem Utini, nomine, et occasione septem cum dimidio stariorum sigille, et unius quarte panici accepte dictis Sororibus Adaleite, et Winte per subditos dicti Gastaldionis Utini, seu super omni causa et causis, et petitionibus, quam, vel quas dicta Priorissa cum Conventu movere possent eidem Gastaldioni, et sue familie etc. Coram Reverendo in Christo Patre et D. Pagano S. Sedis Aquilegensis Patriarcha etc.

Actum Glemone, in Curia domorum dicti Conventus, que olim fuerunt Pletti. A. C. U. c.

N. 573.

1329 2 *Luglio Cividale.*
Feudo di Abitanza nel Castello di Udine concesso dal Patriarca ad Ettore Petenati.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die secundo mensis Julii. Civitate Austrie, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario dicti D. Patriarche, Francisco de Manzano, Petrusino D. Lipoldi Pater nostri, Odorlico q.m Leonardi, Bertramino de Olzago, et aliis.

Constitutus in presentia ejusdem D. Patriarche Paulus de Utino, filius q.m Armani de Tricesimo, sponte et libere resignavit in manibus ipsius D. Patriarche se-

dimen domus cum monte, quod est de Habitantia ipsius Pauli, positum in Castro Utini, apud Ecclesiam S. Marie, cui coheret via publica, viridarium cum muro terre habitantie Hermani dicti Pincerne de Utino, et territorium D. Hectoris de Souregnano, supplicans devote ipsi D. Patriarche, ut de ipso sedimine, et juribus ad illud spectantibus investire debeat Hectorem filium Odorlici Petenati, qui fuit de Murucio, et nunc habitat in Castro Utini. Quam quidem resignationem idem D. Patriarcha acceptans et recipiens, dictum Hectorem flexis genibus stantem ante eum, cum uno capucio, quod suis tenebat manibus, de predicto sedimine, et omnibus juribus ad ipsum spectantibus, sicut superius resignata sunt, jure Habitantie investivit pro se, et heredibus suis legittimis ad edificandum, et faciendum ut requiret onus Habitantie. A. N. U. o.

N. 574.

1329 4 *Luglio.*

Reclami di Volrico Parroco di Vanstrap contro Eberardo Preposito di Juna.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Coram vobis venerabili viro D. Johanne Abbate Rosacensi et Vicario Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, ego Volricus de Juna, presbiter, et Rector Sancti Jacobi et Philippi de Vanstrap

graviter conqueror de D. Eberardo Preposito Junensi, qui me indebite, et proprio arbitrio verberavit atrociter, et carceri mancipavit, et ibi per novem dies successive continuos pastu educabar canino. Preterea de hiis que in meam personam fecerat non contentus, me vi, et metu, qui cadere potuit in constantem, coegit renunciare Ecclesie S. Jacobi et Philippi antedicte. Insuper expoliavit me libris meis, caseis centum et quinquaginta, et triginta duabus ovibus, et aliis rebus meis. Quare tanquam contra justitiam spoliatus, peto ante omnia me restitui ad dictam Ecclesiam S. Jacobi et Philippi, nec non litteras meas, et jura mihi ad ipsam Ecclesiam spectantia, ut in ipsa Ecclesia valeam Domino famulari. Item peto ut etiam compellatis ipsum D. Eberardum, ut mihi restituat dictas oves, et caseos, et alias res meas per eum mihi acceptas, et satisfaciat mihi de injuriis mihi factis et illatis, ut dictum est, secundum quod jus dictat. Preterea peto non per viam libelli, sed per modum simplicis petitionis, ut in predictis procedatis, saltem quo ad restitutionem dicte Ecclesie Sanctorum Jacobi et Philippi, summarie, sine strepitu et figura judicii. Et mihi satisfiat de dampnis, interesse pariter et espensis, que ascendunt ultra duas Marchas denariorum Aquilegensis monete, et protestor de in posterum faciendis. Predicta vero affermative propono, non astringens me ad probandum omnia supradicta, sed ea solum que intentioni mee sufficiant ad victoriam reportandam. C. F. o.

N. 575.

1329 5 *Luglio Cividale.*
Decima della Terra di Muglia comprata dal Patriarca.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die v. Julii. In Civitate Austria, in Patriarchali Palatio. Presentibus ven. viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario infrascripti D. Patriarche, et dominis Jacobo de Carraria Canonico Civitatensi, Musatto q.m D. Detalini de Villalta, Johanne notario q.m Magistri Juliani de Civitate, Mozio Trinza de Florentia, Frederico q.m D. Galvani notario de Utino, et aliis ad hoc vocatis testibus et rogatis.

Nobilis vir D. Conradus q.m D. Volrici de Reifimberch pretio et foro ducentarum Marcharum denariorum Aquil. monete, quod totum confessus et contentus fuit se recepisse, ac integre habuisse a Rev. in Christo Patre D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, renuntians exceptioni non habiti, non recepti, et sibi non dati, et numerati dicti pretii, tempore hujus contractus, et omni legum et juris auxilio tam Canonico, quam civili per se, suosque heredes vendidit, cessit, transtulit, resignavit, et tradidit D. Patriarche pro se, suisque Successoribus, et Aquil. Ecclesia, et cui dare voluerit ementi et recipienti, totam suam decimam, quam habet, aut videtur habere in terra de Mugla in Istria, et ejus territorio, quam dicebat esse medietatem

decime de Mugla, exceptis suis vassallis, et vassallitiis, et livellis, et jure quod in parte sua habet decime dicte Terre, que sibi detinetur per heredes q.m Albertini Mauroceni, sive per alios de Venetiis. Et predictam decimam, quam in dicta terra de Mugla habebat, aut videtur habere cum omnibus retentis sibi ex fructibus dicte decime, et omni jure et actione quod, aut quam habet, aut videtur habere adversus detentores dicte decime, et fructuum ejusdem, dedit ut supra, eidem D. Patriarche pro se, suisque Successoribus, et cui dare voluerit recipienti, jure feudi Aquil. Ecclesie quod antea fuerat feudum Episcopatus Tergesti, sed ex quadam permutatione erat ad Aquil. Ecclesiam devolutum, ad habendum, tenendum, possidendum, aut quasi, dandum, donandum, infeudandum, alienandum, et quidquid eidem D. Patriarche, et suis Successoribus, et cui dederit de ipsa Decima deinceps placuerit perpetuo faciendum, cum omni jure, actione, usu, requisitione, servitute, dominio, honore, commodo et utilitate sibi ex dicta, aut pro dicta decima, seu ad ipsam decimam modo quocumque spectantibus et pertinentibus de jure, aut de facto. Promittens memoratus venditor per se, suosque heredes, cum obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium, presentium et futurorum, et omnium dampnorum, interesse, et expensarum litis et extra refectione, nominato D. Patriarche pro se, suisque Successoribus, et cui dare voluerit stipulanti, dictam venditionem, cessionem, resignationem, ac omnia et singula in hoc Instrumento contenta perpetuo firma, grata et rata habere, ac tenere; ipsamque Decimam eidem D. Patriarche, suisque

successoribus, et cui dederit ab omni homine, universitate, collegio, Ecclesia et personarum ratione legitime defendere, manutenere, guareutare, auctorizare, ac in solidum disbrigare, ac dare sibi exemplum in publicam formam sumptum ex instrumento autentico, quod habet de decima supradicta. Nunquam quoque contra predicta, et infrascripta per se, aut alios dicere, facere, vel venire, aut movere litem, vel controversiam ullam ratione aliqua, dolo, ingenio ingratitudine, sive causa, de jure, aut de facto, sub pena dupli valoris dicte decime, ut pro tempore plus valuerit, vel meliorata fuerit minus quinque soldis Veronensium parvorum pro singulis Capitulis stipulata, que toties peti et exigi possit, quoties committetur in ipsam, et ea soluta aut non, presens tamen Instrumentum obtineat plenum robur. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis, precibus ipsius venditoris, et pro ipso, D. Odorlicus q.m D. Henrici de Villalta de octuaginta Marchis, D. Paulus q.m D. Bojani de Civitate de vigintiquinque marchis, D. Thomasuttus de Pertinstayn q.m D. Thomasii de vigintiquinque marchis, et D. Odorlicus de Strassoldo Plebanus Lavariani, et Canonicus Aquil. de residuo et complemento dictarum ducentarum Marcharum pro manutenenda dicta decima Mugle in jure ipsi D. Patriarche, et suis Successoribus, et cui dederit, per se, suosque heredes fidejussores extiterunt sub bonorum suorum omnium obligatione presentium, ac etiam futurorum. In cujus decime tenutam et corporalem possessionem aut quasi, ad ponendum ipsum D. Patriarcham, aut alium loco sui predictus Fredericus notarius de Utino a dicto venditore

nuntius datus fuit. Constituente nihilominus ipso venditore se dictam decimam ipsius emptoris nomine precario possidere, donec ipse emptor, aut alius loco sui predicte decime tenutam intraverit, et possessionem acceperit corporalem aut quasi, quam accipiendi auctoritate propria, et retinendi deinceps eidem emptori licentiam plenam dedit. A. N. U. o.

N. 576.

1329 5 *Luglio Cividale.*

Convenzione del Patriarca con Corrado di Reyfimberch per l' acquisto di quella parte della Decima di Muglia, che spettava agli Eredi Morosini di Venezia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Item eisdem anno, Indictione, die, loco, et testibus. Reverendus Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha per se, suosque Successores, ex parte una, et nobilis vir D. Conradus q.m D. Volrici de Reyfimberch per se, suosque heredes ex altera, in hoc pacto et concordia convenerunt. Quod tam D. Patriarcha, quam D. Conradus debeant, et teneantur bona fide recuperare et aquirere illam partem Decime Mugle, que per heredes q.m D. Albertini Mauroceni de Venetiis, aut alios de Venetiis indebite tenetur, et quidquid de illa per eos, aut eorum aliquem recuperatum, aquisitum fuerit aliquo tempore, aut obtentum modo quocumque, inter eos per medie-

tatem equaliter dividatur. Ita quod D. Patriarcha et sui Successores habeant medietatem et D. Comes, et sui heredes habeant aliam medietatem, jure feudi D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Quodque expense, que pro recuperanda dicta Decima fient ab ipsis partibus, aut altera earundem, inter eos per medietatem similiter computentur, et adequentur. Ita quod quilibet ipsorum solvat pro medietate partem eum contingentem in ipsis expensis, et de illis aliam partem conservare teneatur indempnem. Que omnia et singula tam dictus D. Patriarcha per se, suosque Successores cum obligatione omnium bonorum suorum et Aquilegensis Ecclesie, quam dictus D. Conradus per se, suosque heredes cum obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, vicissim inter se promiserunt firma, et rata habere et tenere, attendere et observare, et non contradicere, aut venire ratione aliqua, sive causa. Immo omnia dampna et expensas, que, et quas una pars occasione alterius fecerit, aut incurrerit pro predictis attendendis et observandis, teneantur vicissim inter se integraliter resarcire. A. N. U. o.

N. 577.

1329 8 *Luglio Cividale.*

Compenso accordato a Bene di Sacile pel ristauro di una rosta distrutta dalla Livenza.

Eusebio de Romagnano Can. P.

Die VIII. mensis Julii. Civitate. In Patriarchali palatio. Presentibus testibus Gubertino de Novate Notario,

Obicino Malamuscha et Mapheo da Merate Mediolanensibus, familiaribus infrascripti D. Patriarche. Idem D. Patriarcha attendens quod inundatio aque Liquentie, que labitur per Sacilum, terram suam et Ecclesie Aquil. tanta extitit hoc anno, quod et pons cecidit in parte, et sclusa, sive Rosta Molendinorum ipsius Terre quasi est tota destructa, ita quod inde molendina pereunt, nisi eis celeriter succurratur, non habens ad presens promptam pecuniam unde expensas ad restaurandum ipsam rostam necessarias faciat, rogavit Omnebonum, qui dicitur Bene q.m Arpertusii de Sacilo in sua presentia constitutum, ut expensas hujusmodi faciat de suo, et eo promittente illas facere sicut erit necesse hac vice, concessit eidem quod in Molendino, quod ipse habet ad livellum in flumine ipso, quod reddit ipsi D. Patriarche annuatim staria xxiv. surgi, et appellatur Molendinum Fularge, possit et valeat tertiam rotam, sive molam edificare, et habere perpetuo per se, et suos heredes. Ita quod pro illa, aut ratione ipsius, nihil ultra livellum predictum xxiv. stariorum surgi solvere teneatur sibi, aut alicui alterius persone. Promittens per se, et suos Successores ipsi Bene stipulanti et recipienti pro se, et suis heredibus ratam habere hujusmodi concessionem perpetuo, et nunquam contra eam facere, aut venire aliqua ratione, aut causa, sub dampnorum et expensarum restitutione tam in lite quam extra facienda et habenda, obligando inde sibi pignore omnia sua bona et Ecclesie Aquilegensis. A. N. U. o.

N. 578.

1329 12 *Luglio Udine.*

Beni in Chions e in Pratomaggiore donati dal Patriarca a Guglielmo e Baldo frateli Barberano di Vicenza.

Gubertino da Novate Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, dilectis nobis Guillelmo et Baldo fratribus de Barberano de Vincentia salutem et sinceram dilectionem.

Considerantes fidelitatem et devotionem quam ad nos et nostram Aquilegensem Ecclesiam geritis, nec non grata et devota obsequia que nobis et Ecclesie nostre impendistis jam dudum, et adhuc impenditis, dimidium mansum, rectum per Carolum, unum mansum rectum per Rubeum, dimidium mansum rectum per Massarium, dimidium mansum rectum per Brandum, dimidium mansum rectum per Turam, unum mansum rectum per Zannam de Clons, omnes sitos in antedicta villa: Item in Prato majori unum mansum rectum per Mathiuttum Benevenuti; unum mansum rectum per Jacobum Furlanum, dimidium mansum rectum per Trinum, unum mansum rectum per Conradum ab Archis de dicta villa Prati majoris: qui omnes supradicti mansi sunt in Gastaldia nostre Medune Pustoti, ac ad nos, et nostram Aquilegensem Ecclesiam pertinentes, vobis, usque ad no-

strum beneplacitum, tenore presentium, duximus libere concedendos. Mandantes universis et singulis dictorum mansorum laboratoribus et conductoribus, quatenus vobis de cetero debeant integraliter de fructibus, redditibus, et proventibus eorundem respondere. Committentes etiam Gastaldioni nostro Medune, quatenus vos in ipsorum possessionem et tenutam corporalem, ut moris est, ponat et inducat. In cujus rei testimonium presentes fieri fecimus, et nostri sigilli impressione muniri.

Datum Utini, xii. Julii. Anno Dominice Nativitatis m.ccc.xxviii. Indic. xi. C. F. o.

N. 579.

1329 9 *Luglio, Caminetto.*
Pascoli comuni alle Ville di Butrio, Camino e Caminetto.

Stefano da Cividale Not.

m. ccc. xxix. Indictione xii. Die nono intrante Julio. In Ecclesia S. Bartholomei de Caminetto. Intendunt probare et fidem facere Vinerius et Vidonus Potestates, homines, et Commune villarum Caminetti et Camini, quod consueverunt longo tempore pasculare in Communiis Budrii, Camini et Caminetti, et campis vacnis, tanquam vicini hinc inde pacifice et quiete.

Ropretus de Budrio q.m Johannis Curialis juratus, et interrogatus dixit suo Sacramento, quod recordabatur a xx annis et ultra, quod homines Camineti, et Cami-

ni consueverunt ad invicem cum illis de Budrio pasculare in Communiis Budrii, Camineti et Camini in campis vacuis, hinc inde sine dampno, pacifice et quiete; et si ipse testis posset contradicere, libenter vellet, cum sibi sit majus dampnum quam aliis; et dixit quod audivit dici a suis parentibus et majoribus quod semper fuerunt vicini, et vocaverunt vicini illi de Budrio, Camineto, et Camino in pace et quiete, sine contradictione alicujus persone.

Leonardus Caligarius commorans Utini, filius q.m Johannis Runi de Camineto juratus, et interrogatus dixit suo Sacramento super predictis, quod recordabatur a XXIV. annis, ut supra; quod ipse dum staret in Camineto ibat ad pascendum cum illis de Camineto, et Camino, et illis de Budrio in societate ad pascendum in Communiis Budrii, Camineti, et Camini in broylis, campis, vineis et pratis sine dampno pacifice et quiete, sine contradictione alicujus persone, sed quando accipiebat uvas, aut nuces impignorabatur.

Die XV. in Ecclesia S. Jacobi. Antonius de S. Laurentio de Manzano filius quondam Stoli juratus et interrogatus dixit suo Sacramento super predictis, quod Mater sua fuit de Camino, et ipse venit stare per decem annos in Camino, et ibat ad pascendum cum illis de Camino, et Caminetto, et de Budrio usque ad Castanetum de Budrio per Communias, et in campis, et pratis vacuis sine dampno hinc inde in pace et quiete; et recordatur a quinquaginta annis et ultra. Interrogatus si aliquo tempore fuit questio, aut impignoratio, dixit, quod non, suo scitu.

Johannes q.m Leonardi de Manzaniello juratus et interogatus dixit suo Sacramento super predictis, quod recordatur a L. et LX. annis, tempore vuerre D. Izilini, quod dum esset parvus, et iret ad pascendum cum aliis, ibat cum illis de Camino, et Camineto, et pascebant per communias, et prata, et campos vacuos hinc inde cum illis de Budrio, usque ad Tombam Lonzan prope Cerneglons, in pace et quiete; et tempore majorum Dominorum de Budrio numquam fuit questio, et semper ut vicini consueverunt ad invicem pasculare etc. etc.

Flurinus q.m Martini de Cussignacho commorans Manzinelli juratus et interrogatus dixit suo Sacramento super predictis, quod recordatur, a L. annis, quod semper vidit homines de Budrio, Camino et Caminetto tanquam vicinos, pasculare simul hinc inde per Communias Budrii, per prata, et campos vacuos sine dampno, et nunquam fuit questio nisi modo; et tempore vuerre, illi de Camino et Camineto consuebant custodire Budrium, et semper fuerunt vicini a sua memoria.

Dominicus q.m Nicolai de Pratemano juratus et interrogatus dixit suo Sacramento super predictis, quod recordatur a L annis et ultra de bona memoria, et vidit, et scit pro certo, quod illi de Camino, Camineto et Budrio consueverunt pasculari simul in omnibus locis, apparando de dampno tanquam vicini in pace et quiete, sine contradictione alicujus persone hinc inde per Communias, prata, et campos vacuos, et sunt vicini in sepulturis, et aliis, tamquam vicini, salvo quod illi de Camino et Caminetto faciunt suum vicinium per se, et illi de Budrio faciunt per se. et. et. A. N. U. o.

N. 580.

1329 20 *Luglio*, *Avignone*.

Nomina del nuovo Abbate di Moggio.

Johannes Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis vassallis Monasterii S. Galli de Mocio Ordinis S. Benedicti Aquilegensis Diocesis salutem, et Apostolicam benedictionem.

Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut sollicitudinis debitum ad quod universis orbis Ecclesiis et Monasteriis nos Apostolice servitutis necessitas obligat, eorum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exolvamus in eo potissime, ut illorum regimina, que propriis sunt destituta pastoribus, personis talibus committamus per quarum solertiam circumspectam, et solertem circumspectionem Ecclesie, et Monasteria predicta in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis provisiones omnium Monasteriorum quorumcumque Ordinum in Patriarchatu Aquilegiensi consistentium, tunc vacantium, et vacaturorum in posterum quoties ea, quocumque modo, et ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostre ac Sedis Apostolice usque ad nostrum, et ejusdem Sedis beneplacitum duximus reservandas; decernendo ex tunc irritum, et inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret at-

stolica scripta mandamus, quatenus eundem Abbatem debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam exhibere, nec non de consuetis servitiis, et juribus sibi, ac nobis debitis, respondere integre studeatis. Alioquin sententiam, sive penam quam idem Abbas rite tulerit, seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Avenione, xiii. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno tertiodecimo. A. D. U. o.

N. 581.

1329 20 *Luglio Udine.*

Il Vicario del Patriarca ordina che sia intimata la scomunica a quei Parrochi della Carniola che non pagarono le Collette al Legato Pontificio.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xx. mensis Julii. Utini, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus D. Fr. Bernardo de Novate Monacho Monasterii de Claravalle Mediolanensis Diocesis, Parisino Not. de Utino, Fanfino de Prampergo, e aliis.

Supra scriptus Vicarius precepit D. Gregorio Plebano in Vandiz Vicearchidiacono Carniole et Marchie ibidem presenti, et mandatum recipienti, sub pena excommunicationis et privationis beneficii, quatenus statim cum erit intra dictum Archidiaconatum, procuret monere omnes et singulos Plebanos, et alias personas Ecclesiasticas dicti

Archidiaconi Archidiaconatus, qui non solverunt collectas D. Legati a tribus annis citra, de quibus plene constat ipsi D. Gregorio per rationem quam fecit sibi hodie de hiis, qui solverunt, et non solverunt, quod ipsi, et quilibet eorum infra festum Assumptionis B. Marie proxime venturum peremptorie solvere debeant quidquid eis impositum extitit de ipsis collectis sub pena privationis beneficiorum suorum, ad quam contra omnes et singulos eorum procedet, elapso dicto termino, nulla alia monitione premissa; cum pluries et pluries fuerint super hoc moniti, et in contumacia et duritia sua persistant. Et nihilominus statim faciat eos excommunicatos publice nunciari, et eorum Ecclesias interdictas, nec non irregulares, si se sic ligatos immiscuerint divinis. Quodque ipse D. Gregorius quidquid fecerit in predictis, sibi per suas patentes litteras, aut per publica instrumenta, notificare procuret. C. F. o.

N. 582.

1329 23 *Luglio Udine.*

È vietata l' esportazione delle Biade.

Anno millesimo trecentesimo vigesimo nono. Indictione XII. die Dominico XXIII. mensis Julii.

Infrascripta facta sunt in Generali Colloquio celebrato Utini, in quo interfuerunt infrascripte notabiles persone.

D. Decanus Aquil.
D. Abbas Sextensis.
D. Abbas Rosacensis.
D. Abbas Belliniensis.
D. Prepositus Civitatensis.
D. Plebanus de Strassoldo.
D. Federicus miles de Prampergo.
D. Articus de Prampergo miles.
D. Federicus de Pers.
D. Bernardus de Strassoldo.
D. Henricus de Strassoldo.
D. Fantussius da Pulcinico.
D. Biaquinus de Pulcinico.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Guicardus de Colloreto.
D. Franciscus de Tricano.
D. Alprettus de Tricano.
D. Mainardus de Murutio.
D. Magister Johannes medicus de Aquilegia.
D. Bartholomeus de Aquilegia.
D. Paulus Bojanus de Civitate.
Dominus Odoricus miles de Cucanea.
D.[1] Gerardus et Simon ejus filii.
D. Johannes de Cucanea.
D. Thomasuttus de Cucanea) Fratres.
D. Nicholaus de Cucanea)
D. Sergius de Castro Pole.
D. Johannes de Villalta.
D. Odoricus de Villalta.
D. Johannes Franciscus de Castello.

D. Franciscus de Manzano.
D. Squarzuttus de Manzano.
D. Simon de Budrio.
D. Fantussius de la Frattina.
D. Hermannus de Atemps.
D. Anfossius de la Turre.
D. Carlevarius de la Turre.
D. Conradus Gastaldio.
D. Federicus de Savorgnano de Utino.
D. Odoricus Notarius de Utino.
D. Hermanus de Glemona.

Proposita igitur per D. Patriarcham causa convocationis dicti Colloquii, que erat specialiter super duobus, primo ut certe provisiones et ordinationes facte per D. Patriarcham et per sex Consiliarios et sapientes electos per Consilium, et in Generali Consilio D. Patriarche super facto Bladi, de quo propter malam custodiam tota Terra Forijulii passa fuit caristiam maximam, ne per portus et alia loca extraducantur ad loca extranea, legantur ibidem in pleno Colloquio, uti si placuerit toti Colloquio, firmentur et observentur, aut corrigantur, vel mutentur pro ut pro meliori fuerit.

Secundo super dampnis et gravaminibus illatis, et que continue inferuntur per servitores Comitatus Goritie, cum quibus ipse D. Patriarcha semper inclinatus est habere pacem et bonum amorem, et specialiter de novo factis per Petrum de Petra Pilosa in partibus Istrie, que ipse D. Patriarcha nullo modo potest tolerare, et super quibus ex nunc D. Patriarcha sub debito fidei et Sacramenti qui-

bus tenetur Ecclesie Aquilegensi, requisivit consilium et auxilium ab omnibus qui erant in Colloquio, et non erant.

Quibus sic expositis, lecte fuerunt provisiones predicte, edite super facto bladi, que tales sunt.

Provisiones facte anno MCCCXXIX. Indic. XII. die lune X. Julii per D. Patriarcham et ejus Consilium. In primis super victualibus bladi ne exeant de Forojulii, et quod D. Patriarcha debeat omnes Officiales suos Gastaldiones et alios existentes in portubus aquarum, vel juxta, eos habere et juramentum ab eis recipere, et securitatem ab eis prestari facere, de quo videbitur quod non permittatur Bladum de Portubus quos habent in custodia transire, vel conduci extra Forumjulii ad gentes extraneas, sub pena securitatis prestande centum librarum qualibet vice, et privationis Officii sui, et cujuslibet alterius Officii dicti D. Patriarche perpetualiter, et nihilominus providendum est de persona aut personis, et de pluribus si fuerit opus, que ad Custodiam hujusmodi bladi non extrahendi stent, et habeant Clavem, aut claves catenarum et Portus, ita quod Gastaldio portus, vel Officialis remedium, contra provisionem venire non possit, et ubi non sunt Claves et catene provideatur de personis que habeant accusandi officium, et quibus credi debeat contra illos qui conducerent contra inhibitionem premissam hujusmodi bladum, et quod ordinetur quod blada sint perdita, et quarta pars cadere debeat Dominio, et accipientibus, et accusantibus, et dividi inter partes, et cessante accusatione, cadat Dominio et accipientibus. Item quod in villis et Terris publice proclametur, quod nullus Rusticus, vel alius

vendat bladum forensibus; ita tamen quod blada ipsa vendita non conducantur contra provisionem prefatam, nec dolus, nec fraus aliqua committatur, et pena Rusticorum vendentium sit quod capiantur personaliter quo usque de quolibet suprascripto vendito solverint quadraginta Frixachenses, et cadent Dominio blada empta nihilominus perdita. Item quod in Curtinis blada et vinum nisi solum ad usum per mensem non reponantur, et qui contrafacerint, blada et vinum perdant, et cadant D. Patriarche.

Item provisum fuit quod hominibus de Portugruario mandetur, quod provisionem servent supradictam, et notificetur hominibus de Portu Latisane, quod non debeant venire contra provisionem predictam emere blada per villas Forijulii, nec empta recipere in dicta Terra sua, ut conducantur per Patriam Forijulii, scientes quod si contrarium fecerint, strate bene custodientur, et ubique invenirentur, perderentur, de quo blado perdito fiet sicut supradicitur; et nihilominus scribatur D. Comitisse, et rogetur, quod sibi placeat mandare dictis hominibus de Portu Latisane, quod premissa debeant servare propter communem utilitatem Patrie.

Item ordinatum fuit quod nullus de Forojulii audeat pro aliquo forense emere bladum, et qui contrafecerit perdat bladum, et tandundem de bonis suis.

Item quod nullus audeat conducere, vel conduci facere bladum extra Terram Forijulii pro se vel aliis: et qui contrafecerint perdant bladum, et si bladum reperiri non posset, liceat D. Patriarche accipere et accipi facere de bonis suis usque ad valorem dicti bladi.

Item quod aliquis rusticus, vel mercator non audeat conducere bladum, ut est dictum, extra terram, et qui contrafecerit perdat bladum, currum cum bovibus aut equis, seu mussis cum quibus conduceretur, et de omnibus supradictis credatur electis etc.

Prefati autem Sapientes et Cousiliarii, qui provisiones predictas simul cum D. Patriarcha ediderunt sunt isti.

D. Odoricus de Cucanea miles.
D. Articus de Prampergo miles.
D. Hector de Utino miles.
D. Federicus de Pers.
D. Johannes de Villalta.
D. Paulus Bojanus de Civitate.

Quibus provisionibus lectis, ibidem quesitum fuit more solito, quid agendum et consulendum erat tam super ipsis provisionibus, quam super aliis expositis per D. Patriarcham, ab omnibus de Colloquio, et primum a D. Decano Aquilegensi, qui consuluit, et dixit, quod cum dicte provisiones bone essent, utiles et necessarie, observari deberent, et confirmari, et approbari per Colloquium antedictum, ut eandem firmitatem et vigorem haberent, ac si essent edite per dictum Colloquium, et si plus boni addi posset adhuc per ipsum D. Patriarcham et dictos sex adderetur. Super vero aliis propositis per eundem D. Patriarcham consuluit et dixit, quod videbatur sibi quod D. Patriarcha haberet predictos sex cum quibus melius posset providere, quam cum multis, et deliberare et facere illud quod melius, et utilius, et magis

honorificum esset pro D. Patriarcha, et Ecclesia Aquilegensi, et statu pacifico totius Terre Forijulii. Quesito postea et omnibus tam Prelatis, quam Nobilibus et Communitatibus, more solito, quid consulebant, omnes singulatim interrogati adheserunt consilio D. Decani, affirmantes et approbantes provisiones prefatas editas super facto bladi, ut eundem vigorem obtineant, ac si per totum Colloquium facte essent, et sic finitum fuit Colloquium.

Gabriele da Cremona Can. P.
A. C. U. c.

N. 583.

1329 1 *Agosto.*

Lettera de' Trivigiani al Patriarca, in cui sospendevansi certe rappresaglie concesse contro i suoi sudditi a favor di un Trivigiano.

Verci Doc. 1023.

Reverendissimo in Christo Patri, et Dom. Dom. Pagano Sacrosancte Sedis Aquilejensis Patriarche dignissimo, Petrus de Verme de Verona Potestas, Antiani, Consilium, et Com. Civit. Tarvisii pro nobilibus, potentibus, et excelsis Dom. Alberto et Mastino Fratribus della Scala, Civit. Verone, Padue, Vincentie, Tarvisii et Belluni pro Sacro Romano Imperio, Vicariis, et Dominis Generalibus, recommendationem debitam cum salute. Cupientes vobiscum, et cum vestratibus nos, et nostra-

tes perpetua pace, et tranquillitate gaudere, et nostrates cum ad partes vestras, et vestrates ad nostras cum personis, et mercandariis, et rebus omnibus hinc inde posse venire, stare, et redire liberos, et securos, ut nobis quominus predicta impleantur et fiant nihil valeant imputari repressaleas, legitime concessas Dom. Nicolao de Clarello Judici Civi nostro dilecto in avere, et personis contra vestrates pro dapnis, injuriis, et robariis sibi illatis per Stephanum q.m Virgilii de Civitate Austrie, qui armata manu ipsum Dominum Nicolaum in nostro districtu Tarvisii cepit, et ligatum duxit, et tenuit in compedibus in Stransolt per septem septimanas, et derobavit, et extorsit ab eo in pecunia, libris, equis et rebus aliis ultra valorem undecim millium librarum Veronensium parvorum: de omnium vestrorum, et vestri in vestro generali Consilio, et parlamento, in quo intus fuit Mapheus de Fara de Mediolano tunc pro relaxatione prefati Civis nostri, Communis Tarvisii ambaxator conniventia, et voluntate expressa ibidem firmata per laudum, et sententiam, ut moris est vestri sine causa aliqua, et injuste, et omnes alias rapressalias usque ad Kalend. Octobris proxime secuturi pro bono pacis, et concordie mittere, et tractare possitis cum dicto Dom. Nicolao plenam concordiam de predictis duximus suspendendas, cum hac conditione, ut si quas vestrates contra nostrates haberent, easdem modo velitis suspendere, et similiter scribere vestris Castellanis, ut dictam suspensionem totaliter debeant observare, quibus etiam super predictis ex parte nostra scribatis, scientes quod nisi infra dictum terminum dictus Dom. Nicolaus de predi-

ctis fuerit concordatus, eidem justitia et jure deficere non valentes, elapso dicto termino, dictis repressaleis utendi plenam concedimus potestatem, et ut adimplendi predicta causam et materiam habeatis, infrascripta pacta jurata vobis insinuamus, et trasmittimus presentibus interclusa. De predictis autem intentionis vestre per Datorem presentis dignamini mittere responsivam. Has autem litteras sigillo nostri Communis munitas fecimus registrari. De quarum presentatione latori earum nuncio nostro jurato, sine alia probatione dabimus plenam fidem.

Data Tarvisii, in palatio Com. Die 1 Augusti xII. Indictione.

N. 584.

1329 2 *Agosto Udine.*

Ricevuta rilasciata dal Collettore delle Decime Papali a Rinaldo della Torre Tesoriere Patriarcale.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die primo Augusti. In predicto Palatio. Presentibus testibus D. Frederico de Savorgnano, Armanno de Carnia, et aliis. D. Frater Johannes Abbas, Vicarius et sub collector confessus fuit se recepisse a D. Raynaldo de la Turre Canonico Aquil. et Camerario Marchas xx. Frixachensium novorum pro residuis decimarum Papalium sexennalis et triennalis. Marchas scilicet octo pro redditibus deputatis ad Luminaria, et Marchas xII. pro redditibus dicte Camere deputatis ad Ornamenta, et alios

usus. Super quibus residuis quietavit eundem. Et absolvit ab omnibus sententiis et processibus in quas incurrisset hac de causa. Nec non dispensavit cum eo etc. C. F. o.

N. 585.

1329 4 *Agosto, Trevigi.*
I Trivigiani chiedono il rilascio di Giovanni Plati dai Signori di Prata incarcerato.

Verci D. 1124.

Nobilibus viris Dominis Odorico et Raymundo de Prata Petrus de Verme Potestas, Antiani, Consilium, et Commune Tarvisii salutem prosperam et felicem.

Cum alias vobis scripserimus per nostras patentes litteras quod repressaleas legittime per Comune Tarvisii D. Nicolao de Clarello judice contra vestrates pro damnis et injuriis sibi illatis per Stephanum q.m Virgilii de Civitate Austrie, et omnes alias repressaleas usque ad Kalendas Octobris nuper venturi duxeramus suspendendas, cum hac conditione, ut si quas repressaleas contra nostrates haberetis, easdem modo simili super predictis suspendere deberetis, ut interim inter nos, et vos, occasione dictarum repressalearum, concordiam, quam affectamus, valeat evenire, de litteris per nos ex parte vestra' nuper receptis continentibus quod Joannem Platum ceperatis, et captum detinebatis, cum re vera nullam causam legitimam babeatis, non modicum duxi-

mus admirandum; tamen adhuc ad omnem nostram justitiam conservandam, vobis presentibus declaramus, quod dictas repressaleas dicti D. Nicolai de Clarello eidem legitime, et omnem juris ordinem observando, secundum quod nobis plenarie patet, concessas, et omnes alias quas Commune Tarvisii, vel alique alie persone singulares contra vestrates haberent usque ad Kalendas Octobris nuper venturi duximus suspendendas, hac conditione adjecta, quod si quas contra nostrates haberetis, eodem modo usque ad dictum terminum suspendere deberetis. Et si forte vos, vel alter vestrum vellet dicere, ostendere, vel aliquo alio modo enarrare dictas repressaleas injuste vel aliquo modo indebite, aut juris ordine non servato, eidem D. Nicolao fore concessas, infra dictum terminum per vos, vel nuntios vestros legitimos coram nobis comparere debeatis, parati vobis, et unicuique de dictis repressaleis conquerentibus exibere justitie complementum. Insuper nobilitatem vestram duximus attentius requirendum, ut prefatum Joannem Platum per vos illicite, nulla causa legitima procedente detentum, relaxare velitis; ad hoc ut omnis radix discordie inter vos et nos penitus attollatur; alioquin urgente officii nostri debito, unicuique in sua justitia deficere non possemus. Istas autem nostras litteras ad cautelam fecimus registrari, et nostri sigilli munimine roborari.

Data Tarvisii die IV. Augusti. XII. Indictione.

N. 586.

1329 7 *Agosto, Sacile.*

Feudo coll' obbligo di portar le lettere del Patriarca tra il Tagliamento e la Livenza accordato a Francesco di Caneva.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die vii. mensis Augusti. In Castro Sacili. Presentibus testibus nobilibus viris dominis Manfredo et Morando de Porcilleis, et aliis. Idem D. Patriarcha recepta a Jacobo filio q.m Odorlici Viti de Cilio de Canipa in sua presentia constituto, resignatione feudi ministerialis, quod idem Jacobus tenebat in Canipa, videlicet portandi litteras ipsius D. Patriarche, quando est in Sacilo, infra Tulmentum et Liquentiam, quod vendidit nuper Francisco de Canipa, eundem Franciscum flexis genibus stantem ante ipsum, et petentem humiliter investiri de illo, cum uno caputio, quod tenebat in manibus, de eodem feudo, et omnibus juribus ad ipsum spectantibus pro se, et suis heredibus investivit. Qui Franciscus juravit ipsi D. Patriarche fidelitatem, et facere fideliter id, quod ministerium, sive feudum predictum requirit. A. N. U. o.

N. 587.

1329 7 *Agosto Sacile.*
Feudo d' Abitanza nel Castello d' Aviano.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die septimo mensis Augusti. In Castro Sacili. Presentibus venerabilibus viris D. Guilelmo Decano Aquilegensi, D. Manfredo de Porcilleis, D. Johanne de Cuxano Mediolanensi, Frederico q.^m^ D. Profiliasii, Odorlico q.^m^ Marcoaldi, et Nicolao q.^m^ Dini de Aviano.

Venerabilis pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha suo nomine, et Successorum suorum, cum uno capucio, quod suis manibus tenebat, investivit Odorlicum filium Johannis de Pasqueto pro se, et Nicola fratre suo recipientem, de tertia parte, et Franciscum filium q.^m^ Benevenuti de Aviano, recipientem pro se et Belisino, et Jacobo nepotibus suis, de alia tertia parte, nec non ipsos Odorlicum et Franciscum, nomine Thomasini et presbiteri Odorlici consanguineorum suorum, de alia tertia parte habitantie, que fuit olim D. q.^m^ Belisini Avi eorundem, jacentis in Castro Aviani. Ita quod ipsi, et eorum heredes eandem habitantiam habeant et teneant, sicut superius continetur, pro sua tertia parte, ut dictus q.^m^ Belisinus eorum Avus, dum viveret habebat et tenebat, cum omnibus juribus et pertinentiis suis: Ita, quod possint, sicut alii habitatores dicti Castri edificare in eadem habitantia etiam super ipsius

Castri Murum. Pro qua investitura iidem Odorlicus, et Odolricus, et Franciscus pro se, et predictis superius nominatis, promiserunt, et ad S. Dei Evangelia juraverunt quod erunt fideles ipsi D. Patriarche, et ejus Successoribus Canonice intrantibus, et quod facient, et servabunt omnia, que Feudum habitantie predicte requirit. A. N. U. o.

N. 588.

1329 2 *Settembre Udine.*

Il Legato Pontificio ordina al Patriarca di pagargli mille duecento e trenta fiorini d' oro.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die 11. Septembris. Utini. In Patriarchali palatio. Presentibus testibus D. Johanne Ab. Rosacensi, et D. Presbitero Nicolao Plebano de Flambri Aquil. Diocesis, et aliis.

Discretus vir Arnaldus Argenti Clericus Diocesis Caturcensis, procurator, et Nuncius venerabilis viri D. Arnaldi de Fargis Archidiaconi Bilioni in Ecclesia Claramontensi, Camerarii Rev. Patris D. Bertrandi Dei gratia Ostiensis et Velletrensis Episcopi, olim titulo S. Marcelli, presbiteri Cardinalis, Apostolice Sedis Legati, deputati per eundem D. Legatum ad recipiendum procurationes sibi debitas, ratione decimi anni Legationis ipsius, ut vidi contineri publico instrumento procurationis ejusdem, scripto per Aldericum de Prata, Apostolica et Imperiali auctoritate Notarium publicum, presentavit et

dedit ven. Patri D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquileg. Patriarche quasdam ipsius patentes litteras D. Legati vero sigillo cere rubee pendenti ejusdem D. Legati sigillatas, omni prorsus suspitione carentes, que sic incipiunt: = Bertrandus miseratione divina Ostiensis et Velletrensis Episcopus Apostolice Sedis Legatus, venerabili in Christo Patri ... Dei gratia Patriarche Aquilegensi aut ... ejus Vicario, seu vices gerenti, salutem in Domino. Habentes adhuc in Legatione nobis olim tunc titulo S. Marcelli presbitero Cardinali commissa pro injunctis nobis in ea negotiis immorari, vobis qua fungimur auctoritate Legationis, districte precipimus et mandamus, quatenus M.CC.XXX. florenos auri, justi et recti ponderis, quos vobis, et clero vestro pro instanti decimo anno, ratione procurationis ejusdem Legationis nostre, juxta consuetum morem duximus imponendos, infra duorum mensium spatium, post presentationem presentium, quos vobis pro primo etc. Et finiunt = Datum Bononie II. Kalendas Augusti. Pontificatus Sanctissimi Patris D. Johannis Pape XXII. anno XIII. C. F. o.

N. 589.

1329 6 *Settembre, Udine.*
Investitura di Tobia Mercadante.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die VI. mensis Septembris. Utini, in Castro et palatio Patriarchali. Presentibus nobilibus viris D. D. Fe-

derico de Pers, et Johanne de Villalta, Magistro Condeo de Calio medico, Borella de Pergamo testibus, et aliis.

Constitutus coram Reverendo patre D. Pagano Patriarcha predicto Bertholdus notarius q.^m Belzogli de Utino, cuidam prato quinque, aut sex sectorum, quod habet ab Ecclesia Aquilegensi jure recti et legalis feudi, sito juxta Castagnarutum, per viam qua itur Lovariam, in manibus ipsius D. Patriarche pure et sponte cessit, et expresse renunciavit. Qua renunciatione facta et acceptata per D. Patriarcham predictum, ipse D. Patriarcha per se, et Successores suos, ac suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, de prato predicto D. Tobiam q.^m Mercadanti pro se, et heredibus suis recipientem, cum quodam capucio investivit, jure Aquilegensis Ecclesie semper salvo.
C. F. o.

N. 590.

1329 12 *Settembre Monfalcone.*
Corrado di Vuguhad in compenso de' suoi servizj ottiene dal P. Pagano la Gastaldia di Vipacco.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis Gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha, Dilecto Fideli Nostro Conrado dicto Vuguhad de Vipacho gratiam Nostram, et omne bonum. Gratis, et acceptis servitiis, que Nobis fideliter impendere cepisti, et continuare cum quinque Elmis armigeris promisisti usque ad finem guerre nove,

quam nuper habuimus cum Commitatu Goritie, renumerationem condignam retribuere cupientes, tibi Gastaldiam terre nostre de Vipacho a festo S. Georgii proxime venturo, usque ad annum unum continuum, et completum, cum omnibus fructibus redditibus, et proventibus ejus, et jurisdictione, ac garrito, tibi, tenore presentium, duximus concedendam. Ita quod mansos nostros, et jura que in Gastaldia ipsa habemus requirere, recuperare, defendere, et manutenere pro Nobis, et nostra Aquilegensi Ecclesia tenearis. Preterea tibi in hujusmodi nostro servitio existenti expensas pro te, et equis facere promittimus, sicut et ceteris familiaribus Nostris. Promittimus etiam, quod si treguam, vel pacem cum Comitatu predicto contingat nos facere, quod eam non faciemus, si non fueris positus in eadem. Quodque si Commitatus ex hac causa contra te, vel bona tua procederet, et dampnificatus inde fueris, resarciemus tibi dampna hujusmodi, secundum quod per dilectos nostros Asquinum de Colloreto, et Bernardum de Strassoldo fuerint extimata, remuneraturi te melius, si Nobis facultas affuerit, prout tua servitia continuata exposcent. In quorum omnium testimonium presentes fieri jussimus, et sigilli Nostri munimine roborari.

Actum in Montefalcono, Die xii. Septembris, Anno m. ccc. xxviii. C. F. o.

N. 591.

1329 15 *Settembre Gemona.*
Proroga fino al ritorno del Patriarca dall' esercito.

Giovanni q. Biaggio Not.

M. CCC. XXIX. Indictione XII. die XV. mensis Septembris. Presentibus Hermano Notario, Henrico Olei, Andrea dicto Savio, Juliano Jacomini testibus de Glemona, et aliis.

Constitutis in judicio coram D. Castilino, dicto Scana, Vicecapitaneo Glemone, D. Lappo Bombeni de Florentia ex parte una, et Antulino Beonis de Glemona ex altera: proposuit idem Antulinus dicens: Domine, verum est quod de quadam sententia lata per juratos appellavi ad Reverendum Patrem et D. D. Paganum Patriarcham, quam scribere feci, et quam habeo in judicio scriptam. Quare peto sententialiter definiri, postquam D. Patriarcha est in exercitu cum suo vexillo, et modo jus aliquod habere non possum; si appellatio dicta habere debeat tantum spatium, quantum tardatur per exercitum dicti D. Patriarche. Super quibus petitum et sententiatum extitit, quod dicta appellatio habere deberet spatium tantum, quantum dictus D. Patriarcha stabit cum suo exercitu, et dimisso exercitu, XV. dies post: salvo etc.

Actum Glemone, in foro, in domo Communis.
A. C. U. c.

N. 592.

1329 2 *Ottobre Udine.*
Il Patriarca Pagano nomina Procuratori onde venire ad un aggiustamento colla Contessa di Gorizia.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die secundo mensis Octubris, Utini, in Castro Patriarchali, in Camera D. Patriarche. Presentibus venerabilibus viris D.D. Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario, Guillelmo Decano Aquilegensi, et Nobilibus viris D.D. Francisco de la Turre Marchione Istrie, Artico de Prampergo, Hectore de Utino militibus, Federico de Savorgnano, et Magistro Eusebio de Romagnano Not. infrascripti D. Patriarche testibus.

Rev. in Christo Pater et D.D. Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquileg. Patriarcha, suo et Aquileg. Ecclesie nomine, ac pro se, suisque, et ejusdem Ecclesie fidelibus servitoribus, et subditis, fecit constituit, et ordinavit prudentes viros dominos Magistrum Odoricum, et Magistrum Franciscum notarios de Utino ibidem presentes, et mandatum hujusmodi sponte suscipientes, et unumquemque eorum in solidum, ita quod occupantis conditio, potior non sit, et quod quidquid ipsorum unus inceperit, alter prosequi valeat, et finire, suos procuratores, et nuntios speciales ad conveniendum simul cum Nunciis, procuratoribus, seu ambaxatoribus illustris domine, domine Beatricis Goritie

Comitisse, ac magnifici domini, domini Alberti Goricie, et Tirolis Comitis, et ejusdem Comitatus Capitanei generalis, et cum ipsis Ambaxatoribus, sive nunciis conferendum, et tractandum de Arbitris eligendis uno, aut pluribus, et ipsos Arbitros eligendum, et in ipsos compromittendum super dampnis, rapinis, spoliis, captionibus, et captivorum detentionibus, injuriis, gravaminibus, et offensis hinc inde illatis, et quomodocumque factis occasione guerre et discordie, que viguit, et viget inter partes predictas; nec non ad vallandum, atque firmandum compromissum hujusmodi cum juramento in animam ipsius D. Patriarche prestando, et cum omnibus aliis obligationibus, promissionibus, et penis de observando omnia et singula, que ipsi Arbitri eligendi sententiabunt, diffinient, declarabunt, et arbitrati fuerint, ac observari mandabunt. Et generaliter ad omnia alia, et singula faciendum, et procurandum, que in predictis, et circa predicta, opportuna et necessaria videbuntur, et que idem D. Patriarcha facere posset, si personaliter interesset, etiamsi mandatum exigant speciale. Promittens idem D. Patriarcha se ratum, et gratum habere perpetuo quidquid per dictos procuratores, aut eorum alterum, dictum, factum, et procuratum fuerit in premissis, sub ypoteca, et obligatione omnium suorum, et dicte Ecclesie bonorum. C. F. o.

N. 593.

1329 8 *Ottobre S. Giovanni di Manzano.*
Compromesso per un trattato di Pace col Conte di Gorizia.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die viii. mensis Octubris. In villa S. Johannis de Manzano. Presentibus venerabilibus viris dominis Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis Vicario infrascripti D. Patriarche, Francisco Custode Ecclesie Utinensis, et nobilibus viris D. Federico de Villalta Potestate, Franzono, Gramono, et Acharisio Ambaxatoribus Communis Tergesti, Jacopo de Cormono, Volveno de la Turre de Goricia, Ulvino de Canussio, Hugone D. Concii de Civitate Austria, Zambono Not. habitatore Goricie, et multis aliis.

Cum guerra, et discordia gravis viguisset, et esset inter Reverendum Patrem D. Paganum Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcham, suosque, et Ecclesie Aquilegensis servitores et subditos ex una parte, et Magnificum D. D. Albertum Goricie et Tirolis Comitem, et Comitatus Goricie Capitaneum generalem, suosque, et ipsius Comitatus servitores et subditos ex altera; volentes dicte partes, cooperantibus utriusque partis amicis, hujusmodi guerre et discordie finem imponi, et compromissum facere per procuratores et Sindicos partium predictarum: prudens vir D. Franciscus Not. de Utino, pro-

curator, et Sindicus prefati D. Patriarche, et ad infrascripta specialiter constitutus, prout constat publico Instrumento per me Gabrielem Not. infrascriptum confecto, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, ac pro ipso, et Ecclesia Aquilegensi, suisque fidelibus servitoribus et subditis ex una parte: et Nobilis vir D. Reulus de Eberstayn procurator, et sindicus D. Comitis antedicti, ad infrascripta specialiter constitutus, prout constare dicitur per publicum Instrumentum confectum per Zambonum Not. predictum, confitens ibidem se illud contraxisse procuratorio nomine ipsius D. Comitis, ac pro ipso, et Comitatu predicto, omnibusque servitoribus et subditis dicti Comitatus ex altera; commiserunt, et se compromiserunt in venerabilem virum D. Guidonem de Manzano, Decanum Ecclesie Civitatensis, et Nobilem virum dominum Articum de Prampergo militem, electos per procuratores D. Patriarche, et Nobiles viros D. Grifonem de Reutembergh, et Collonum de Ulaspergo milites, absentes tamquam presentes, tamquam in arbitros, arbitratores, et amicabiles compositores tam super guerra et discordiis antedictis, quam super dampnis, injuriis, offensionibus, spoliis, predis, rapinis, captionibus, et captivorum detentionibus, et quibuscumque aliis occasione guerre predicte hinc inde commissis, et factis. Dantes eisdem arbitris plenam et liberam potestatem componendi, arbitrandi, declarandi, interpretandi, ordinandi, pronunciandi, sententiandi, et definiendi inter partes predictas, quarum sunt procuratores et Sindici, et dictis partibus perpetuum silentium imponendo, super dictis litibus, questionibus, discordiis, controversiis, dampnis, offen-

sionibus et injuriis, ac omnibus et singulis dependentibus et connexis ab eis, communiter et divisim, principaliter et accessorie, prout ipsis quatuor concorditer placuerit, et videbitur expedire, presentibus partibus et absentibus, citatis et non citatis, stando et sedendo, in scriptis, et sine scriptis, diebus feriatis, et non feriatis, ac quomodocumque, qualitercumque, et quotiescumque voluerint usque ad proximum festum Nativitatis Domini, usque ad quod tempus tregue facte sunt inter partes predictas. Quod si prefati arbitri super predictis communiter concordari non possent, ipsi communiter eligere possint et debeant alium quintum arbitrum, qui cum eis super omnibus et singulis antedictis similem habeat potestatem. Promittentes solempniter dicti procuratores et Sindici ambarum partium, nominibus antedictis, et quilibet eorum sibi invicem, solemnibus stipulationibus intervenientibus, firmiter attendere, et inviolabiliter observare quidquid predicti quatuor arbitri communiter, aut si contingat quintum eligi, quidquid major pars ipsorum infra tempus predictum, super premissis et quolibet premissorum dixerint, preceperint, declaraverint, ordinaverint, pronunciaverint, sententiaverint, et observari mandaverint inter partes predictas, et nullo tempore contrafacere, aut venire aliqua ratione, aut causa, sub pena, et in pena trium millium marcharum denariorum Frixachensium Aquilegensis monete hinc inde solempnibus stipulationibus, nominibus supradictis promissa, que totiens committatur, et peti et exigi possit cum effectu per partem attendentem omnia et singula supradicta, pronunciata ac definita inter partes predictas a parte al-

tera non servante, quotiens per eum contra predicta fieret, aut in aliquo veniret. Et pena soluta, aut non, omnia et singula antedicta in sua nihilominus permaneant firmitate. Pro predictis autem omnibus et singulis firmiter attendendis et inviolabiliter observandis, predicti Sindici et procuratores, nominibus quibus supra, obligaverunt sibi invicem, videlicet prefatus D. Franciscus Procurator dicti D. Patriarche et Ecclesie Aquil. procuratorio nomine ipsius, obligavit predicto D. Reulo procuratori D. Comitis Alberti Capitanei predicti, et pro ipso recipienti, omnia bona ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Et e contra dictus D. Reulus procurator ipsius D. Comitis Alberti Capitanei, procuratorio nomine ipsius, obligavit ipsi D. Francisco procuratori ipsius D. Patriarche, et pro ipso recipienti, omnia bona D. Comitis et Comitatus Goricie. Renunciantes ad invicem super hiis exceptioni doli, mali, et in factum, conditioni sine causa, aut ex injusta causa, benefitio restitutionis in integrum, appellationis et supplicationis remedio, litteris impetratis, et impetrandis. Et quod non possint reduci arbitrata, sententiata, ac declarata per arbitros predictos inter partes antedictas, ad arbitrium boni viri, omnique alii auxilio, beneficio, juri canonico et civili eis, aut alteri dictarum partium competenti, aut competituro. Qui quidem Sindici, et procuratores in eorum, quorum sunt Sindici et procuratores, animas, juraverunt ad sancta Dei Evangelia ex nunc, prout ex tunc ratum, et gratum habere quidquid per ipsos arbitros, ut predictum est, dictum, declaratum, sententiatum, arbitratum, et definitum extiterit in premissis, et quolibet premissorum,

et non contra venire aliqua ratione, aut causa. Hoc tamen per dictum D. Raulum procuratorem expresse addito, quod si compromissum hujusmodi, et ea que ordinabuntur et sententiabuntur per arbitros antedictos, placebunt D. Duci Karintie procedant, et aliter non. C. F. o.

N. 594.

1329 *9 Ottobre Udine.*

Giovanni di Villalta e Federico di Savorgnano giuran di adoperarsi perchè sia osservata la Tregua.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die nono predicti mensis, Utini, super Sala minori Castri Patriarchalis. Presentibus Dominis Abbate Vicario, Hectore milite de Utino, et Johanne de Cucania.

Coram D. Patriarcha predicto Nobiles viri Domini Johannes de Villalta, et Federicus de Sevorgnano juraverunt ad sancta Dei Evangelia, prout in Montefalcono alii juraverant, de dando opera, juxta eorum posse, quod tregue servabuntur inter ipsum D. Patriarcham et Comitatum Goritie, subiiciendi se eisdem penis cum aliis. C. F. o.

N. 595.

1329 21 *Ottobre Udine.*
Nuova Chiesa parrocchiale eretta in Aviano.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XXI. Octubris. Utini, in Patriarchali palatio. Presentibus testibus ven. viris Dominis Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et Petro Mora Rectore Ecclesie S. Marie de Turri, Vicariis infrascripti D. Patriarche, D. Johanne de Cuxano Gastaldione Aviani, D. Frederico q.m D. Bertolasii, et Nicolao q.m Dini de Aviano, Aymerico de la Turre domicello dicti D. Patriarche, et aliis.

Constitutus in presentia ven. patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, Martinutius de Aviano, Camerarius Ecclesie et Communis Aviani, suo nomine, et ejusdem Communis, humiliter eidem exposuit, quod homines ipsius Terre Aviani ad honorem Dei, B. Marie Virginis matris ejus, et omnium Sanctorum, zelo fidei Christiane accensi, quandam Ecclesiam apud Castrum ejusdem loci, sub vocabulo B. Juliane Virginis noviter construxerunt, pro eo quod antiqua Ecclesia ipsius loci, que est posita in Castro, propter ipsius structuram, ad sepulturam corporum defunctorum, et ad alia necessaria populo non est capax. Unde cum ipse, nomine quo supra, paratus sit offerre eidem D. Patriarche infrascriptos mansos terre, quos infrascripti ho-

mines dant ipsi Ecclesie in dotem ex nunc, et ad substentationem presbiteri instituendi in ea, devote supplicabat, ut idem D. Patriarcha deberet oblationem ipsam recipere, et eidem Ecclesie assignare in dotem, ac ipsam Ecclesiam cum predicta antiqua unire, ita quod habeat Cimiterium, et Parrochialis existat Communis et hominum predictorum. Qui D. Patriarcha ejusdem Martinutii Camerarii, imo totius populi dicte Terre sue Aviani supplicationibus inclinatus, eorumque pium laudans opus ac propositum, mansos predictos sibi per Camerarium ipsum oblatos, recepit; ipsosque prefate Ecclesie S. Juliane, quam esse decernit unum corpus cum Ecclesia jam dicta antiqua, in dotem suam, et instituende in eisdem persone in substentationem assignavit, deputavit, et perpetuo confirmavit. Statuens, ac decernens, quod Ecclesia ipsa, sive Ecclesie simul unite, de cetero proprium habeant rectorem, presentandum, quoties tempus ingruerit, per Commune, et homines Aviani intra confinum existentes, ipsi D. Patriarche et Successoribus suis, et per eum, aut ejus Successores instituendum in eis. Quodque Ecclesia S. Juliane parrochialis existat, et Cimiterium habeat ad sepulturas omnium dicte Terre: sibique in dotem suam, ejusque rectoris substentationem dictos mansos assignavit, deputavit, et perpetuo confirmavit. Et ut ex nunc ordinatio jam dicta debitum incipiat effectum habere, idem D. Patriarcha presbiterum Franciscum q.m Henrici de Urzago, ibi per jamdictum Martinutium Camerarium, suo nomine, et predictorum Communis et hominum presentatum, sibi in rectorem ejusdem Ecclesie, sive Ecclesiarum instituit; ipsumque

per biretum suum investivit presentialiter de ipsis, et omnibus juribus spiritualibus et temporalibus spectantibus ad easdem. Campi vero predicti sunt hii.

In primis unus campus D. Frederici de Cantono, jacens prope Artugnam, cui coheret a mane, et meridie Artugna, a sero terra D. Petri q.m D. Armanni.

Item tres campi D. Nicolai de ser Dino, quorum unus, jacet sub Villota, et coheret ei terra Benevenuti de Portu Naonis, recta per Guiliardum, planta Dominici Johannis Capre, et via publica. Alii duo jacent ad Collem Viladolti, prope Collisellos, quibus coheret terra Ecclesie S. Marie de Dardaco, Communia, et terra Indriti q.m Meinardine.

Item unus campus Petri de Marcho jacens sub Baromajoro, cui sunt fines terra Vendrani q.m Ropreti de Dardaco, terra Perussii q.m Ardemani, et planta Dominici de Dardaco.

Item unus campus Thomasii de Giudolino jacens in strata Sacilana, cui coheret terra D. Nicolai, ipsa strata, et terra q.m Martini de Villotta.

Item unus campus Laurentii de Flore, jacens in Marsuris prope collem S. Laurentii, cui sunt fines a mane, meridie, et sero vie publice.

Item Campi duo Margarite Sclave planctati vitibus et arboribus, jacentes ultra Artugnam; quibus coherent a mane, et meridie vie publice, a monte terra Viniani dicti Galli de Aviano. C. F. o.

N. 596.

1329 22 *Ottobre Udine.*
Varie proposte fatte dal Patriarca al Parlamento, e nomina de' nuovi Consiglieri onde deliberare intorno alle medesime.

Gabriele da Cremona Can. P.

Millesimo cccxxviiii. Indict. xii. die xxii. Octobris. Infrascripta facta sunt in generali Colloquio celebrato Utini, in quo interfuerunt infrascripte notabiles persone:

D. Decanus Aquilegensis.
D. Abbas Sextensis.
D. Abbas Rosacensis.
D. Abbas Bellunensis.
D. Decanus Civitatensis.
D. Prepositus Sancti Odorici.
D. Prepositus Carnee.
D. Odoricus miles)
D. Gerardus ejus filius)
D. Simon ejus filius)
D. Rizzardus) De Cucanea.
D. Tomasuttus)
D. Johannes)
D. Articus)
D. Federicus) de Prampergo.
D. Hector miles de Savorgnano.

D. Biaquinus de Momigliano.
D. Gabriel de Prata.
D. Joannes de Pulcinico.
D. Joannes) de Villalta.
D. Odoricus)
D. Bernardus D. Hendricus. D. Ossalcus de Strassoldo.
D. Bernardus de Colloreto.
D. Duringussius de Mels.
D. Federicus, D. Meynardus Fratres de Murutio.
D. Rizzardus, D. Franciscus de Tercano.
D. Squarzuttus, D. Franciscus de Manzano.
D. Federicus de Pers.
D. Mussatus de Cauriaco.
D. Odoricus de Budrio.
D. Coccettinus de Monteregali.
D. Ainzuttus de Flagonia.
D. Conradus de Brazzaco.
D. Anfossius de la Turre.
D. Panceria della Turre Capit. Montis Falconis.
D. Mag. Joannes medicus.
Mapheus Notarius de Aquil.
Saginus de Parma Gastaldio.
Guillelmus Magistri Gualteri.
D. Odoricus.
D. Franciscus de Utino Notarius.
Pucinus.
Joseph de Glemona, et alii plures.

Exposita primo ambaxata ex parte Ducis Venetiarum per Nob: virum Dominum Joannem Marini Geor-

gii de Venetiis, et ambaxatorem, super certo subsidio Bladi quod petebat amicabiliter, et de gratia, causis pluribus, et rationibus assignatis: D. noster Dominus Patriarcha replicans petitionem predictam requisivit omnes de Colloquio; et consideratis diligenter et provide omnibus tam que presentialiter occurrunt, quam que occurrere possent in futurum, viderent, et consulerent quid esset melius, et utilius super petitione dicti Bladi, et quidquid respondendum esset: addens ipse Dominus Patriarcha verbis suis, quod requisitus erat super tractatu concordii fiendi cum Dom: Com: et Comitatu Goritie, super quo scire volebat voluntatem eorum, utrum placeret eis quod tractatus procederet, vel quid consulebant: et quod quia D. Palia de Varmo quasdam Ballas acceperat cuidam mercatori, quas nolebat restituere, licet sibi Dominus Patriarcha mandasset, videretur quid agendum super hoc, et super aliis derobationibus, que fiunt. Et tunc finitis verbis Domini Patriarche, surrexit Dominus Ambaxator Communis et hominum de Trigesto, et similem petitionem fecit de Blado pro dicto Communi.

Quesito igitur more solito a singulis de Colloquio, consultum et obtentum fuit, quod novi Consiliarii fiant, et quod Dominus Patriarcha illos habeat, et retineat penes se, et plures si sibi, et dictis Consiliariis videbitur, qui videant, et faciant super predictis quod pro meliori sit pro honore D. Patriarche, et Aquil. Ecclesie, et servitorum suorum, et pro bono statu totius terre; et facti fuerunt Consiliarii infrascripti, qui quidquid fecerint, totius Colloquii vigorem haberet;

D. Abbas Rosacensis.
D. Decanus Civitatensis.
D. Jo. de Villalta.
D. Bernardus de Strassoldo.
D. Articus de Prampergo.
D. Federicus de Pers.
D. Federicus Piccolus de Mels.
D. Franciscus de Tercano.
D. Joannes de Cucanea.
D. Nicholaus de Castello.
D. Odoricus de Budrio.
D. Squarzuttus de Manzano.
D. Hector pro Com: Utino.
D. Mag. Jo. Medicus pro Com: Aquil.
D. Hermannus not. pro Com. Glemone.
D. Guillelmus mag. Gualteri pro Com. Civitatensi.

Qui omnes post sacramentum solitum eis datum, remanserunt in sala cum D. Patriarcha, et quid fecerint scire debet Gubertinus Not. qui remansit ibidem. C. F. o.

N. 597.

1329 23 *Ottobre Udine.*

Certificato di buona e retta amministrazione accordato al Canonico Melioranza Collettore pel Cardinale Legato.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XXIII. mensis Octubris. In dicto Palatio Patriarchali Utini. Presentibus testibus D. Odorlico nota-

rio de Utino, Angelo Pellizario de Modoetia Clerico, et Micholo q.m Cozonelli de S. Daniele.

Ven. vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis, Vicarius Rev. Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, confessus fuit, et publice recognovit, quod pridie audiri fecit, et fieri per discretum et religiosum virum fratrem Bernardum Monachum Monasterii Clarevallis Mediolanensis Diocesis, dicti D. Patriarche familiarem Capellanum, a discreto viro D. Meliorantia Canonico Utinensi, cui idem D. Vicarius, existente prefato D. Patriarcha in partibus Lombardie, commiserat colligendam Collectam, sive pecuniam procurationis impositam Clero Civitatis et Diocesis Aquilegensis per ven. patrem D. Bertrandum, tunc Dei gratia Sanctorum Marcellini et Petri presbiterum Cardinalem, et nunc Episcopum Ostiensem et Velletrensem, Apostolice Sedis Legatum, pro quarto, quinto, sexto, et septimo annis Legationis ipsius, distinctam et calculatam rationem receptorum, et assignatorum de predicta Collecta, in predictis quatuor annis. Quodque idem D. Meliorantia, prout retulit ipsi D. Vicario prefatus frater Bernardus, assignavit omne id quod receperat de predicta Collecta, sive Collectis predictorum annorum fideliter, et integre: computatis in assignatione ipsa expensis nuntiorum, notariorum, et aliorum sine quibus eadem pecunia colligi, et haberi non potuit, et computatis cambiis et laciis. Unde idem D. Vicarius quietavit dictum dominum Meliorantiam presentem et recipientem, et absolvit a ratione predicta ulterius facienda, et ab omni eo quod, ratione ipsius, petere nomine jam dicti D. Legati valeret. Affir-

mans quod idem D. Meliorantia fideliter egit in predicta commissione sibi facta, et quidquid ad manus ejus pervenit, integraliter assignavit. A. N. U. o.

N. 598.

1329 29 *Ottobre.*
Beni dati in pegno dal Patriarca ad Ettore di Savorgnano.

dall' Inventario di Odorico Susanna.

D. Paganus Patriarcha pignoravit D. Hectori de Savorgnano bona in Cerneu de subter et supra Tupanam, Darsinichum, et alia bona, pro trecentis Marchis pro argenti necessitate solvendi subditis suis, qui eo anno in Histria et Montefalcone militaverunt in guerra contra D. Comitem Goritie. Manu Gubertini Notarii.

N. 599.

1329 31 *Ottobre Cividale.*
Feudi dei Signori di Spilimbergo in Monte maggiore, Roda etc.

Benvenuto q.[m] *Corrado Not.*

Die ultimo exeunte Octubri. In Civitate Austria, sub domo Communis. Presentibus Valentino q.[m] Leonardi Valantini de Civitate. Natto olim D. Odorlici

Longi de Civitate, Bertolotto Notario Civitatis, Galengano q.m Odorlici Siuridi de Civitate, Niculussio q.m Arnoldi de Civitate testibus, et aliis.

Coram discreto viro Adhenrico de Civitate, vices D. Sagini Castaldionis Civitatis gerente, sedente in judicio, D. Wolframus de Zuchula testis productus per Nicolaum ejus filium procuratorem D. Bertholomei de Spegnimbergo, prout die quinto exeunte Octobri superius continetur, super eo quod probare intendit, et fidem facere, quod bona, que fuerunt in Monte majori, et monte de Rueda, ac mansus ville de Darnacho, et in canali Judrii, in Sapothoc, et in monte de Luch sunt rectum et legale feudum Dominorum Preyogne et Bartholomei de Spegnimbergo, et antiquitus eorum predecessorum, videlicet q.m D. Johannis de Zuchula eorum Avi, et filiorum quibus successive succedunt, et quod q.m D. Bernardus filius q.m prefati D. Johannis, q.m prefatum Viridandum de predictis bonis, jure recti et legalis feudi libere investivit. Juratus et interrogatus per me Benevenutum Notarium super hiis, remotis odio, pretio, prece, amore, et timore, suo Sacramento dixit: quod scit, quod dicta bona erant rectum et legale feudum q.m D. Johannis de Zuchula, et scit quod idem D. Johannes dum viveret, eidem Viridando dicta bona abstulit. Sed mortuo dicto D. Johanne ante annum completum, cum dictus Viridandus accessisset ad dictum Bernardum de Zuchula, et ipsum precibus suis rogasset, ut eum de dictis feudis et bonis superius dictis, jure feudi deberet investire in Zuchula; idem D. Bernardus pre-

cibus dicti Viridandi, et amicorum, eundem Viridandum, jure recti et legalis feudi, de bonis predictis, manu propria, libere investivit, recepto ab eodem fidelitatis debite Sacramentum, prout vassallus suo Domino facere consuevit. A. N. U. o.

N. 600.

1329 5 *Novembre Cividale.*
Incanto dei Dazj in Cividale.

Anonimo Not.

M.CCC.XXIX. Indictione XII. die V. intrante Novembri.

Venditum fuit Datium vini novi de Terra Civitatis per Cergnam Preconem, pro marchis CC.LXXIII. Johanni Ribissino.

Item Datium novum Macelli per Benedictum preconem, pro marchis LXXX. Henrico q.m Petri Fondani.

Item Datium novum stationum per Marinum Preconem, pro marchis LV. Marcho de Clugia.

Die nono intrante Novembri.

Item Datium novum vini Villarum per Mathiussium preconem, pro marchis XXII. et denario uno Pidrussino q.m Lupoldi.

Item Dacium X. denariorum de vino forensi et Istrie, per Mathiussium preconem, pro marchis X. et media Johanni Ribissino. A. N. U. o.

N. 601.

1329 24 *Novembre, S. Pietro, Offizio del Tabellionato.*

Benevenuto q.m Corrado Not.

Die xxiv. intrante Novembri. In Burgo S. Petri, in domo Principis Hosterij. Presentibus ipso Principe, magistro Balisio Cirolago Civitatensi, Hendrico filio Hendree de Zina, Guillielmo filio olim Vilani de Romanza commorante in burgo S. Petri, Zambello Menelotii de Mediolano commorante cum D. Patriarcha Pagano, Manfredino de la Turre de Mediolano testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis, et rogatis.

Nos Guido Dei gratia Comes Palatinus filius q.m Nobilis viri D. Guidioli Comitis de Lomello, districtus Papie, per presentes notum facimus universis imperii Romani fidelibus, tam presentibus, quam futuris; quod nos confidentes de fide, atque prudentia Mauri olim Malfatti de Torgiano, nunc Civitate Austria, Aquilegensis Diocesis, qui corporaliter ad sancta Dei Evangelia nobis juravit facere instruere filium suum Jacobum litteraliter, ut scientiam, aut artem, et officium Tabellionatus possit per totum Romanum Imperium legaliter exercere, auctoritate nobis, nostrisque predecessoribus ab Imperiali majestate concessa, prout in nostris Privilegiis continetur, Jacobum filium prefati Mauri, de arte, et

officio Notarie cum penna et pugillari investimus, publicum Tabellionem, et Notarium constituentes eundem, licet minorem duodecim annorum, sed majorem septem annorum; receptis tamen prius ab eo, vice et nomine excellentissimi Ludovici Imperatoris juramento, ac promissione; qui juravit, et promisit nunquam esse contrarius Romano Imperio, neque nobis; et si sentiet, aut audiet aliquod propter quod possemus, aut deberemus perdere vitam, vel membrum, nobis, statim quam potuerit, manifestabit. Cartam, aut scriptum aliquod ad officium Notarie pertinens, nunquam falsum faciet. Cartam, testamentum autenticum, et omnia que autenticari debebunt, non autenticabit in cartis abrasis bombicis, aut papiri: Contractus vero, Acta, Cartas, Testamenta, Donationes, Protocolla, et omnia, que ad artem et Officium spectant, cum nomine suo et signo, manu propria scribet, et autenticabit. Dicta quoque testium bona fide, sine fraude scribet, et recipiet. Scripta vero, et omnia que sibi in credentia relata fuerint, ad artem et officium Notarie spectantia, private tenebit, donec publice ab aliis fuerint divulgata. Rationes autem, seu jura Ecclesiarum, Hospitalium, viduarum, Orphanorum, et pupillorum bona fide manutenebit. Preterea quod dictus Jacobus nullum Ordinem sacrum habeat, neque ulli loco religioso existat dedicatus, et quod existat liber homo; et generaliter omnia alia que ad ipsam artem Notarie spectant, fidelitatis et Officii consuetudinem fideliter et integraliter facere, et observare jurabit. Concessimus siquidem eidem Jacobo liberam potestatem et arbitrium, ut per totum Imperium Romanum officium Tabellionatus et Notarie libere

valeat exercere. Jubemus igitur quod nullus sit qui ipsum, Jacobum de dicto offitio, neque de hiis, que ad dictum Officium spectant, temerarie impedire, seu molestare presumat: quod qui presumpserit, Imperialem indignationem se noscat firmiter incursurum. In cujus rei testimonium, et perpetuam firmitatem presens scriptum sibi fieri, nostrique sigilli munimine, et manu publica jussimus roborari. Actum etc. A. N. U. o.

N. 602.

1329 5 *Decembre Bologna.*
Riserva dei Benefizj vacanti.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Bertrandus Miseratione divina Ostiensis, ac Veletrensis Episcopus, Apostolice Sedis Legatus Venerabili in Christo Patri ..... Dei gratia Patriarche Aquilegensi, salutem in Domino. Cum Sanctissimus Pater, et Dominus noster Dominus Joannes Divina providentia Papa XXII litteras prorogationis Reservationis Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum Provincie vestre nobis nuper duxerit destinandas; Paternitati vestre tenore presentium committimus et mandamus, quatenus predictas litteras, quarum tenor inferius annotatur, faciatis per dictam provinciam in locis, de quibus expedire videritis, omnibus publicari. Tenor autem predictarum talis est.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei ad fu-

turam rei memoriam. Circa statum partium Italie salubriter, auctore Domino, dirigendum convertentes dudum studia nostre mentis, et cupientes ut in Ecclesiis partium earumdem Cathedralibus, et Collegiatis, secularibus et Regularibus, tales per Apostolice Sedis providentiam circumspectam Prelati preficerentur et Rectores, qui nobis et Sancte Sedi predicte fideles existerent et devoti, ac scirent et possent eisdem preesse utiliter Ecclesiis et prodesse; his et aliis certis causis rationabilibus, que ad hoc nostrum animum induxerunt, omnes et singulas Cathedrales, et Collegiatas Ecclesias Civitatis et Diocesis ac Provincie Aquilegensis, per biennium prorogando successive usque ad instantes Kalendas Aprilis de biennio in biennium per diversas nostras litteras inde confectas provisioni nostre, et ejusdem Sedis auctoritate Apostolica duximus reservandas; districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos provisio, electio, postulatio, seu qnevis alia dispositio Ecclesiarum psarum alias pertinebat, ne ad provisionem, electionem, postulationem, vel aliam predictarum Ecclesiarum dispositionem procederent quoquo modo. Ac decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et insuper volumus et decrevimus per litteras novissime reservationis, et prorogationis hujusmodi, reservationem eandem ad Seculares et Regulares tam Cathedrales, quam Abbatiales, et alias quascumque Collegiatas preterquam Monialium et aliarum Mulierum Religiosarum Ecclesias, exemptas, et non exemptas, dictarum Civitatum et Diocesis et Provincie,

quibusdam declarationibus alias factis super hoc non obstantibus extendendam. Cum autem terminus ultime Reservationis per nos facte instare noscitur, nos eisdem moti considerationibus et inducti, Reservationem, inhibitionem voluntatem, et decretum predicta, usque ad duos annos ab eisdem Kalendis Aprilis proximi instantis, auctoritate Apostolica tenore presentium, modo et forma expressis superius, extendimus, ac etiam prorogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre extensionis et prorogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno XIII. Datum Bononie Nonis Decembris, Pontificatus ejus Domini Johannis Pape XXII anno XIIII.

N. 603.

1329 6 *Decembre.*

Sussidio accordato dal Sinodo al Patriarca.

Eusebio da Romagnano Can. N.

M. CCC. XXVIIII. Die Mercurij VI. Decembris.

In Synodo facta in festo Beati Nicolai, omnium concordia promissum fuit subsidium Domino Patriarche M. CC. XXX. Florenorum, quantum ascendit summa provisio-

nis annue Domini Legati, solvendum usque ad primam Dominicam future Quadragesime.

Item electi fuerunt ad novam extimationem faciendam redituum Cleri inferioris pro Capitulo Aquilegense, Dominus Raynaldus de Laturre, pro Capitulo Civitatensi, Dominus Guido Decanus Civitatensis, pro Religiosis, Dominus Vicarius Abbas Rosacensis, et pro Plebanis, et alio Clero Dominus Meliorancia Canonicus Utinensis.

Item fuit data potestas infrascriptis, ut possint esse cum Domino Patriarcha, et deliberare nomine totius Cleri, si quid addendum est Constitutionibus Synodalibus, et alia faciendi, et ordinandi, ac si totus Clerus adesset pro reformatione, et bono statu Ecclesiarum, Cleri, et Populi. C. F. o.

N. 604.

1329 9 *Dicembre Gemona.*
Incanto del macello di Gemona.

Francesco Sibelli Not.

Die nono intrante Decembri. Presentibus Ottolino de Portis, Flumiano q.m Michaelis, Francisco Medico, et aliis.

Migliurinus Preco Communis Glemone ad instantiam D. Federici Capitanei Glemone pro censibus non solutis pro D. Patriarcha Ecclesie Aquilegensis preconizzavit Macellum Vitalis filii Mathiussii Cucignini de Glemona dicens, ipsum macellum proclamasse, secundum Sta-

tutum Communis Glemone, et rationabiliter deliberavit Simunino q.m Biachini pro novem solidis Venetorum grossorum et uno grosso.

Actum Glemone, in foro prope lozam Communis. A. N. U. o.

N. 605.

1330 5 *Gennajo Aquileja.*
Formalità de' giudizj in Friuli.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Sanctissimo Patri et Domino Rev. D. Johanni divina Providentia Sacrosante Romane Ecclesie Summo Pontifici, Paganus Patriarcha Aquilegensis cum devotissima recommendatione, obedientie et reverentie debitum, et pedum oscula beatorum.

Pro instructione Clementie vestre in facto appellationis interposite ab Episcopo Tergestino, quam ad cautelam mitto presentibus interclusam, cognoscat vestra benignitas, quod adversarii dicti Episcopi comparuerunt coram me super prosecutione cujusdam appellationis alias interjecte per eos ad Generale Colloquium, secundum morem Patrie; et cum ad eorum instantiam citari fecerimus dictum Episcopum, ipse in die termini, adversariis suis comparentibus, et in causa procedi instanter petentibus, non comparuit, licet Vicarium suum ad judicium trasmiserit, qui, prout a fide dignis accepi, sufficiens habebat mandatum a dicto Episcopo. Et quia puta-

bam quod ipse Vicarius comparuisset legitime ad defensionem Episcopi, eo quod in judicio continue suam exibebat presentiam, miratus non modice, et stupore motus ipsum sollicitavi pluries et induxi, ut Dominum suum defenderet; sed demum nil profuerunt monita et exortationes, quia licet se presentem in omnibus exibuerit, Dominum suum tamen, nescimus quo instinctu, obstinato animo defendere recusavit. Quare contigit quod, instantibus adversariis dicti Episcopi, necessario habui procedere, et, facta relatione nuncii qui eum citaverat coram Paribus Curie, quos ob hoc conveneram in unum, et premissa querimonia dictorum, queri feci a Paribus, quid juris? Per quos, secundum legem consuetudinis Curie, et formam Patrie, late fuerunt quedam sententie, quales in contumaces ferri consuevit. Et novit Deus quod non modicum me in stuporem adduxit obmutescentia Vicarii supradicti, et in quantum valui, favere et supportare curavi, salva debita honestate justitie, Episcopum Tergestinum. Et hec omnia facta fuerunt die Lune xviii. mensis Decembris, Indictione xii. in Palatio Patriarchali de Utino. Die autem Jovis xxvii. ejusdem mensis, in Aquilegia comparuit coram me procurator dicti Episcopi interponens appellationem interclusam presentibus, et quia expedire putavi, ut pro instructione facti aliqua Sanctitati vestre describere, et maxime de consuetudinibus Aquilegensis Ecclesie, infrascripta submisi. Habet equidem Ecclesie Aquilegensis et Patrie consuetudo in temporalibus causis, ut a sententia lata coram Patriarcha, ad Colloquium appelletur; ita quod aliter appellatio non recipitur interjecta. Habet etiam Ecclesie Aquilegensis et

Patrie consuetudo, ut in temporalibus a Colloquio ad Imperium appelletur, a quo Ecclesia temporalia obtinet. Quod tamen non credo habere locum nunc, vacante Imperio. Sed si non vacaret, forte haberet locum in presenti causa, que Feudalis existit. Habet etiam Ecclesie Aquilegensis et Patrie consuetudo, ut in temporalibus causis a sententia statim absque intervallo aliquo appelletur: adeo quod aliter interjecta appellatio non recipitur. Presens vero appellatio nedum statim sine intervallo interjecta videtur, immo nec intra decemdium. Premisse enim consuetudines, Clemens Pater, inveterate sunt, et in legem apud incolas deducte, quod videre non possum qualiter possent inverti, aut quomodolibet mutari. Item me movet et vertit in dubium, quod cum sententie non a me, cujus est officium a circumstantibus Paribus tantum querere, nihilque in sententiis ore depromere, qualiter a me, qui nil pertuli quod sententiam saperet, et non a dictis Paribus, Episcopus duxerit appellandum. Super hoc tamen Sanctitas vestra dijudicet, ac decernat quid me facturum fore discutiat, qui humilitatis cervicem Clementie semper vestre jugo subjectam detinens, promptus sum et vigil ad quecumque mandata. Datum Aquilegie, die quinta Januarii, anno Domini M. CCC. XXIX. Indictione XIII. A. C. U. C.

N. 606.

1330 15 *Gennajo Aquileja.*
Feudo d' Abitanza in Monfalcone concesso, dal Patriarca a Corrado di Varmignano.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xv. mensis Januarii, Aquilegie. In palatio Patriarchali et Camera D. Patriarche infrascripti. Presentibus venerabilibus viris D. D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicariis D. Patriarche infrascripti, Guilielmo Decano, Raynaldo de la Turre Thesaurario Aquilegensi, ac nobilibus viris D. Adoardo de la Turre, et Castono dicto Panceria de la Turre Capitaneo Montisfalconis testibus vocatis et rogatis.

Vacante quadam habitantia in Montefalcone, quam olim habuit et possedit D. Walterius de Varmignano, qui nullo herede relicto masculo neque femina, diem nuper clausit extremum: Reverendus in Christo pater D. Pagnus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha volens sibi et Ecclesie sue utilem servitorem, et fidelem habitatorem acquirere, ac discretum virum Conradum filium naturalem q.m Alberti de Varmignano predicti commorantem in Montefalcone propter devotionem quam semper habuit et habet ad ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem favore prosequi gratioso, prefatam habitantiam et feudum habitantie prefato Conrado pro se, suisque heredibus recipienti tam masculis quam fe-

minis ab eo descendentibus, suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, ac per se, et Successores suos libere concessit et dedit, ipsumque Conradum ibidem presentem de habitantia et feudo habitantie predicte, cum omnibus bonis, mansis, et juribus ad ipsam spectantibus cum quodam capuccio investivit, jure Aquilegensis Ecclesie et cujuscumque persone semper salvo. Bona autem ad prefatam habitantiam pertinentia sunt ista. In primis unus mansus situs in villa de Govith qui regitur et colitur per Matheum et per heredes q.m Selchi. Item unus mansus situs in subtus Carsibus, qui regitur et colitur per heredes q.m Selchi. Item unum pratum situm juxta fornacem de Montefalcono. Item sex campi siti juxta fornacem predictam, qui fuerunt de mansis de Villanova, quos campos dictus Conradus hucusque in sua custodia habuit et tenuit. Qua quidam investitura facta, idem Conradus solite fidelitatis debitum corporaliter juravit, et prestitit quod, et sicut habitator fidelis et bonus Domino suo prestare tenetur, et debet. C. F. o.

N. 607.

1330 3 *Febrajo Udine.*
Rinunzia dell' eredità paterna.

Anonimo Not.

Anno Domini M.CCC.XXX. Indic. XIII die III mensis Februarii, super cimiterio majoris Ecclesie Utini. Presentibus Nicolussio filio Leonardi calcificis dicto Bocamata, magi-

stro Jacobo Fornasario q.^m Gambelonge, Martino Not. .... muratore, Tosono Pellipario omnibus de Utino, Nicolao de villa Poscolle de Utino, qui fuit de Pasilliano de Prato, Johanne calcifice de dicto Postcolle testibus, et aliis.

Antonius et Mathiussius fratres, et Vuirussa, et Mussa sorores, ipsorum filii et filie q.^m Simonis de Postcolle de Utino pro se, et Laurentio, et Pinzano, et Pidruccio eorum fratribus, et Michaele renuntiaverunt hereditati dicti q.^m Simonis, eorum patris ibidem immediate super sepultura, ipso sepulto, pro eo quod multa debita habeat, considerantes quod eis erat utile. A. C. U. c.

N. 608.

1330 13 *Febbrajo.*
Estimo delle Prebende e Benefizj del Patriarcato.

Gabriele da Cremona Not.

Anno Domini millesimo Trecentesimo Tricesimo, Indictione Tertiadecima, die Tertiodecimo mensis Februarij.

Hee sunt extimationes nove facte tempore Reverendi Patris Domini Pagani Dei gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarche per Ven. Viros Dominos Fratrem Johannem Abbatem Rosacensem Vicarium ipsius Domini Patriarche, Guidonem de Manzano Decanum Civitatensem, Raynaldum Delaturre Thesaurarium Aquilegensem, et Meliorantiam de Tyenis Canonicum Utinensem et Plebanum Variani, Extima-

tores ad hoc per ipsum Dominum Patriarcham. et ejus Synodum deputatos.

Capitulum Aquilegense	.	.	marc. D
Abbatia, et Monasterium Belunense		.	marc. CXXX
Prepositus cum Capitulo S Felicis		.	marc. LXXX
Abbatissa, et Monasterium Aquilegense			marc. CCCL
Prepositus S. Stephani Aquilegensis		.	marc. CXXX
Camerarius Aquilegensis	.	.	marc. XL
Prebendarii Aquilegenses	.	.	marc. XII
Capella S. Andree Aquilegensis	.	.	marc. I
Capitulum Civitatense	.	.	marc. CCCL
Abbatia, et Monasterium Rosacense		.	marc. CCC
Abbatia, et Monasterium Mosacense		.	marc. CCX
Abbatia, et Monasterium Sextense		.	marc. CLXXX
Abbatissa, et Monasterium Civitatense			marc. LXX
Prepositus cum Capitulo Carnie		.	marc. LX
Prepositus, et Capitulum S. Odorici supra Tulmentum	. .	.	marc. LXXX
Custos cum Capitulo Utinensi		.	marc. XLV
Vicarius in Castro Utinensi	.	.	marc. X
Archidiaconus Aquilegensis	.	.	marc. LXX
Plebes Glemone	. .	.	marc. XLV
Plebes Artenee	. .	.	marc. XVI
Plebes Forgarie	. .	.	marc. VI
Plebes Buje	. .	.	marc. XVIII
Plebes Ragonie	. .	.	marc. X
Plebes Sancti Danielis	.	.	marc. XXVIII
Plebes Murucii	. .	.	marc. XII
Plebes Tricesimi	. .	.	marc. XL

Plebes Tercenti	. . .	marc. VIII
Plebes de Nimis	. . .	marc. VIII
Plebes Quadrubii	. . .	marc. L
Plebes de Flambri	. . .	marc. XXVIII
Plebes Montegnani	. . .	marc. XL
Plebes Lavargnani	. . .	marc. XXX
Plebes Trivignani	. . .	marc. XXX
Plebes Palazoli	. . .	marc. XLII
Plebes Variani	. . .	marc. XXXII
Plebes Porpeti	. . .	marc. XX
Plebes Cormoni	. . .	marc. XIIII
Plebes Agelli	. . .	marc. XXV
Plebes Versie	. . .	marc. VIIII
Plebes Mosse	. . .	marc. VI
Plebes de Lucinico	. . .	marc. VII
Plebes Selchani	. . .	marc. XXXV
Plebes de Comin.	. . .	marc. XVI
Plebes de Orembergh	. . .	marc. VI
Plebes de Merin	. . .	marc. V
Plebes S. Petri ultra Isoncium	.	marc. X
Plebes S. Canciani	. . .	marc. IIII
Plebes Campi Marcii	. . .	marc. VIII
Plebes Sacili	. . .	marc. XXX
Plebes Sancti Cassiani	. . .	mar. XX
Plebes Sancti Pauli	. . .	marc. XX
Plebes Canipe	. . .	marc. X
Plebes Medune	. . .	marc. IIII
Plebes de Castro Rigincedo	. .	marc. X
Plebes de Mungin	. . .	marc. VIII

In Carnia.

Plebes Enemuncii	. . .	marc. x
Plebes Furni	. . .	marc. IIII
Plebes Soclevi	. . .	marc. VIII
Plebes Ivilini	. . .	marc. IIII
Plebes de Verzengis	. . .	marc. VIII
Plebes de Legio	. . .	marc. VIII
Archidiaconatus Carnie	. .	marc. x

In Cadubrio.

Archidiaconatus Cadubrii	. .	marc. x
Capella Sancti Petri seu Jacobi	.	marc. XIII
Capella Sancti Marthini	. .	marc. XI
Capella de Comelich	. . . .	marc. v
Capella Sancti Martini de Valle	.	marc. x
Capella Sancti Viti	. . . .	marc. XIII
Capella Sancte Marie	. . .	marc. XIII
Capella Sancti Stephani	. .	marc. XIII

Exempti.

Hospitale Glemone	. . .	marc. XL
Hospitale de Susans	. . .	marc. XXIIII
Hospitale de Volta	. . .	marc. XXIIII
Hospitale de Prisinico	. .	marc. XXV

Hospitale Sancti Egidii . . marc. x
Hospitale Sancti Nicolai de Levata . marc. xx

Summa totius extimationis predicte est marc. MMDCCXII. Et sic dando unicuique Sol. x et pic. j, et medium pro qualibet marcha, haberetur summa procurationis Domini Legati; Remanente Domino Patriarcha in statu suo. C. F. o.

N. 609.

1330 13 *Febrajo Cividale.*
Licenza di fondare e dotare una Capella accordata dal Capitolo di Cividale ai Signori di Colloredo.

Giacomo Benedetti di Treviso Not.

Nos Philipponus Prepositus, et Guido Decanus, et Capitulum Civitatensis Ecclesie, Aquilegensis Diocesis, videlicet Wolricus de Strassoldo, Jacobus de Carraria, Bernardus de Civitate, Odorlicus Domini Hugonis, Montanus de Civitate, Jacobus Romanus, Andreas de Canussio, Jacobus de Bononia, Conradus de Civitate, Mafeus de Fara, Armanucius q.m Rusculi de Civitate, Jacobus Pellegrini, Folcherinus de Zuchola, Deumidesius de Romanzolio, Floridus de Cuchanea, Johannes Custos, Wolricus D. Pauli Bojani de Civitate, Siuridus de Antimburg, Jacobinus de Bononia Tolbertus de Tervisio, Franciscus de Peresonibus, Guillelmus q.m D. Egidii de Civitate, Ambrosius Raterius, Civitatensis Ecclesie Canonici ad Capitu-

lum, et ut Capitulum, more solito, congregati. Audientes quod nobiles viri Mathiussius, Asquinus, Bernardus et Vicardus Fratres de Colloreto dicte Diocesis quandam Capellam ad honorem D. nostri Jesu Christi, et ejus Matris Virginis gloriose, nec non ad honorem Sanctorum Apostolorum Andree et Mathie extra fossatum Castri de Colloreto, de voluntate pariter et consensu nostro edificaverunt in Parochia nostra de Lauzana pro remedio animarum suorum et suarum, et ipsam Capellam ex sufficientibus bonis dotaverunt, prout in Istrumento procurationis dictorum dominorum plene noscitur contineri, confecto manu Petri de Faganea sub anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono, Indictione duodecima, die septimo exeunte Octobre, confitemur, volumus, et contenti sumus maxime ad hoc, ut quilibet fidelis ad tam pium opus facilius inducatur, quod dicti Nobiles et eorum heredes de cetero ad dictam Capellam presentare nobis possint personam idoneam ipsi Capelle preficiendam, quam quidem personam per eos nobis presentatam admittere, et ibidem instituere nos, et Successores nostri totaliter teneamur. Item volumus, obtentu Nobilium et fratrum predictorum, quod Sacerdos hujusmodi per ipsos nobis presentatus, et per nos ibidem institutus de licentia presbiteri nostri de Lauzana, quam ex nunc sibi dari volumus, per eundem omnia Sacramenta Ecclesiastica libere dare, et administrare possit, et valeat dictis Nobilibus, eorum Dominabus, et omnibus et singulis eorum servitoribus, et habitatoribus universis tam masculis, quam feminis infra fossatum dicti Castri, et ejus suburbii commorantibus. Item volumus et concedimus,

quod sacerdos ibi modo premisso institutus una cum omnibus bonis dicte dotis sit, et esse debeat immunis a prestatione, et solutione qualibet Collectarum. Insuper volumus, ordinamus, atque mandamus quod sacerdotem, qui illi pro tempore fuerit, Vicarius noster de Lauzana in extrema unctione, in septimis, tricesimis, Anniversariis, et aliis honoribus, et utilitatibus, ceteris aliis Sacerdotibus preferre, et admittere teneatur, aliis juribus Parochialis Ecclesie dicte Parochie nostre in omnibus, et per omnia semper salvis. In quorum omnium testimonium presens Privilegium, sive gratiam nostram per Jacobum Benedicti de Tervisio pubblicum Notarium infrascriptum scribi, et publicari mandavimus, et sigilli nostri appensione muniri.

Datum, et actum in nostro Capitulo Civitatensi, Aquilegensis Diocesis, sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo. Indictione tertia decima, die vigesimo tertio mensis Februarii. Presentibus ven. viro D. Fr. Jo. Abbate Monasterii Rosacensis Rev. in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia Patriarche Aquil. Vicario generali, et nobili viro D. Henrico de Strassoldo, Presbitero Jacobo prebendato in Ecclesia Civitatensi, Liazaro de Carvacho, Nicolao de Crumberg, Mattiussio de Mels, Johannolo de Osnago, et Jacobino de la Turre familiaribus dicti D. Abbatis testibus ad predicta vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Jacobus Benedicti de Tervisio publicus Im. Auct. Notar. predictis omnibus et singulis una cum dictis testibus presens interfui, atque omnia et singula de mandato dictorum Dominorum Prepositi, Decani, et Ca-

pituli scripsi, et in hanc publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi rogatus. A. C. U. c.

N. 610.

1330 13 *Marzo Udine.*

Sentenza di Pagano a favore dell' Abbate di Oburburgh contro i Signori di Butrio invasori dei beni dell' Abbazia.

Stefano da Cividale Not.

Anno Domini a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo trigesimo. Indictione xiii. Die tertia decima intrante martio. Actum in Castro Patriarchali Utini. Presentibus ven. viro D. Petro Mora Vicario infrascripti D. Patriarche, D. Thomasutto de Partenstayn, Odorlico Not. de Utino, Federico Burella, et Nicolussio Notario q.^m Magistri Conradi, Botto Notario de Utino, et Henrico Notario de Utino testibus, et aliis.

Coram Rever. in Christo Patre et D.D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha in judicio pro tribunali sedente, comparuit ven. vir D. Lupoldus una cum Presbitero Henrico ... Abbas Monasterii Oburburgensis, Ordinis S. Benedicti non revocando procuratores suos et dicti Monasterii, sed potius confirmando, proponens, et dicens una cum Federico Notario q.^m Ser Galvagni de Utino procuratore et Syndico dicti Monasterii, quod cum Nuntio ipsius D. Patriarche fecerat precipere dominis Nicolao, Rapotto, et Odorico de Budrio

fratribus, ut ipsi deberent hodie inter Nonam et Vesperas esse in Utino coram ipso D. Patriarcha respondere ipsi D. Abbati de violentia per ipsos tres facta super bonis dicti Monasterii sitis in villa de Budrio, et circa quod volebant habere Advocatiam; et cum ante horam, et hora termini dictus Abbas se presentaverit, et suam querelam interposuerit, et hora termini advenerat diutius expectata, ipsis D. Nicholao, Rapotto et Odorlico non comparentibus, vocatis sententialiter semel, secundo et tertio per Preconem infrascriptum, ut moris est, adhuc non comparentibus, petivit prefatus D. Abbas cum Procuratore, contra ipsos Dominos Nicolaum, Rapottum et Odorlicum, tanquam occupatores bonorum Ecclesiasticorum per Constitutionem provincialem spiritualiter procedi; ostendens ibi quoddam Privilegium in quo continebatur quod q.m Pelegrinus Patriarcha dedit ipsi Monasterio decem Massaricias in Budriach ibidem lectum, continens sententias anathematis Ananie et Saphire. Quare petebat executioni mandandum, et procedi temporaliter contra ipsos non comparentes citatos.

Super quibus, querente dicto D. Patriarcha a circumstantibus quid juris esset, sententiatum fuit, quod si prefatus D. Abbas cum procuratore poterat probare terminum hodiernum (ut probavit ibidem sententialiter per Mathiam Preconem Communis Utini) quod, prefatus D. Patriarcha debeat dare; et sic dedit dictum Mathiam preconem in nuntium, et pro nuntio ipsi D. Abbati et Procuratori ad accipiendum de bonis predictorum de Budrio ad altressum cum dampnis et expensis de hiis de

quibus jurabit, salva taxatione de expensis; et precipiendo ipsis de Budrio quod de cetero non debeant gravare bona dicti Monasterii, et habere aliquam Advocatiam super illis, et banno Curie. *Da una Pergamena de' Sig.ⁱ di Zucco.* o.

N. 611.

1330 7 *Maggio Cividale.*
Pace fra Ettore di Savorgnano e Giovanni di Castello.

Eusebio de Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M.CCC.XXX. Indictione XIII Die VII mensis Maii, in Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus Venerabilibus Viris Dominis Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis et Petro Morra de Mediolano Rectore Ecclesie Sancte Marie de Turri Mediol. Diocesis Vicariis infrascripti domini Patriarche, ac domino Guillelmo Decano Aquilegense, Doctore decretorum, Gabriele q.ᵐ Domini Henrigini de Cremona, et Francino de Villanova de Laude Not. Familiaribus ejusdem Domini Patriarche, et aliis multis.

Cum inter nobiles Viros Dominos Hectorem de Savorgnano ex parte una, et Johannem Franciscum de Castello ex altera, quedam in Civitate Austria, hesterna die rixa, diabolo instigante, facta fuerit, ex qua non modica dampna, eis et amicis eorum, ac toti terre Forijulii parabantur, Venerabilis Pater Dominus Paganus Dei gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha, volens dampnis, et

periculis precavere, vocatis ad se predictis Nobilibus, precepit eis sub pena gratie sue, quatenus treguam inter se faciant, intendens super questionibus inter eos vertentibus habere tractatum, et omnem materiam ipsarum questionum radicitus amputare. Qui Nobiles, habita deliberatione cum eorum amicis ibidem presentibus, primo Dominus Johannes Franciscus predictus pro se, et suis sequacibus, amicis et servitoribus, dato quanto prefato Domino Patriarche promisit eidem, et ad Sancta Dei evangelia juravit treguas habere, et tenere cum prefato Domino Hectore, amicis et servitoribus ejus hinc ad Festum Sancti Michaelis proxime venturum, sub pena, et in pena quingentarum Marcharum Denariorum Aquilegensis monete; hac tamen conditione adjecta, quod idem Dominus Joannes Franciscus intendit predicta infra xv dies proximos notificare Domino Nicolao fratri suo, et si ei displiceret hujusmodi tregua, nec eam vellet fieri, vel servari, notificabit quantocitius ipsi Domino Patriarche. Pro qua pena solvenda, si in eam committeret fidejusserunt solemniter in manu ejusdem Domini Patriarche Nobiles Viri Domini Odolricus de Cucanea, Thomasinus de Pertistagno, Bernardus de Strassoldo, Durigutius de Mels et Articus de Porcillis, sub obligatione bonorum suorum. Deinde prefatus D. Hector dato similiter quanto eidem Domino Patriarche promisit ei servare jamdictam treguam pro se, et ejus sequacibus, amicis et servitoribus cum eodem Domino Johanne Francisco, amicis, et servitoribus suis usque ad terminum supradictum sub pena eadem, et obligatione omnium bonorum suorum, salvo quod si non placeret Domino Friderico Fratri suo, cui

hec notificare intendit, infra xv dies, statim mandabit, et notum faciet hoc ipso Domino Patriarche, ut altera pars sibi valeat providere. Pro eo steterunt fidejussores predictus Dominus Odolricus de Cuchanea, Dominus Articus de Prampergo, D. Paulus Bojanus, D. Philippus de Portis de Civitate, et D. Rizardus de Valvasono sub obligatione bonorum suorum. C. F. o.

N. 612.

1330 10 *Maggio Cividale.*
Contratto per la fabricazione della nuova moneta.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M.CCC.XXX. Indictione XIII. die X mensis Maii, in predicto Palatio Civitatensi: presentibus testibus Venerabilibus viris D.D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis et Petro Mora de Mediolano Rectore Ecclesie S. Marie de Turre Mediolanensis Diocesis Vicariis suprascripti D. Patriarche: et D. Odorico de Strassolto Plebano Lavariani, D. Guillelmo q.m Magistri Valterii de Civitate, Gasparino de Novate habitante in Utino, et aliis.

Venerabilis Pater D. Paganus Patriarcha predictus dedit discreto viro Thomasio filio q.m D. Pini de Anellis da Parma, recipienti pro se, et Petro fratre suo, Bentiviene, Manno, Pacino de Florentia cive Parmensi, et aliis quos sibi associare voluerint, ad cudendam monetam novam, quam idem D. Patriarcha vult facere de novo in

Civitate Aquilegie: et cum eodem Thomasio, suo nomine, et predicto, convenit pactis et stipulationibus infrascriptis. Videlicet:

Quod idem Thomasius pro se, et predictis Sociis promisit eidem D. Patriarche, cudere monetam in Aquilegia per annum continuum et completum, incipiendum a Festo S. Michaelis proxime venturo, bonam et puram frixachensem: scilicet de unciis quinque, et quarteriis tribus, et dimidio boni et puri argenti pro quolibet Marcho. De qua moneta debent esse in quolibet Marcho solidi XVIII numero, et pondere; et ponderati et coequati singuli denarii ipsius monete, quando inciduntur et cuduntur. Nec expendatur, de ipsa moneta, nisi prius de quacumque scossa fiat sazium in pondere, et in igne.

Quod sazium debet esse de uno Marcho in pondere, et de uno quarterio uncie in igne. Debent enim decem et octo solidi in pondere facere marchum: quod si essent denarii quatuor plus, aut quatuor minus, comprobentur boni denarii. Si autem fuerint quatuor plus, teneantur in sequenti scossa eos facere de quatuor minus, et e converso. Quod si aliter reperiretur moneta, que facta foret contra talem formam, iterato debeat in ignem mitti, et iterum fundi et meliorari.

Item quod ipse Thomasius, et Socii teneantur, et debeant facere, vel fieri facere Sazium in igne de uno quarterio uncie, quod est grana centum quadraginta quatuor pro quarterio: et debeant reddere pro quarterio de argento predicto grana centum quinque, et tres tertiarios grani, et dimidium. Et si reperirentur grana duo plus, vel minus, approbentur boni denarii. Et si fuerint duo mi-

nus, teneantur in sequenti scossa facere duo magis, et e converso. Quod si contrafieret, debeat dicta moneta iterata in ignem mitti et meliorari.

Item teneantur, et debeant dare et reddere prefato D. Patriarche, vel ejus Factoribus, de qualibet marcha denariorum, quos fecerint, solidos quatuor parvorum, dandos et solvendos eisdem, quotiens scossam fecerint.

Item quod ipse D. Patriarcha teneatur et debeat dictis Magistris Monete prestare domum, in qua fieri faciant ipsam monetam, et hoc in civitate Aquilegie.

Item quod teneatur facere banniri omnes alias monetas: et quod nullus presumat emere, vel vendere, vel aliquod forum facere, nisi in predicta moneta; ita quod teneatur mittere Dominis, et Communibus totius Istrie, ut predicta moneta possit in dictis locis expendi, velut in Civitatibus et locis Forijulii, idest cum eodem cursu.

Item quod dicti Magistri monete teneantur, et debeant habere unum Sazatorem ad asazandum dictam monetam, que fiet. Qui quidem Sazator debet esse salariatus per eosdem magistros.

Item quod prefatus D. Patriarcha teneatur habere unum Superstantem apud dictos magistros, qui continue videat, vice ipsius D. Patriarche, et teneat omnes denarios, sicuti fient de die in diem, in potestate sua; donec de eis fiat sazium, ut predicitur, et simul cum sazatore et quacumque persona voluerit examinet et prevideat dictam monetam in omni scossa, si sit ut esse debet: alioquin non expendatur, sed iterum in igne mittatur.

Item quod dictus D. Patriarcha teneatur securare, et securos facere Magistros predictos, et omnes suos

familiares, per totum districtum ipsius D. Patriarche; ita quod possint secure cum argento, moneta, et mercandaria ire per omnes Civitates, et loca sua, et stare, redire absque ullo dampno. Quod si contingeret, teneatur de Camera restituere, si aliter ablatum recuperare non possent, dum tamen dicti Magistri, vel sui familiares petant licentiam ab ipso D. Patriarcha, vel alio, seu aliis, quem, vel quos ad hoc deputaverit.

Item quod dicti Magistri teneantur habere, et tenere continue in ipsa moneta libras ducentas Venetorum Grossorum ad minus; cum ista additione, quod si impedimentum aliquod superveniret aut de guerra, aut de infirmitate Magistrorum monete, aut ex defectu recuperandi argenti, seu alio quocumque impedimento legitimo, videlicet expediendi monetam, dummodo continue predicta summa librarum ducentarum grossorum tam in argento, quam in moneta sit in dicto opere, ad illud non teneantur.

Item quod dicti Thomasius et Socii, vel unus aut duo ipsorum cum Magistris ipsius monete teneantur stare continue in civitate Aquilegie, vel alios dimittere loco ipsorum ibidem, et continue facere laborare dictam monetam bene et legaliter, secundum cursum consuetum.

Item quod dictus D. Patriarcha teneatur facere preconizari, et banniri per totum Forumjulium, et districtum suum: quod nullus portare presumat extra Forumjulium aliquod argentum, seu Bolzonum, sub pena perdendi illud argentum: cujus pars tertia sit ipsius D. Patriarche, alia tertia accusatoris, et reliqua tertia dictorum Conductorum et Magistrorum.

Item quod quilibet portans argentum dictis Conductoribus et Magistris seu ad fabricam monete, aut bolzonos, possit ire, venire, stare, et redire per totum Forumjulium, et jurisdictionem ipsius D. Patriarche predicti, cum personis et rebus eorum tute, et absque eo quod molestentur, vel molestari possint occasione aliquarum repressaliarum, vel aliarum causarum, que dici, vel cogitari possent; dummodo non sint rebelles, vel inimici ejusdem D. Patriarche.

Item quod dicti Conductores et Magistri habeant auctoritatem faciendi cudi parvulos qui sint de liga quinque quarteriorum argenti fini pro marcha, et dare debeant de lucro ipsi D. Patriarche pro quolibet Marcho solidum unum parvorum, in quo marcho veniant de ipsa moneta et sint numero libre tres, et duo solidi. Et si fuerint solidi duo plus vel minus approbentur boni, et fiat sazium de uno quarterio ipsorum in quo debent esse grana xxII et dimidium argenti fini: et si essent duo plus vel minus similiter boni reputentur.

Item fuerunt in concordio ipsi D. Patriarcha et Conductores, quod si ipse D. Patriarcha voluerit ut faciant alias monetas a predictis, quod eas faciant de predicta prima liga Frixachensi, et respondebunt eidem D. Patriarche de lucro pro quolibet marcho, prout respondebunt de ipsis Frixachensibus prout majores vel minores essent denariis. C. F. o.

N. 613.

1330 16 *Maggio Cividale.*
Il diritto sulla Pesca e sulla Caccia di Vindigrez è confermato al Parroco e Successori.

Eusebio da Romagnano Not.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha dilecto filio Peregrino Plebano Plebis S. Pancratii in Vindigrez salutem in Domino sempiternam. Cum sicut per diligentem inquisitionem super hoc de nostro mandato factam plene invenerimus quod Ecclesia tua S. Pancratii de Vindigrez, sive Plebani ipsius Predecessores tui, de antiqua consuetudine, cujus in contrarium memoria non existit, in omnibus causis hominum et bonorum ejusdem tam civilibus, quam criminalibus preter quam de dampnandis ad mortem cognoverint, et jus habeant cognoscendi, ita quod in ipsis hominibus et bonis nullus nisi eadem Ecclesia, sive Plebes facere quidquam habet: et habet etiam Ecclesia ipsa proprias venationes et piscationes, prout testificati sunt plures Clerici et laici fide digni: Nos jura Ecclesiarum nobis commissarum cupientes illesa servare, et quod augeantur potius quam in aliquo minuentur jurisdictiones hujusmodi, Piscationem, et Venationem predictas eidem Ecclesie sive Plebi perpetuo confirmantes, discretioni tue, presentium tenore, mandamus, quatenus tu, et Successores tui, qui pro tempore fuerint, eisdem juribus et jurisdictionibus uti libere

debeatis. Omnibus et singulis cujuscumque status aut dignitatis existant sub intimatione divini judicii interdicentes expresse ne in ipsis juribus, et jurisdictionibus te, aut eosdem Successores, aut Ecclesiam ipsam quovis modo inquietare, aut molestare presumant. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus, et sigilli nostri appensione muniri.

Datum in Civitate, in nostro Patriarchali palatio, die xvi Maii, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XXX. Indictione XIII. C. F. O.

N. 614.

1330 18 *Maggio Cividale.*
Pagano conferma la donazione fatta dal Preposito di Juna al suo Convento.

Eusebio da Romagnano Not.

Paganus etc. Dilectis filiis Eberardo Preposito et Conventui Ecclesie June nostre Diocesis salutem in Domino sempiternam.

Amplectenda est, et pastoralis officii sollicitudine prosequenda pie mentis intentio prefertim que divini cultus augmentum, et profectum respicit animarum. Nuper siquidem nobis significare curasti, quod tu, fili Preposite, de salute propria cogitans, pro remedio anime tue quandam vineam, quam propriis sumptibus et laboribus plurimis in monte Prepoy appellato, juxta villam, que Stransdorf nuncupatur, plantasti, Conventui tuo donasti per ipsum Conventum uten-

dam perpetuo et fruendam. A nobis humiliter postulans, quatenus donationem ipsam deberemus nostre confirmationis patrocinio communire. Cupientes igitur in hiis, et similibus prompti et favorabiles inveniri, tuis supplicationibus inclinati, donationem ipsam ratam habentes et gratam, eam auctoritate ordinaria confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus.

Datum Civitate, in nostro Patriarchali Palatio. Die XVIII. Martii. anno ut supra. C. F. o.

N. 615.

1330 4 *Giugno Udine.*
***Pagano** approva il Resoconto presentatogli da **Berofino** de Giroldis di lui Vicedomino.*

Eusebio da Romagnano Not.

Die IIII. mensis Junii. Utini in Patriarchali Palatio veteri. Presentibus ven. viris D. D. Fratre Johanne Ab. Monasterii de Rosaceo, Guillelmo Decano Aquil. Decretorum Doctore, Magistro Manino Medico, qui fuit de Cremona, habitatore Terre predicte Utini, ac Nobilibus viris D. Carlevario filio q.m D. Johannis de la Turre de Mediolano, Johanne filio q.m D. Jacobi de Guarnerinis de Padua, et D. Gabriele, q.m D. Henrigini de Cremona Not. habitatore ejusdem Terre Utini testibus, et aliis pluribus vocatis et rogatis.

Rev. Pater et D.D. Paganus etc. Post factam sibi,

ut dicebat, traditam, ascultatam, et diligenter auditam rationem, et computum rationis per ven. virum D. Berofinum de Giroldis de Cremona Canonicum Aquilegensem olim Vicedominum suum de omnibus et singulis, que tempore quo fuit Vicedominus ipsius D. Patriarche, et Administrator bonorum, et fructuum Patriarchatus ejusdem ad ipsius manus pervenerunt, seu nomine dicti Patriarche percepit quocumque modo in pecunia, aut aliter, asserens rationem prefatam justam et legalem fuisse, dictumque D. Berofinum Officium Vicedominatus predicti, et administrationem prefatam exercuisse fideliter et discrete, ac approbans expensas factas per ipsum, tanquam bonas, necessarias et utiles, suo, et Aquil. Ecclesie nomine, ac per se, et Successores suos eundem D. Berofinum a ratione predicta absolutum reddidit et liberum, faciens sibi de omnibus et singulis antedictis, que nomine dicti D. Patriarche quocumque modo percepit, tempore antedicto, finem, remissionem et quietationem perpetuam, atque pactum da ratione predicta ulterius non prestanda. Et inde plura instrumenta fieri jussit, unius tamen tenoris per me infrascriptum Notarium, et Gabrielem predictum. C.F.o.

N. 616.

1330 10 *Giugno S. Vito.*
Terra accordata in Feudo a Zannino Pituzj di Settimo.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die x. mensis Junii. In Castro S. Viti. Presentibus testibus D. Johanne de Cuxano Gastaldione terre predi-

cte S. Viti, Guillelmo de Victuone habitatore ejusdem Terre, et pluribus aliis.

Prefatus D. Patriarcha intendens conditionem Ecclesie Aquilegensis facere meliorem, terram suam et ejusdem Ecclesie positam in territorio de Septimo, in Tavella, que appellatur Pratum Gaianum infra hos confines, a mane videlicet terram Johannis Briconi, a meridie terram heredum q.^{m} D. Maphei de la Turre, a sero terram Monasterii Sumaquensis, et ab alia parte Armentariam ville Baxeti, que sibi et Ecclesie sue nullam utilitatem affert, pro eo quod nulla pars ipsius cultivata existit, ut ad cultum redigatur, concessit suo, et Successorum suorum, et Ecclesie Aquil. nomine, Zanino filio q.^{m} Pitucii de Septimo usque ad xv. annos proximos venturos, incipiendos a festo S. Martini proxime futuro ad ipsam terram bonificandam, et reducendum ad culturam, utendam, et fruendam per se, et suos heredes ad voluntatem suam, salva proprietate, et ficto infrascripto, cum omnibus juribus, et pertineutiis suis, et cum accessibus et ingressibus ejus reddendo ipsi D. Patriarche, aut ejus nuncio annuatim in festo S. Martini, transactis primis quinque annis in quibus nihil solvere debeat, nomine ficti libram unam piperis, usque ad finem dictorum xv. annorum. Quibus finitis, eadem terra cum omni melioramento in ea facto ad ipsum D. Patriarcham, et Ecclesiam Aquil. libere revertatur. C. F. o.

N. 617.

1330 10 *Giugno Sacile.*
Investitura di Simone di Frata di Sacile.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Item eodem die, et loco. Presentibus testibus D. Petro Mora, D. Anfussio de la Turre, D. Guillelmo Decano Aquilegensi, D. Bernardo de Strassoldo, et aliis.

Idem D. Patriarcha investivit Symeonem filium q.m Ser Otti de Frata de Sacilo de omnibus feudis et juribus feudalibus, que dictus q.m pater ejus tenebat ab Ecclesia Aquilegensi, que consignavit esse ista. In primis duo campi positi in contrata de Ronchis, in districtu Frate. Quibus coheret terra Arpolini di Canipa, via publica, terra ser Alesii de Canipa, et ex alia parte terra dicti Arpolini. Item duo alii campi in dicta contrata, quibus coheret terra Zanini de Pino de Canipa, terra Henrici de Donna Mayti de Canipa, terra dicti Arpolini, et terra Vendrami de Donna Cadromina de Canipa, et terra D. Beloni da Sacilo, versus Canipam via publica. C. F. o.

N. 618.

1330 11 *Giugno S. Vito.*
Conferma dell' investitura fatta ad Arpolino detto Nossio di Aviano.
Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XI. mensis Junii. In Castro S. Viti, super sala patriarchali. Presentibus testibus D. Petro Mora Vicario,

D. Nicolao Plebano Plebis de Flambro Capellano et magistro Condeo de Calio medico dicti D. Patriarche. Idem D. Patriarcha suo, et Successorum suorum nomine, et Ecclesie Aquilegensis ratificavit et approbavit quandam investituram factam ejus nomine per nobilem virum D. Maschiolum de Casate olim Gastaldionem Canipe Arpolino dicto Nossio de Aviano de quadam petia terre, que potest esse circa quatuor jugera, posita in campanea Viconovi, que est de Amplis de Viconovo pertinentibus ad Aquilegensem Ecclesiam. Cui sunt confines a mane Colles Ceresarii, a monte colles qui cernunt campaneam Viconovi, a campanea Pulcinici: a meridie presa quedam terre de dictis Amplis, que est recta per Perussum de Aviano: a sero terra de dictis Amplis, que est Comunea: sicut ipsa investitura facta fuit de qua est Instrumentum factum manu Gascoti Notarii, anno Domini M.CCC.XXVII. Indictione X. die XV. Junii. Ipsamque investituram, secundum quod tunc facta extitit, cum uno capucio, quod tenebat suis manibus, eidem Arpolino constituto coram eo, presentialiter innovavit. C. F. o.

N. 619.

1330. 19 *Giugno San Vito.*

Pagano investe Delardo da Sacile d' un feudo di abitanza in detto paese.

Gubertino da Novate Can. P.

Die 19 Junii, apud S. Vitum, in Patriarchali Castro, Indictione XIII.

Castro S. Viti Patriarchatus Aquilegensis: presentibus testibus infrascriptis. Constitutus in presentia Venerabilis Patris D. Pagani, Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche; astantibus ipsi D. Patriarche, Reverendo Patre D. Artico eadem gratia Concordiensi Episcopo, ac Venerabilibus viris D. D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosaccensis, et Guillelmo Decano Aquilegensi; ac Nobilibus viris D. D. Odolrico de Cuchanea milite, Brisalia et Morando de Porciliis, Anfussio, Hermachora, Fedrigino, et Conradino de la Turre ejusdem D. Patriarche nepotibus; Nobilis et Magnificus vir D. Gerardus de Camino Comes Cenetensis pro se, et D. Rizardo fratre suo, recognoscens devote suum et ejusdem fratris sui errorem factum in fovendo hostes ipsius D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensis in Terra de Meduna quam abstulerunt et tenuerunt rebelliter, ac inde veniam postulans, reduci se et eundem Fratrem suum ad ejusdem D. Patriarche gratiam supplicavit, promittens ei suo et dicti Fratris sui nomine, Terram ipsam Medune tradere liberaliter. Qui D. Patriarcha considerans, quod iidem Nobiles possunt esse sibi et Ecclesie Aquilegensi favorabiles, et quod se humiliaverunt, et suum sunt parati revocare errorem, preteritorum oblitus, omnem illis injuriam, quam sibi et dicte Ecclesie intulerunt, remisit; et intercedentibus dictis Astantibus pro eisdem, pro bono pacis et concordie pactus est cum eis, et ipse D. Gerardus suo et predicto nomine cum illo, prout inferius continetur.

Primo quidem promisit ipsi D. Gerardo, suo et predicto nomine recipienti, procurare fideliter cum effectu quod D. Carlevarius de la Turre Nepos suus, infra

tus in ipsa Terra de Meduna per eundem D. Patriarcham usque ad predictum festum S. Georgii, promisit ibidem, et juravit ad Sancta Dei Evangelia, tradere predictam Terram dictis fratribus, tanquam Gastaldionibus ipsius, nomine ipsius D. Patriarche et Aquilegensis Ecclesie, cum predicta dies S. Georgii venerit: et prestiterunt ipsi Fratres cautionem subscriptam ipsi D. Patriarche. Et versa vice dictus D. Gerardus, suo nomine, et quo supra, promisit et juravit eidem D. Patriarche: quod tempore quo dictam Terram tenebunt, subjectos ipsius Gastaldie et habitatores ipsius Terre non gravabunt, sed in suis juribus manutenebunt, ac defendent, et justitiam ibidem facient juxta consuetudinem ejusdem Terre. Et quod finito anno, restituent libere, et dimittent ipsi D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi Terram ipsam Medune in eo, vel meliori statu, sicut eam recipient: nisi ipse D. Patriarcha concederet eis Gastaldiam ipsam ad aliud tempus. Et pro sic attendendo et servando dabunt sibi fidejussores Commune Venetiarum, apud quod credunt hoc procurare posse. Et si non possent, dabunt usque ad decem fidejussores de infrascriptis Domibus: videlicet de Prata, de Porciliis, de Castello, de Cuchanea, de Spenimbergo, de Valvasono, de Colloreto, et Mels, et de Villalta: qui se obligabunt pro eis ad predicta servanda, et facienda servari, sub pena duarum millium marcharum cum illis solempnitatibus, que solent in talibus contractibus apponi.

Item promisit idem D. Gerardus, suo nomine et quo supra, ipsi D. Patriarche, quod de omnibus questionibus et discordiis, quas habent cum Biachino de Camino eorum patruo, sive Barbano, stabunt arbitrio, judicio,

Venerabilis pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha considerans quod Guillelmus de Vituono et fratres, qui fuerunt de Mediolano et nunc sunt fideles habitatores Castri sui de S. Vito, eorum industria, et non sine magnis laboribus et expensis quandam petiam terre juris ipsius D. Patriarche et sue Aquilegensis Ecclesie, sitam in territorio dicti loci S. Viti, ubi dicitur subtus viam cui coheret a mane strata qua itur Valvasonum, a meridie Mauri de Zelia et Aymerici Cozonelli de S. Vito, a monte S. Floriani, et a sero flumen Buriane, que solebat esse inculta et nullius utilitatis, redacta est noviter ad culturam, plantata vitibus et arboribus, et circundata fossatis; ut iidem fratres de tantis laboribus et expensis fructum percipiant meritorum, et alii habitatores et coloni dicti loci ad similia accendantur, suo et Successorum suorum, ac dicte Ecclesie sue Aquilegensis nomine, concessit eisdem Guillielmo, et fratribus, et eorum filiis, et heredibus dictam petiam terre ad livellum, secundum quod Ecclesia Aquilegensis concedere consuevit, cum omnibus juribus et pertinentiis suis utendam et fruendam pro annuo censu octo Sextariorum annone solvendorum annuatim ipsi D. Patriarche, aut ejus factori sive Gastaldo. Promittens solempniter ipse D. Patriarcha suo nomiue, et quo supra predicto Guillielmo stipulanti et recipienti pro se, et dictis suis fratribus et heredibus sine aliqua exceptione juris aut facti, predictam concessionem firmam et ratam perpetuo habere et tenere, et non contrafacere aut venire; sed ipsam petiam terre eisdem fratribus, et heredibus legitime defendere, auctorizzare, et disbrigare, et ex ipsa, aut ejus occasio-

Episcopus infrascriptus. Presente Nobili viro D. Jacobo de Cormono milite, D. Hossalcho ejus filio, Religioso viro D. Fratre Guilelmo de Bononia Ordinis Heremitarum, D. Episcopi jam dicti Vicario generali, Siero presbitero, Bortolussio Plebano Ecclesie S. Andree, Ottonello Notario, Andrea dicto Rubino dicti Portusgruarii testibus, et aliis.

Cum longo tempore inter Reverendum in Christo patrem et D. D. Articum Dei gratia Concordiensem Episcopum et ejus Ecclesiam ex una parte, ac Articum Squarram q.m D. Petri Squarre de Portugruario, sive ejus predecessores ex altera extitit questio de custodia Festi de Tileo, idem D. Episcopus, absque prejudicio Ecclesie sue in posterum, ac etiam dicti Artici et domus ejus, de speciali gratia, tempore vite sue, concessit, ut idem Articus Squarra, et ejus Consortes ad quos spectat dicta concessio, dictum Festum debeant custodire, et facere omnia que pertinent ad ipsum; promittens idem D. Episcopus nunquam super hoc ipsi, aut ipsis questionem facere, aut movere, sed conservare pro posse hec, et etiam alia jura sua, ac defendere in quantum potest a quibuslibet super hoc volentibus impugnare. Et ad majorem firmitatem facti, jussit hoc Instrumentum sui sigilli appensione muniri.

Ego Bortulus q.m Ser Antonii de Portugruario Imperiali auctoritate Notarius cum testibus dicti D. Episcopi predictis interfui, et rogatus, de mandato dicti D. Episcopi hec scripsi. A. V. P. c.

N. 623.

1330 3 *Luglio S. Vito.*

Compromesso per un accordo tra l' Abbate di Moggio e Nicolò di Castello.

Eusebio da Romagnano Not.

Die III. Julii. In Castro S. Viti. In presentia dicti D. Patriarche, Dominorum Abbatis Rosacensis, Decani Aquilegensis, Odorlici de Cucanea, Federici de Villalta, Thomasutti de Cuchanea, et multorum aliorum.

Ven. vir D. Fr. Guibertus Abbas Monasterii de Mocio pro se, et eodem Monasterio ex una parte, et Nob. vir D. Nicholaus de Castello pro se, et D. Johanne Francisco fratre suo ex altera, intendentes invicem concordare super dampnis, tolletis, et injuriis datis per dictum Johannem - Franciscum, et suos complices ipsis D. Abbati et Monasterio de Mocio, elegit ipse D. Abbas pro sua parte discretum virum Francinum de Villanova de Laude Notarium, et dictus D. Nicholaus, suo nomine, et predicto, nobilem virum D. Bernardum de Strassoldo, et pro utraque parte ven. virum dictum dominum fratrem Johannem Abbatem Rosacensem in quos compromiserunt, ut videant et estiment res, et bona ablata ipsi D. Abbati, et suis, et de ipsis pronuncient, et precipiant restitutionem fiendam per eosdem dominos de Castello. Et super dampnis, et injuria, que passus est idem Abbas et sui, etiam emen-

dationem quam justam et honestam putarent. Promittentes invicem iidem D. D. Abbas et Nicolaus, propriis nominibus, et nominibus quibus supra, stare, et parere arbitrio, definitioni, et pronunciationi dictorum arbitrorum, et non contra venire sub pena ducentarum Marcharum Aquil. monete; que toties commitatur, quoties contra venerint, rato nihilominus manente arbitrio in omni casu, et capitulo ejus. Datis fidejussoribus pro parte dicti D. Nicholai, et per ipsum Abbatem, Odolrico de Chucanea, Federico de Villalta, Bernardo de Strassoldo, Francisco fratre ejus, Thomasutto de Cuchanea, Rizardo de Valvasono, Johanne de Cucanea, Francisco de Manzano, Duringucio de Mels, Bortolo de S. Daniele, Francisco de Fontebono, et Arnaldo de Vendojo, quolibet pro rata. C. F. o.

N. 624.

1330 6 *Luglio Udine.*

Eusebio da Romagnano è dal Parlamento nominato procuratore onde firmar la pace col Co. di Gorizia.

Memoriale Belloni.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis M. CCC. XXX. Indictione XIII. Infrascriptum Colloquium celebratum fuit die VI. mensis Julii, Utini: in quo provisum et firmatum fuit: quod pax, unio, et liga facta inter Dominum Patriarcham, et Servitores Ecclesie Aqui-

legensis ex una parte, et D. Griffonem de Rentemberch, et Capitaneum Comitatus Goritie, et servitores dicti Comitatus ex altera procedat, et firmetur per totum Colloquium. Super quo factus fuit D. Eusebius procurator et Sindicus ad predicta.

Pro Prelatis.
D. Abbas Rosacensis.
D. Odoricus de Strassoldo.
Pro Liberis.
D. Johannes de Villalta.
D. Bernardus de Strassoldo.
Pro Communitatibus.
D. Bertolucius de Aquilegia.
D. Paulus Bojanus de Civitate.
D. Joseph de Glemona.
D. Federicus de Utino.
Pro Ministerialibus.
D. Odoricus de Cucanea.
D. Pergonea de Spilimbergo.
D. Nicolaus de Castello.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Federicus de Murutio.
D. Henricus de Prampergo.
D. Articus de Varmo.
D. Franciscus de Strassoldo.

C. P. c.

N. 625.

1330 7. Luglio Udine.

Procura del P. Pagano per l' escossione del denaro solito pagarsi annualmente dai Veneziani.

Gabriele da Cremona Not.

Die VII. mensis Julii, Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. D. Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicariis infrascripti D. Patriarche, Fr. Giberto Ab. Monasterii Mosacensis Aquil. Diocesis, Eusebio de Romagnano Canonico Aquil. testibus, et aliis.

Cum Rev. in Christo Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha habere debeat in proximis Kalendis mensis Octobris a Magnifico D. D. Francisco Dandolo illustre Venetiarum Duce ejusque Communi Marchas ducentas et vigintiquinque denariorum Frixachesium Aquilegensis monete pro juribus et jurisdictionibus Istrie, dictusque D. Dux et Commune prefatum ex urgenti necessitate ipsius D. Patriarche, videlicet pro sanandis debitis, aut parte eorum, in quibus ipse D. Patriarcha obligatus est Camere D. Pape, et dominorum Cardinalium, velint de dicta pecunia solvenda ad presens eidem D. Patriarche gratiose et amicabiliter complacere. Ipse D. Patriarcha suo et Aquilegensis Ecclesie nomine fecit, constituit, et ordinavit Ven. Virum D. Berofinum de Giroldis

Canonicum Aquilegensem ibidem presentem, et mandatum hujusmodi suscipientem, et discretum virum D. Petrum Baragiam mercatorem de Mediolano, habitatorem Venetiarum, absentem tamquam presentem, et utrumque eorum in solidum, ita quod occupantis conditio potior non existat, sed quod unus inceperit alter prosequi valeat et finire; suos procuratores et nuntios speciales ad petendum, exigendum et recipiendum ab ipso D. Duce, et Comune prefato pecuniam antedictam, et ad recognoscendum dictam pecuniam conversam esse, aut debere converti in utilitatem Ecclesie predicte, scilicet in sanationem aut solutionem debiti antedicti, et ad faciendum finem, et remissionem de pecunia ipsa taliter persoluta, et generaliter ad omnia alia et singula que circa hec utilia et necessaria videbuntur. Promittens ipse D. Patriarcha se ratum et gratum habere perpetuo quidquid dicti procuratores, aut alter eorum fecerint, et procuraverint in premissis sub ypoteca, et obligatione omnium suorum, et dicte Ecclesie bonorum C. F. o.

N. 626.

1330 13 *Luglio Udine.*

Feudo concesso dal Patriarca a Bene di Sacile.

Gabriele da Cremona Not.

Die XIII. Mensis Julii. Utini, in sala inferiori Castri et Palatii Patriarchalis. Presentibus venerabili

viro D. Petro Mora de Mediolano Vicario D. Patriarche infrascripti, magistro Bonaventura medico qui fuit de Florentia habitatore Utini, magistro Francisco de Utino a Scolis, Francino de Laude notario ejusdem D. Patriarche, Nicholuscio q.m D. Schineti de Sacilo testibus, et aliis.

Coram Reverendo Patre D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha discretus vir Nicolaus q.m D. Dyetrici de Sacilo, qui nunc moratur Trivisii, pretio et foro nonaginta librarum denariorum Venetorum parvorum, quod totum fuit confessus et contentus se habuisse et recepisse a D. Bene filio q.m Alprenussii de Sacilo, renuncians exceptioni non habiti, non dati, non recepti ac sibi non numerati dicti pretii, tempore hujus contractus, et omni legum et juris auxilio tam canonici, quam civilis, omnique alii suo juri, actioni, exceptioni et defensioni, et rei sibi competentibus aut competituris, per se suosque heredes dedit, vendidit, atque tradidit jure recti et legalis feudi eidem D. Bene ementi et recipienti pro se, suisque heredibus et cui dare voluerit unum mansum jacentem in villa de Vigonovo cujus sedimen est in loco qui dicitur Cantonus, et regitur per Famolum. Cujus sediminis hii sunt confines: a mane terra Aymonis de dicto loco, a meridie et sero via pubblica, a monte terra S. Odorici de Sacilo. Item dimidium mansum jacentem in villa da Orzaglis qui regitur per Andream Canevesii: cujus sedimen hos habet confines: a mane terra hospitalis S. Johannis de Sacilo, a meridie labitur quedam aqua vocata Roya, et a sero et a

monte labitur quedam aqua que vocatur Orzaglis, ad habendum, tenendum et possidendum, et quidquid sibi suisque heredibus, et cui dare voluerint de dicto manso et dimidio perpetuo deinceps placuerit faciendum, cum omnibus suis accessibus, et ingressibus superioribus, omnique jure, actione, usu, seu requisitione, servitute, dominio et honore, comodo et utilitate supradicto venditori ex dictis manso et dimidio, aut ad ipsos modo aliquo spectante, aut pertinente de jure, aut de facto. Quos quidem mansum et dimidium supradictus venditor se prefati emptoris nomine possidere constituit cum ipsorum tenutam et possessionem acceperit corporalem; quam accipiendi, et auctoritate propria retinendi eidem emptori licentiam omnimodam contulit; et si dicti mansum et dimidium plus valerent pretio nominato, id totum dictus venditor donationis nomine, que nulla ingratitudine revocari possit, eidem emptori donavit, et dedit. Promittens dictus venditor per se, suosque heredes cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, et dampnorum omnium, et expensarum litis et extra refectione ac interesse, memorato emptori pro se, suisque heredibus, aut cui dare voluerit stipulanti, de dictis manso et dimidio per se, aut alium, seu alios litem aut questionem aliquam non movere, sed ipsos sibi ab omni homine, universitate, Ecclesia et persona legitime defendere, auctorizare, et manutenere, ac in solidum disbrigare; nunquamque contra predicta aut predictorum aliquod dicere, facere, aut venire ratione aliqua, dolo, ingenio sive causa, sub pena dupli valoris dictorum

bonorum, ut pro tempore plus valuerint et meliorati fuerint minus quinque Solidis Veronensium parvorum in singulis capitulis stipulata et promissa. Qua soluta aut non, presens Instrumentum obtineat plenum robur. Et idem venditor se nuncium fecit, et deputavit ad ponendum eundem Emptorem in tenutam et corporalem possessionem dictorum bonorum. Et tunc cum dicta bona sint feudum rectum et legale Ecclesie Aquilegensis, idem Nicolaus venditor renunciavit dictis manso et dimidio, ac juri, quod habet in eis in manibus ipsius D. Patriarche. Qua renunciatione recepta, ipse D. Patriarcha de feudo et mansis predictis prefatum Bene, tamquam vassallum suum et Ecclesie Aquilegensis, salvo semper jure ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, cum quodam Capucio presentialiter investivit. Qui Bene facta investitura predicta, solite ac debite fidelitatis juramentum prestitit, quod legalis vassallus domino suo prestare tenetur et debet. C. F. o.

N. 627.

1330 2 *Agosto Udine.*
Vendita della Grazia del Vino, e della Muta di Aquileja.

Gabriele da Cremona Not.

Die secundo mensis Augusti. Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. D.

Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicariis D. Patriarche infrascripti, ac Nobilibus viris D. D. Bernardo et Ossalcho fratribus de Strassoldo, Squarzutto de Manzano, magistro Francisco Nassutti not. de Utino, Magistro Condeo de Calio Medico testibus, et aliis pluribus.

Rev. Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha propter necessitates arduas incumbentes eidem, et pro diminuendis debitis, quibus multipliciter aggravatur, locationis titulo dedit, vendidit, et concessit discretis viris D. D. Berofino de Giroldis de Cremona Canonico Aquigensi, Bertholino de Urbino habitatori Aquilegie, et Hermanno de Utino filio q.m D. Mathie de Carnea ibidem presentibus et recipientibus tam pro se ipsis, quam pro quibuscumque eorum sociis, nec non pro suis, et ipsorum sociorum heredibus, aut cui, aut quibus dederint, et concesserint singulariter et communiter Gratiam vini quod de partibus Istrie ad partes Forijulii, vigore litterarum, que eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi per D. Ducem et Commune Venetiarum conceduntur, conducitur aut conduci consuevit et debet, et Mutam Aquilegie ad ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem spectantes, liberas, et expeditas cum omni fructu, lucro, utilitate, et commodo, et juribus ad ipsas spectantibus, aut provenientibus quomodolibet ex eisdem usque ad tres annos proxime venturos continuos et completos. Incipiente Muta predicta die septimo presentis mensis Augusti, et incipiente dicta Gratia vini eo tempore quo presentis anni concessio expirabit, seu

quando ab ipsis D. Duce et Commune Venetiarum ejusdem Gratie littere habebuntur. Ita quod ipsi D. Berofinus, Bertholinus, et Hermannus, et socii eorum, aut habentes ab eis, aut eorum aliquo causam et jus possint, et debeant, tamquam ipse D. Patriarcha usque ad dictum tempus trium annorum uti Gratia et Muta prefatis, illasque cum omni utilitate et juribus antedictis petere, exigere, et habere, et de ipsis lucro, et utilitate omnem suam voluntatem facere, sine contradictione ipsius D. Patriarche, et alterius cujuscumque persone. Pro quibus quidem Gratia vini et Muta prefatis, dicti D. Berofinus, Bertholinus, et Hermannus per se, suosque heredes steterunt, et promiserunt stipulatione solempni, dare, et solvere eidem D. Patriarche, et Camere sue Marchas mille centum et septuaginta denariorum frixachensium Aquilegensis monete usque ad proximum festum Assumptionis B. Virginis Marie, cum refectione dampnorum et expensarum factarum et passarum a dicto termino in antea, occasione predicta. Obbligantes Conductores prefati in solidum eidem D. Patriarche omnia sua bona mobilia et immobilia, presentia et futura, ita quod licitum sit eidem D. Patriarche de dictis bonis ubicumque illa invenerit, auctoritate propria, accipere, et accipi facere, et vendere usque ad satisfactionem integram pecunie memorate, cum refectione dampnorum et expensarum. Renunciantes legi de duobus reis debendi, privilegio fori, testium receptioni, et omnibus legum, consuetudinum, et statutorum auxiliis, quibus contra predicta, aut aliquod predictorum se possent defendere, quomodolibet aut tueri. Promittens ipse D. Patriarch

Conductoribus antedictis cum obligatione omnium suorum et Ecclesie Aquil. bonorum, Mutam, et Gratiam vini predictas eisdem manutenere, et defendere, ita quod tansitum suum et cursum liberum habeant consuetum, ac concessionem hujusmodi, seu venditionem ratam et gratam habere et ipsam nullo tempore revocare, seu illam eis auferre, et alteri dare, aut alteris tempore trium annorum predictorum. Hoc specialiter per pactum expresso, quod si durante tempore Concessionis et venditionis predicte contingeret dictam Gratiam vini per mare quocumque casu sinistro, notorio et manifesto impediri quomodolibet, aut turbari, ita quod non haberet transitum, aut conductum suum liberum, sicut debet, aut in cursu suo deficeret multum, aut modicum, aut in non habendo, aut tardando habere litteras dicte Gratie, seu si habentibus ipsis tale impedimentum prestaret, quod ipsis litteris uti non possent: et modo simili quod si medio tempore dictorum trium annorum strata impediretur propter guerram, ita quod dicta Muta non haberet cursum liberum et consuetum, per quod Conductores prefati dampnum caperent et defectum, ipse D. Patriarcha teneatur, et debeat dictis emptoribus providere super dampnis et defectibus antedictis, prout justum sit et decens, quando per ipsos fuerit requisitus ad arbitrium duorum bonorum virorum, eligendorum unus videlicet pro qualibet parte: aut in dimittendo eis post tempus predictum Mutam et Gratiam antedictas pro satisfactione debita defectuum predictorum; aut aliter componendo cum ipsis, prout dictis eligendis expediens videbitur et conveniens. Pro quibus omnibus et singulis

antedictis attendendis, et firmiter observandis obligavit simili modo dictus D. Patriarcha eisdem Conductoribus omnia sua et Ecclesie Aquileg. bona mobilia et immobilia, presentia et futura omni jure et modo quibus melius potuit. Promisit insuper idem D. Patriarcha antedictis locationem et venditionem prefatas per consensum sui Aquilegen. Capituli facere confirmari. C. F. c.

N. 628.

1330 6 *Agosto Cividale.*
Sentenza del Patriarca contro Paglia di Varmo.

Stefano da Cividale Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo trigesimo. Indictione tertiadecima, die sexto intrante Augusto. Coram Reverendissimo in Christo patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha in judicio per tribunali sedente, comparuit Martinus olim Scapini de Spignimbergh Utini permanens, dicens, quod cum haberet quendam mansum situm in villa de Mussons, in pertinentiis Madrisii, olim rectum per Blancum dicte ville, et nunc rectum per Martinum, dictum Mayrzonum qui fuit de Ragonea, D. Palia de Varmo sibi occupaverat violenter dictum mansum, et acceperat desuper quandum paleam, et alias convicerat per laudum et sententiam coram ipso D. Patriarcha ad dimittendum sibi in pace et quiete dictum mansum, et accipiendum de bonis ipsius D. Palee ad tressum cum

dampnis et expensis quod violenter acceperat super dicto manso, et habebat Johannem Bordonum Preconem Communis Utini in nuncium suum, et pro nuncio ad exequendum predicta. Cumque ipse Martinus cum dicto Nuncio suo vellet procedere contra ipsum D. Paleam, juxta vigorem sententie antedicte, ipse D. Palea potenter et manu armata invasit eos, ita quod vix potuerunt fugere, et ideo non potuit procedere contra ipsum, sicut sententiatum fuerat. Iterato cum nuncio ipsius D. Patriarche fecerat precipere ipsi Domino Palee, quod deberet dimittere dictum mansum, et satisfacere ad tressum de acceptis super dicto manso, ac solvere bapnum Curie, vel esse deberet hodie in Civitate coram ipso D. Patriarcha facturus suam scusam de predictis, et invasione predicta, facta per ipsum D. Paleam eidem Martino, in hora termini scuse; et nihilominus ipse D. Patriarcha miserat litteras affidantie datas eidem D. Palee: et ipse Martinus ante horam, et in hora termini scuse se presentaverit, et suam querelam interposuerit, et hora termini scuse advenerit, diutius expectato ipso D. Palea, et non comparente, nec aliquo ejus nomine, petivit ipse Martinus sententialiter peti quid juris. Super quibus querente dicto D. Patriarcha a circumstantibus quid juris, sententiatum fuit, quod ipse D. Palea debeat vocari sententialiter, ut moris est, per Johannem Bordonum preconem Communis Utini predictum. Facta relatione etc. adhuc non comparuit, quod si dictus Martinus probaret terminum predictum, et invasionem hujusmodi (ut probavit sententialiter per ipsum Preconem per sacramentum sui

Officii, et etiam litteras affidantie datas) ipse Patriarcha debeat dare, (et sic dedit) eidem Martino dictum Preconem in nuncium suum et pro nuncio, ut primo habeat ad ponendum ipsum Martinum in tenutam dicti mansi, et accipiendum de bonis dicti Palee ad tressum de acceptis per eum supra ipsum mansum, et banno Curie cum dampnis et expensis, et quod ipse D. Patriarcha cum fortia sua contra ipsum D. Paleam et ejus bona procedere debeat ad exequendum predicta taliter, quod sententie late coram eo mandentur executioni.

Actum in Civitate Austrie, in Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris Dominis Fratre Johanne Abbate Rosacensi, et Petro Mora Vicario ipsius D. Patriarche, Guilielmo Decano Aquilegensi, Guidone Civitatensi, et Odorlico de Strassoldo Plebano Lavariani, et Dominis milite Odorlico de Cucanea, milite Hectore de Savorgnano, Nicolao de Castello, Henrico, Bernardo, et Francisco de Strassoldo, Durigussio de Melso, Ulvino et Nicolao fratribus de Canusssio, Thomasutto de Pertinstagno, Simone de Chastilerio, Paulo q.^{m} D. Boyani, Philippo de Portis, Gulielmo q.^{m} Magistri Valterii, et Ugone q.^{m} D. Quontii de Civitate, Odorlico Notario, Federico Notario q.^{m} D. Galvagni, Francisco Notario Scolarum, et Federico Burella de Utino testibus, et aliis.

Et ego Stephanus filius magistri Antonii Candelarii de Civitate Austria Imperiali auctoritate Notarius publicus predictis omnibus interfui, et rogatus scribere, scripsi. A. C. U. c.

N. 629.

1330 12 *Agosto Udine.*
Sentenza di scomunica contro varj Parrochi, che non pagarono le collette.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Quia Ven. Pater D. Petrus Dei gratia Archiepiscopus Nazarenus, Plebanus Plebis S. Michaelis de Juna, Paulus Plebanus Plebis S. Stephani prope Cillam, Hermanus Plebanus Plebis in Nuchlendorf, Peregrinus, et Ulricus de S. Paterniano, Georgius Plebanus in Caimrich, Albertus Plebanus in Lint Herbardus Plebanus in Richimperge, et Peregrinus Plebanus in inferiori Globantz Aquilegensis Diocesis, semel, secundo, tertio, et peremptorie moniti collectas, sive partes collectarum impositas Plebibus seu Ecclesiis suis de annuis procurationibus Venerabilis Patris D. Bertrandi Dei Gratia Ostiensis, et Velletrensis Episcopi Apostolice Sedis in partibus istis Legati, solvere non curantes, interdicti, supensionis, et excommunicationis sententias in hujusmodi non solventes, et eorum Ecclesias generaliter promulgatas per ipsum Dominum Legatum incurterunt, et sic ligati, et in hujusmodi Ecclesiis interdictis sententias vilipendentes easdem non erubuerunt se immiscere divinis, in sua malitia, et contumacia gloriantes: Idcirco Nos Frater Joannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius Venerabilis Patris Domini Pagani Dei

gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, cui de predictis omnibus et singulis constat legitime, ipsius Domini Legati in hac parte, et prefati Domini Nostri Patriarche auctoritate suffulti, sedentes pro Tribunali, et in hiis scriptis ipsos, et ipsorum quemlibet excommunicatos, et irregulares sententialiter declaramus, et eorum Ecclesias interdictas. Et insuper quia hujusmodi sententias substinuerunt, et substinent animo indurato, ipsos hac nostra sententia, Ecclesiis, sive Plebibus jamdictis privamus, et ab eis perpetuo amovemus.

Lata, lecta, et publicata fuit dicta sententia ut supra per dictum Dominum Vicarium pro Tribunali sedentem Utini, in Patriarchali Palatio, Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXX. Indictione XIII. Die XII Mensis Augusti; presentibus testibus Venerabilibus Viris Dominis Petro Mora de Mediolano altero Vicario dicti Domini Patriarche, et Peregrino Plebano Plebis Sancti Pancratii in Vindisgrez Archid: Carinthie, Nobili Viro Domino Jannolo de la Turre de Mediolano, Cristophoro Cavallo Domicello, et Nicolao Tubatore dicti Domini Patriarche, et aliis. C. F. o.

N. 630.

1330

Notificazione dei Feudi di Arbordo di Plovia e di Meguardo di Lestans.

Hoc est Feudum quod ego Arbordus de Plovia habeo a vobis D. Pagano Dei gratia Aquilegensi Patriarcha, et de domo Aquilegensi.

In primis dimidium mansum situm in Plovia. Item in villa Vacili unum mansum et dimidium, salvo plus vel minus quod esse reperiretur. Hac conditione et forma: quod omni hora qua D. Patriarcha iret ad Curiam, ego cum aliis meis sociis ire tenemur cum ipso cum uno roncino de tribus marchis ad serviendum ei ad sedile, quando ad ocium suum ire vellet. Et hoc facere tenemur, si nos appellare facit, ad suas expensas, et victu et vestitu. Et si dictus roncinus obiret, D. Patriarcha tenetur hemere nobis unum meliorem.

Item istud est feudum quod ego Meguardus de Lestanso habeo a vobis D. Pagano Dei gratia Aquilegensi Patriarcha, et a domo.

In primis unum sedimen domus in villa Uşaci, et unum agrum in loco qui dicitur Vial. Item dimidium mansum in villa Vacili, salvo plus vel minus quod esse reperiretur. Et facere teneor pro ipso sicut Arbordus suprascriptus. A. C. U. o.

N. 631.

1330 16 *Agosto Predemano.*

Il Patriarca Pagano è scelto per arbitro nelle differenze vertenti tra la Contessa di Gorizia e i Signori dell' Istria.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xvi. mensis Augusti, apud villam Predemani, super ripa torrentis, et sub arbore nucis. Presentibus ve-

nerabilibus viris D.D. Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario D. Patriarche infrascripti, Fr. Mathia Abbate Monasterii Bellunensis, Guillelmo Decano Aquil. ac Nobilibus viris D. D. Jacobo milite de Cormono, Nicolao de Castello, Bernardo de Strassoldo, Biaquino de Mimlliano, Volvengo de' Turri de Gorizia, Ottone dicto Flaionardo de Cormono, Alberto notario de Goritia, Jacopo notario de Isnardo de Tervisio una mecum rogato super infrascriptis conficere instrumentum, et multis aliis.

Cum lites, questiones, et discordie diu verterentur et verse forent inter egregiam D. D. Beatricem illustrem Comitissam Goritie et Tirolis, et D. Griffonem de Reutemberg dicti Comitatus Capitaneum subditos, fideles, et servitores dicti Comitatus ex una parte, ac Nobiles viros D. D. Sergium Nassinguerram et Fulcherium de Castro Pole, Commune dicte Civitatis Pole, Maricos, Commune, et homines Adignani, Gastaldionem, Maricum, et Commune Castri de Valle, Capitaneum, Maricum, et Commune duorum Castrorum, ac Potestatem, Consilium, et Commune Albone ex altera, super guerris, homicidiis, dampnis, rapinis, incendiis, et spoliis factis hinc et inde per partes predictas, et servitores eorum; volentes dicte partes ad pacem et concordiam pervenire, et super litibus et questionibus hujusmodi finem imponi, ipse partes, videlicet dictus D. Griffo Capitaneus pro se, et Comitatu predicto, servitoribus et subditis ejusdem, nec non procurator, et procuratorio nomine D. Comitisse predicte ad hoc specialiter constitutus, prout constat publico

instrumento scripto per Jacobum notarium de Isuardo de Tervisio ex una parte, et Nobilis vir D. Nassinguerra de Castro Pole pro se, et Fulcherio nepote suo, nec non pro D. Sergio ejus consanguineo absente, qui promisit quod idem D. Sergius firmum, ratum, et gratum habebit compromissum hujusmodi, et quidquid ex compromisso sequeretur, et discreti viri Nicolaus Ferraresius notarius de Pola, Sindicus, et procurator D. Liberalis de Marano Vicarii Nobilis viri D. Ursii Justiniani Potestatis, Consilii, et Communis Civitatis Pole, sindicario et procuratorio nomine eorundem, ut patet publico Instrumento scripto manu Adalgerii notarii de Pola: Zamparius Veroldi de Adignano, Sindicus et procurator Johannis Zarde Marici, Communis, et hominum dicti loci, Sindicario et procuratorio nomine eorundem, prout de procuratorio hujusmodi constat publico Instrumento scripto per Castellanum de Verona notarium; Bertucius q.^m^ Magistri Justi de Vallis Sindicus et procurator D. Francisci Gastaldionis, Johannis Marici. Judicum, Communis, et hominum Castri de Valle Sindicario et procuratorio nomine eorum, prout constat publico Instrumento scripto manu Gabrielis Notarii, et Officialis dicti Castri de Vallis: et Arnostus q.^m^ Fabiani de duobus Castris Sindicus et procurator D. Andree de Forlivio Capitanei, Nicolai q.^m^ Machoardi, et Morucii q.^m^ Ambrosii Judicum, Communis, et hominum dicti loci duorum Castrorum, Sindicario et procuratorio nomine ipsorum, prout constat publico Instrumento scripto manu Pegorarii de Verona notarii ex altera parte, se, suis, et nominibus antedictis, libere, sponte, et pure commiserunt, et compromiserunt

in Rev. in Christo Patrem et D. D. Paganum Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcham ibidem presentem, et compromissum hujusmodi acceptantem, tamquam in arbitrum, arbitratorem, et amicabilem compositorem de omnibus litibus, et questionibus antedictis, dampnis, injuriis, incendiis, offensionibus, homicidiis et rapinis hinc inde illatis, et quocumque modo factis, usque ad presentem diem super facto spoliationis et destructionis murorum, domorum, turris et aliorum bonorum omnium existentium in Terra Barbane, et locis S. Vincentii, Plagne et Tabanellis. Remanentibus omnibus aliis et singulis in suo statu, secundum quod ordinatum fuit per prefatos Dominos Griffonem Capitaneum, Frat. Johannem Abbatem Rosacensem, Guillelmum Decanum Aquileg. et Hermacoram Marchionem Istrie, tempore quo fuerunt in partibus Istrie. Dantes et concedentes eidem D. Patriarche Arbitro et compromissario suo plenam et liberam potestatem arbitrandi, componendi, declarandi, sententiandi, pronunciandi, diffiniendi, et ordinandi inter partes predictas, et dictis partibus perpetuum silentium imponendi super dictis dampnis, injuriis, incendiis, et offensionibus antedictis dicte Terre Barbane, S. Vincentii, Plagne et Tabanelli predictarum, prout ipsi D. Patriarche placuerit, et videbitur expedire; presentibus partibus, et absentibus, citatis, et non citatis, stando, et sedendo, in scriptis, et sine scriptis, diebus feriatis, et non feriatis, ac quomodocumque, qualitercumque et quotiescumque voluerit, sibique videbitur expedire. Promittentes dicte partes, suis, et nominibus antedictis, et quelibet earum sibi invicem solempnibus stipulationi-

bus intervenientibus firmiter attendere, et inviolabiliter observare quidquid ipse D. Patriarcha super premissis et quolibet premissorum dixerit, sententiaverit, preceperit, declaraverit, ordinaverit, pronunciaverit et observari mandaverit inter partes predictas, et nullo tempore contrafacere, aut venire sub pena, et in pena mille librarum denariorum venetorum parvorum, hinc inde solempnibus stipulationibus, nominibus supradictis, promissa. Que totiens comittatur ac peti, et exigi possit cum effectu per partem attendentem et observantem omnia et singula supradicta pronunciata, ac diffinita a parte altera non servante, quotiens per eam contra predicta fieret, aut in aliquo veniret. Et pena soluta, aut non, omnia et singula supradicta in sua nihilominus permaneant firmitate. Pro predictis autem omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis, predicti Domini Griffo Capitaneus, Nassinguerra, ac Sindici et procuratores, nominibus quibus supra, obligaverunt sibi invicem, videlicet prefatus D. Griffo Capitaneus et procurator Domine Comitisse predicte eidem D. Nassinguerre et Sindicis antedictis omnia bona D. Comitis et Comitatus Goritie; et prefati D. Nassinguerra et Sindici eidem D. Griffoni Capitaneo et procuratori omnia bona eorum et dictorum Comtnunium, quorum sunt Sindici et procuratores. Renunciantes ad invicem super hiis doli, mali et in factum conditioni sine causa, aut injusta causa, beneficio restitutionis in integrum, appellationis et supplicationis remedio, litteris impetratis, et impetrandis. Et quod non possint reduci petere arbitrata, sententiata et declarata per D. Patriarcham arbi-

trum predictum inter partes predictas, ad arbitrium boni viri, omnique auxilio, beneficio, juri Canonico et Civili eis, aut alteri dictarum partium competenti, aut competituro. Que quidem partes et Sindici promiserunt manuali fide nomine sacramenti ex nunc, prout ex tunc ratum et gratum habere quidquid per dictum D. Patriarcham dictum, sententiatum, declaratum, arbitratum fuerit in premissis, et quolibet premissorum, et non contrafacere, aut venire aliqua ratione, aut causa. Insuper promisit predictus D. Capitaneus, suo et nomine D. Comitisse prefate, procurare cum effectu quod illustris D. D. Henricus Boemie et Polonie rex, dux Karintie, tutor A. Johannis Heurici illustris Comitis Goritie confirmabit, et ratificabit per suas patentes litteras omnia et singula antedicta, et que per compromissum hujusmodi consequerentur, et fient. Et modo simili prefatus D. Patriarcha promisit, quod Commune, et homines de Albona hujusmodi compromisso consentient, ac ratum et gratum habebunt quidquid sententiabitur, et fiet vigore compromissi prefati.

Quo quidem compromisso facto a partibus supradictis, et recepto ab ipso D. Patriarcha, idem D. Patriarcha, cognita voluntate utriusque partis, quam exquisivit segregatim ab utraque ipsarum, et volens illas ad plenam concordiam revocare, pronunciavit, et sententiavit inter eas pacem bonam et concordiam deinceps perpetuo duraturam. Ita quod predicti domini de Pola et aliorum locorum superius contentorum dent, et solvant predicto D. Comiti, seu agentibus pro eo

usque ad Carnisprivium proxime venturum pro refectione dampnorum datorum per eos in Terra Barbane intra ambitum murorum Turri et in ipsis muris dicte Terre, marchas quingentas solidorum, de quibus ipse D. Patriarcha taxationem faciet inter eos; et ita quod si dicta pecunia non solveretur in termino supradicto, teneantur reficere ipsi D. Comiti, aut agentibus pro eo omnia dampna, expensas, et interesse, que occasione ipsius pecunie non solute, modo aliquo substineret. Et insuper omnes actiones reales et personales, que ante pronunciationem presentem eidem D. Comiti et suis competebant, occasione dampnorum hujusmodi, sint in eo statu in quo, ut premittitur, erant ante ipsam pronunciationem. Promittens etiam ipse D. Patriarcha, manuali fide data prefato D. Capitaneo recipienti nomine quo supra', procurare cum effectu, quod ipsa pecunia in termino jam dicto solvetur, et super hoc dans eidem D. Capitaneo litteras suas patentes ejus sigillo munitas. Et insuper quod omnia dampna data per gentem D. Comitis, et Comitatus predicti in Terris S. Vincentii, Plagne et Tabanelli penitus sint extincta, et totaliter remissa. Item pronunciavit idem D. Patriarcha, quod soluta hujusmodi pecunia dicto D. Comiti, seu agentibus pro eo, nulla penitus remaneat inter ipsas partes, occasione predictorum dapnorum, actio hinc aut inde, et ex nunc ipse partes faciant sibi invicem remissionem de dampnis et injuriis supradictis. Remanentibus que dicta sunt superius, et que tractata fuerunt et ordinata per dictum D. Capitaneum, nomine dicti Comitatus, et per Ven. viros D. Fratrem Johannem Abbatem Rosa-

censem Vicarium ipsius D. Patriarche et Guillelmum Decanum Aquil. Decretorum doctorem, et nobilem virum D. Hermacoram de la Turre Marchionem Istrie pro parte ipsius D. Patriarche, et Ecclesie Aquil. pridie in Istria super aliis questionibus tam ipsorum dominorum de Pola et suorum, quam aliorum utriusque Dominii subditorum in suo statu, quibus per hanc sententiam non derogetur in aliquo. Et predicta precepit fieri, et servari ipse D. Patriarcha, presentibus ipsis partibus, sub pena, et in pena in compromisso contenta. Quam quidem sententiam dictus D. Capitaneus, nomine supradicto, et prefatus D. Nassinguerra, et Sindici, nominibus antedictis, approbaverunt, emologaverunt, et observare servare in omnibus et per omnia promiserunt; facientes sibi invicem dicte partes ex nunc finem, et remissionem perpetuam, et pactum de ulterius non petendo super premissis, juxta pronunciationem prefati D. Patriarche. Pro Communi vero, et hominibus de Albona pro quibus nullus interfuit compromisso, et sententie supradictis, ipse D. Patriarche promisit de rato habendo, et ratificando omnia pronunciata per ipsum, sub obligatione omnium bonorum suorum, et Ecclesie Aquilegensis.
C. F. o.

N. 632.

1330 16 *Agosto Udine.*

Convenzione di Pagano col Co: di Gorizia, riguardo ai danni recati dalla gente del Patriarca agli abitanti di Barbana.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Noverint Universi presentes litteras inspecturi, quod cum Magnificus Vir Dominus Griffo de Reutemberch Capitaneus Comitatus Goritie, nomine, et vice Illustris Domine Domine Beatricis Comitisse Goritie Matris et tutricis Domini Joannis Henrici Comitis Goritie filii sui minoris, et ipsius pupilli ex una parte, et Naxinguerra de Pola suo nomine, et nomine Sergii, et aliorum Consortum suorum, et Communis Pole, nec non Sindici locorum de Adignano, Castro Vallis, duorum Castrorum, et de Albona subditorum nostrorum de Istria ex altera parte; in nos Paganum Dei, et Apostolice Sedis Gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcham concorditer, et communiter compromiserint super dampnis, et injuriis datis, et factis per ipsos de Pola, et alios nostros subditos superius nominatos, ac eis super hoc adherentes in Terra de Barbana ad dictos Comitem, et Comitatum spectante, quam violenter pridem ceperunt et destruxerunt. Nosque pro bono pacis, et concordie, pro restitutione dampnorum hujusmodi sententialiter pronunciaverimus, ut usque ad carnisprivium proxime futurum prefati nostri subditi dent, et solvant prefato Comiti seu agentibus pro eo-

dem Marchas quingentas solidorum, et cetera que in instrumento ipsius nostre sententie continentur. Nos Patriarcha predictus promittimus per presentes Domino Capitaneo nomine quo supra recipienti procurare quod pecunia jam dicta in predicto termino persolvetur cum predictis dampnis et expensis, et interesse que ipsi Comes et agentes pro eo a predicto termino in antea substinerent, et eisdem Comiti, et Comitatui taliter assistere, quod illam cum predictis dampnis, expensis, et interesse integraliter consequentur. Et omnia alia servabuntur, que in predicta nostra sententia continentur, manuali de hoc ipsi Capitaneo fide data.

Datum Utini die xvi Augusti.

Anno м. ccc. xxx. Indictione xiii.

C. F. o.

N. 633.

1330 21 *Agosto Udine.*

Gli abitanti di Muglia promettono di pagare al Patriarca la Decima da lui comprata da Corrado di Remsimberch.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die xxi. mensis Augusti. Utini, in Patriarchali palatio. Presentibus testibus venerabili viro D. Guilielmo Decano Aquilegensi Decretorum Doctore, Nobilibus viris D. D. Bernardo de Strassoldo, Thomasutto de Pertistayn, Bernardo de Colloreto, Fedrigino olim D. Martini de la

Turre, et Antoniolo q.m D. Zonfredi de la Turre de Mediolano, Francino de Villanova de Laude Notario, et aliis.

Cum venerabilis pater D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha pro se, et Successoribus suis, et Ecclesia Aquilegensi emerit anno proxime preterito a nobili viro D. Conrado q.m D. Volrici de Remphimberch medietatem Decime de Mugla, que olim fuit q.m D. Volrici de Mimigliano, sicut constat per Instrumentum publicum factum manu mei Notarii infrascripti anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXIX. Indictione XII. die V. mensis Julii, discreti viri ser Stenus q.m D. Thome, et Pinamons q.m D. Bridoni de Mugla Sindici, et procuratores Communis, et hominum ipsius Terre, sicut apparebat per Instrumentum publicum factum manu Pasqualis filii ser Francisci Radoani de Mugla, imperiali auctoritate Notarii, et subscriptum per Philippinum q.m Ser Joseppi Vicedomini Mugle, ac per Jacobum Malpegli similiter Vicedominum, anno, et Indictione presentibus, die XIV. presentis mensis Augusti, ibidem exhibitum et ostensum, constituti in praesentia dicti D. Patriarche, nomine ipsorum Communis, et hominum, ac singularium personarum ejusdem Terre, promiserunt eidem D. Patriarche pro se, et Successoribus, suis, ac dicta Ecclesia Aquilegensi recipienti, solvere sibi, aut ejus nunciis hoc anno, et deinceps in perpetuum dictam Decimam, secundum quod solebat solvi antiquitus, sub obligatione omnium bonorum dicte Communitatis Mugle, et singularium personarum. Et ipse D. Patriarcha versa vice, nomine suo, et Successorum suo-

rum, ac Ecclesie memorate, promisit eisdem Sindicis, seu procuratoribus, nomine dictorum Communis, et hominum, ac singularium personarum dicte Terre recipientibus, quod si super dicta Decima, aut fructibus ejus in parte, aut in toto questio moveretur coram quocumque judice Ecclesiastico, aut seculari per aliquem, aut aliquos cujuscumque conditionis, aut status existant, ipsam questionem in se recipiet, eam tractabit, et defendet suis, et Ecclesie predicte sumptibus et expensis; illam faciet terminari, reficietque eisdem Communi, hominibus, et personis omnia dampna, expensas, et interesse que incurrerent communiter, aut singulariter occasione decime supradicte, si ab eo in judicio evinceretur sub ypotheca omnium bonorum suorum, et Ecclesie memorate. In cujus rei testimonium presens Instrumentum publicum fieri jussit, et sigilli sui, ac etiam Capituli Aquilegensis appensione muniri. C. F. o.

N. 634.

1330 23 *Agosto Cividale.*

Pagano invita i fedeli a soccorrere con delle Elemosine l' Ospitale di S. Spirito presso Gemona.

Eusebio da Romagnano Not.

Paganus etc. universis et singulis per Civitatem et Diocesim Aquilegensem constitutis, ad quos presentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam.

Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante

tribunal Christi recepturi, prout gessimus in corpore, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extreme nunc operibus prevenire, et id seminare in terris, quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firma spe, fiduciaque tenentes, quod qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum igitur Hospitale S. Spiritus prope Glemonam membrum hospitalis S. Spiritus in Sassia de Urbe, ubi esurientes pascuntur, sitientes potantur, nudi vestiuntur, infirmi visitantur, et alia exercentur opera caritatis, apud quod hospitale de Glemona dudum quasi consumptum propter guerras moraretur quidam Prior missus per presidentes jamdicto Hospitali de Urbe, qui et domos reficit, et Ecclesiam, et alia pietatis opera supradicta exercet, que erant ibidem extincta, et que absque nostro, et aliorum fidelium subsidio consumare non potest: universitatem vestram attente requirimus, et rogamus, vobis in vestrorum remissionem criminum injungentes, quatenus eidem Priori, si ad vos venerit, aut nunciis ejus pro eo, has nostras litteras deferentibus, ad tam pia opera exequenda vestras elemosinas, et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram valeat Hospitale hujusmodi reparare, et dicta pia opera consumare; vosque per hec et alia bona que Domino inspirante feceritis, ad eterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, et Beate Dei Genitricis Marie, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, nec non Sanctorum Martirum Hermachore et Fortunati, et omnium Sanctorum meritis et

intercessione confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eisdem Priori et Fratribus ad predicta exequenda manum porrexerint adjutricem, preter illas Indulgentias, quas a Sede Apostolica habere noscuntur, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Vobis universis et singulis Ecclesiarum Rectoribus et ministris in virtute sancte obedientie, et sub excommunicationis pena mandantes, quatenus Priorem ipsum, et Fratres, seu nuncios cum ad Ecclesias vestras venerint, benigne recipiatis, et tractatis eosdem, parrochianos vestros ad benefaciendum eis, quantum poteritis, inducentes. Sciturí, quod habent largas Indulgentias a dicta Sede Apostolica super votis emissis, et usuris, et rapinis, olim eis concessis. Presentibus post biennium minime valituris.

Datum Civitate Austrie, die xxiii. Augusti. Anno ut supra. C. F. o.

N. 635.

1330 2 *Settembre Gemona.*
Accordo e Pace fra l' Ab. di Moggio e i Signori di Castello.

Eusebio da Romagnano Not.

Die ii. Septembris. In Castro Glemone. In presentia ven. Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, D. Petri More de Mediolano, Dominorum Guilelmi Decani, et Ambrosoli de la Turre Canonici

Aquil. dominorum Carlevarii, et Antonioli de la Turre, Zannaccii de Scolariis de Florentia, et multorum aliorum.

Cum Ven. vir D. frat. Guibertus Abbas Monasterii de Mocio Aquil. Diocesis ex parte una, et nobilis vir D. Nicolaus de Castello pro se, et D. Johanne Francisco fratre suo ex altera, compromiserint pridie in ven. virum D. Fratrem Johannem Abbatem Monasterii de Rosaceo, D. Bernardum de Strassolto, et Francinum de Villanova de Laude notarium, de injuriis, et robariis factis ipsi D. Abbati per jamdictum D. Johannem Franciscum, et sequaces ipsius, sicut de compromisso hujusmodi constat per instrumentum publicum traditum per me Eusebium Notarium infrascriptum; et ipsis Dominis Abbate, Nicolao, et Jo. Francisco constitutis coram dictis arbitris, et sententiam super predictis expectantibus, jam dicti D. Abbas de Rosaceo, et Francinus arbitri, prefato D. Bernardo nolente concordare cum eis, et tollente se de medio, dixerunt, pronunciaverunt, et arbitrati fuerunt pro bono pacis et concordie inter dictas partes; visis, et diligenter examinatis extimationibus rerum ablatarum jamdicto D. Abbati Mosacensi, et super eis deliberatione habita diligenti, quod dictus D. Jo. Franciscus pro restitutione dictorum dampnorum, et rerum ammissarum, que restitute non sunt, dare debeat et solvere jam dicto D. Abbati infra festum B. Luce Evangeliste proxime venturum centum marchas Aquilegensis monete. Quibus solutis, ab ampliori solutione absolutus sit, et quietus; et ipse D. Abbas de Mocio pacem secum habeat, et omnem injuriam eidem remittat. Hoc addito, quod si de rebus in dicto dampno extimatis

aliqua infra dictum terminum restituerentur eidem D. Abbati, secundum quod extimate sunt, detrahantur de summa dictarum centum marcharum. Et hec omnia ipsi arbitri concorditer pronunciaverunt, sententiaverunt, et servari preceperunt, sub pena in compromisso apposita. Lata vero eadem sententia, statim predicti Domini Abbas, Nicolaus, et Johannes eandem emologantes, et approbantes sententiam, ac sententiatis obbedientes, pacem, et bonam voluntatem invicem reddiderunt manuali fide de servanda eadem concordia data, omni rancore deposito, et offerentes altera pars alteri servire amicabiliter in necessitatibus requisita. C. F. o.

N. 636.

1330 8 *Settembre Moggio.*

Sentenza di morte pronunciata dal Gastaldo e Giurati della Badia di Moggio, e consegna del reo in mano del Gastaldo della Carnia perchè detta sentenza venga eseguita.

Albertino Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXX. Indictione XIII. die octavo septembris. Ad eternam rei memoriam. Cum Hendricus q.^m Passarini de Triussigna pro homicidio, furto, et incendio, et pro pluribus maleficiis esset publice diffamatus, propter quod sibi male conscius reccesserat de Contrata, et Gastaldionis Officium, quam plus poterat, effugere satagebat,

tandem, duce peccato, una die, Mocium venire presumpsit, ubi per familtares Reverendi in Christo patris D. Giberti Dei et Apostolice Sedis gratia Mosacensis Abbatis captus fuit, et per Thomasinum q.m Marini de Mocio Gastaldionem D. Abbatis prefati, more solito, examinatus extitit diligenter, atque in judicium adductus coram juratis Monasterii. Eisque lecta, et perlecta, ac vulgariter exposita ipsius Hendrici confessione sponte facta, per juratos predictos, ut moris est, fuit sententialiter condempnatus ad mortem, ita quod suspenderetur ad furchas. Propter quod dictus Thomasinus Gastaldio misit per Gastaldionem Carnee, sive ejus Locumtenentem, ut ei traderet maleficum supradictum. Demum hominum de Mocio, de Resiutta, de Avedasso ac aliarum villarum circumstantium congregata multitudine copiosa, duxit dictum maleficum extra territorium Mosacense, usque ad locum qui dicitur rivus de Tolezo, ibique invenit Jacobum de Padua Vicarium magnifici viri D. Carnevalis de la Turre Gastaldionis in Carnea per venerabilem in Christo Patrem et Dominum D. Paganum Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham, per dictum Gastaldionum Mosacensis Monasterii, ut predicitur vocatum; cui Jacobo Thomaxinus antedictus maleficum memoratum suspendendum per gulam adeo quod moreretur tradidit per corrigiam, secundum quod hec omnia licent Monasterio Mosacensi ex Privilegiis, jurisdictionibus, et antiquissima consuetudine diutius observata.

Actum in Rivo de Tolezo predicto, anno, Indictione, et die prefatis. Presentibus Blaxio q.m Feracii,

Stephano Rugulini, Giuliano filio Martinussil Raymondo dicto Mondo, Fidele q.m Jachonetti, Johanne q.m Pellini, Bertolotto q.m Bonifantis de Venzono, Nicolao q.m Pachi de Venzono, et Pellegrino q.m Jachonetti de Venzono: et omnes supradicti sunt de comitiva dicti Jacobi; Johanne qui dicitur Poto, Papia, Mino fabro de Resiutta, Framento de Travessigna, Thomasino Pellizzario de Mocio, Marolo de Mocio, Lippo Salvini de Florentia, Merlio fabro de Mocio, Federicho Cuxinario de Mocio, et Jacomo ejus fratre, et aliis quampluribus ad hec vocatis et rogatis. A. D. U. o.

N. 637.

1330 14 *Ottobre Udine.*
Pagano conferma l' elezione di due Capellani nelle due Chiese del Castello di Udine.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice nativitatis M.CCC.XXX. Indictione XIII. die XIV. mensis Octubris. Utini, in Patriarchali Palatio; presentibus testibus Venerabilibus Viris dominis fratre Guiberto Abbate Monasterij Mosacensis, et Petro Mora de Mediolano Rectore Ecclesie Sancte Marie de Turri Mediolanensis diocesis Vicario infrascripti domini Patriarche, Fratre Bernardo de Novate Monaco Monasterij de Rosacio, Johanne de Laporta, et Thomasio de Anellis de Parma. Cum olim q.m Dominus Petrus habitator Castri Utini dum viveret de licentia bone memorie Domini Ottoboni Patriarche Aquilegensis dotaverit de bonis

propriis in Ecclesia sancte Marie ejusdem Castri Utini Altare per ipsum ibidem erectum in honorem beati Petri Apostolorum Principis, et in Ecclesia Sancti Laurentii ejusdem Castri similiter dotaverit Altare ejusdem Sancti Laurentii, et voluerit, ut ad ipsa altaria presententur singuli Presbiteri, qui Missas celebrent pro vivis et defunctis, domino Patriarche pro tempore existenti, prout in privilegio ejusdem Domini Ottoboni Patriarche inde confecto plenius dicitur contineri: Nobiles viri Domini Hector de Savorgnano Miles pro se et domino Frederico fratre suo ad dictum Altare Sancti Petri Presbiterum Peregrinum q.m Hendrici Carpentarij: et Domini Folcherius et Bellus de Savorgnano Presbiterum Bonissium de Grazzano ad dictum Altare Ecclesie Sancti Laurenti, sicut ad eos ex dicta ordinatione pertinet, Venerabili Patri Domino Pagano Dei gratia Patriarche Aquilegensi in ejus constituti presentia presentarunt, humiliter supplicantes eidem Domino Patriarche, quatenus dictos Presbiteros in Beneficiatos perpetuos dictorum Altarium instituere dignaretur. Qui dominus Patriarcha visa, ut dicebat, ordinatione predicta, et eam auctoritate ordinaria ratificans, et approbans, eosdem Presbiteros Peregrinum et Bonissium in perpetuos Beneficiatos, sive Capellanos dictorum Altarium, singulum videlicet illius Altaris, ad quod extitit presentatus, eadem auctoritate instituit. Ita tamen quod quilibet ipsorum observet omnia et singula, que per dictum q.m Dominum Petrum ordinata fuerunt. C. F. o.

N. 638.

1330 29 *Ottobre Udine.*
Nuovo prestito contratto dal Patriarca.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha dilectis filiis fratri Johanni Abbati Monasteri Rosacensis, Guillelmo Decano, et Berofino de Giroldis Canonico Aquil. ac Frederico de Savorgnano, et Franzolo de la Scala de Mediolano Utini commoranti, salutem, et omne bonum.

Presentium tenore omnibus facimus manifestum, quod vos nobis, ut pii filii, nostris compatientes necessitatibus, mutuastis nuper nonaginta marchas denariorum novorum Aquilegensis monete, nobis ad presens necessarias pro mittendo ad Romanam Curiam, ubi tenemur obligati Camere Dominorum nostrorum Dominorum Pape et Cardinalium, causa nostri Communis Servitii non soluti. Renunciantes exceptioni non recepte monete, et spei receptionis future, et quod probare teneamur pecuniam ipsam in utilitatem evidentem Ecclesie nostre conversam, omnique alio juri, quo adversus hujusmodi nostram Confessionem nos possemus tueri. Quam quidem pecuniam vobis promittimus reddere, et restituere integraliter et cum omnibus dampnis et expensis usque ad festum S. Michaelis proxime venturi. Obligantes vobis pignore omnia bona nostra, et omnes nostros redditus; maxime pro-

ventus Mutarum nostrarum, quas, tu Frederice, cum sociis tuis tenes, et pecuniam quam recipere debemus a nobilibus viris Pregonia et Bartholomeo de Spinimbergo fratribus, usque ad integram satisfactionem pecunie memorate. In cujus rei testimonium presentes vobis concedimus sigilli nostri appensione munitas.

Datum Utini, die xxviiii. Octobris. Indic. xiii. C. F. o.

N. 639.

1330 6 *Novembre Aquileja.*
Pagano accorda in feudo alcuni beni a Grifone di Reutemberch Capitano di Gorizia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

m. ccc. xxx. Indictione xiii.

Die vi. Novembris, Aquilegie, in Patriarchali Palatio. Presentibus Venerabilibus viris dominis fratre Johanne Abbate Rosacensi, et Guilelmo Decano Aquilegensi, nobilibus viris dominis Asquino de Colloreto, et Bernardo de Strassolto, ac dominis Alberto, et Hendrico de Goritia Notariis.

Infrascriptus Dominus Patriarcha fecit investituram, et concessionem subscriptam.

Paganus Dei et apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha Nobili Militi amico nostro dilecto domino Griffoni de Reutemberch Capitaneo Comitatus Goritie salutem, et sincere in Domino dilectionis affectum. In nostra proposuistis presentia constituti, quod ex con-

cessione vobis, fratribus, et nepotibus vestris facta ex causa obligationis per illustrem Ducem Karinthie habentem, ut dicitur, causam ab ecclesia Aquilegensi, diutius quedam bona tenuistis, et tenetis in Marchia Sclavonica Diocesis Aquilegensis, videlicet in plebibus Sancti Viti dicte Marchie; in Creilant, in Trefen, in Honchstain, quosdam Mansos circa centum, desolatos tamen, et male possessos, et aliquas decimas in eisdem Plebibus, sive Parochiis earumdem, que omnia jam multis annis non fuerunt per nostros Predecessores possessa, que ut vestra magis serenaretur conscientia, et nos, ac eadem nostra ecclesia, in possessione et dominio remaneamus illarum, petistis per nos investiri de ipsis. Nos autem habito super hoc Capituli nostri Consilio, et assensu, ac etiam deliberatione matura, volentesque vobis ob devotionem, quam ad nos et Ecclesiam nostram predictam habuistis retroactis temporibus, et habetis, et grata acceptaque servitia per vos exhibita nobis, et eidem Ecclesie, et que speramus imposterum exhiberi super predictis, in quantum cum Deo et justitia possumus complacere: predicta omnia cum suis juribus, jurisdictionibus, dominiis, et universis ad illa spectantibus, que videlicet sunt, vel reperirentur fuisse, et esse feudalia in feudum, alia vero solum ad vitam nostram, seu ad illud tempus quod possumus de jure, vobis et eisdem fratribus, et nepotibus ducimus pro nobis, et eadem Ecclesia concedenda, vosque de ipsis presentialiter investimus. In cujus rei testimonium presentes per manum publicam fieri jussimus, et sigilli nostri appensione muniri. Actum, et datum Aquilegie, die predicto. C. F. o.

N. 640.

1330 7 *Novembre Aquileja.*
Elezione dell' Abbate del Monastero d' Isola.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die VII. Novembris, Aquilegie, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus Dominis Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Guilelmo Decano Aquilegensi, Francisco Preposito S. Odorlici juxta Tulmentum, Petro Mora Rectore Ecclesie S. Marie de Turre, Mediolanensis Diocesis, Hugone q.m D. Concii de Civitate Austria, et aliis.

Cum vacante nuper Monasterio S. Petri de Insula, Parentine Diocesis, subjecto immediate D. Patriarche Aquilegensi, per obitum q.m Fratris Mingossii ejusdem Monasterii Abbatis; ven. pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, ad quem ejusdem Monasterii provisio pertinet pleno jure, tum ex antiqua consuetudine, tum quia nullus in Monasterio ipso est Monachus, nec alia persona, que potestatem habeat eligendi, cupiens eidem Monasterio providere, ne diuturne vacationis detrimenta sustineat; suos in providum virum Fratrem Bernardum de Novate, Monachum Monasterii Rosacensis honestum, litteratum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, regulam S. Benedicti expresse professum, et in Monasterio suo laudabiliter conversatum, oculos sue mentis direxisset: ipsum Fratrem Bernardum, per cujus prudentiam sperabat Monasterium hujusmodi

laudabiliter regi, et fideliter gubernari, in Abbatem eidem Monasterio prefecit pariter et instituit; ipsumque per anulum suum de Abbatia, et regimine ipsius Monasterii presentialiter investivit. Qui Fr. Bernardus volens, ut tenetur, prefato D. Abbati Rosacensi reverentiam debitam servare, et sine licentia ipsius nullatenus consentire provisioni jamdicte, ipso D. Abbate ibi presente, et ad partem aliquantulum segregato, petivit ab eo consilium super suo assensu prestando ipsi provisioni. Cui responsum extitit per ipsum D. Abbatem, quod consideratis omnibus que circa hujusmodi negotium sunt attendenda, consulebat ei, ut provisioni eidem consentire deberet. Cum in consensu multipliciter moraretur, ut liberius valeret onus suscipere memoratum, suum idem D. Abbas, ei assensum prestitit pariter et consensum transeundi ad hujusmodi Monasterii regimen sibi licentiam plenariam concedendo. Qua licentia habita, idem Frater Bernardus, flexis genibus coram predicto D. Patriarcha provisioni jamdicte humiliter et devote consensit. C. F. o.

N. 641.

1330 9 *Novembre Faedis.*
Pratiche di accomodamento tra Ropreto e Rizzardo di Tercano.

Lupo Not.

Die nono intrante Novembri. In domo Communis de Cucanea. Presentibus D. Presbitero Alberto Capella-

no D. Odorlici militis de Cucanea; D. Symone de Budrio q.^{m} D. .... D. Johanne de Cucanea q.^{m} D. Adalprety, Guargintino Gastaldione D. Odorlici de Cucanea, Leonardo dicto Clerico de Cucanea q.^{m} Albrici testibus, et aliis.

Cum D. Ropretus de Derchano ex una parte q.^{m} D... et D. Rizardus ejusdem loci q.^{m} D. ... ex alia, occasione cujusdam questionis, que inter dictas partes ventilari dicitur, occasione captivationis persone dicti D. Ropreti, et perditionis facte in obsidione seu excursione facta ante Castrum et Terram eorum, de qua quidem perditione, et captivatione dictus Rizzardus participare tenetur, prout credi dicitur per dictum D. Ropretum, licet per dictum D. Rizardum non confiteatur, ymo secus credatur, in Dominos Odorlicum de Cucanea, et Federicum de Murutio, et Franciscum de Derchano, seu alia occasione quacumque compromiserunt usque ad proximum festum S. Martini, prout in quodam Instrumento manu Magistri Parisini notarii facto sub anno Domini millesimo, Indictione, die et loco etc. dicitur plenius contineri, dictus D. Odorlicus de Cucanea non valens in dicto termino ad dictam questionem attendere, nec potens propter suas negotiationes arduas, usque ad proximum diem Carnisprivii elongavit, auctoritatem longandi et breviandi semper in se reservando. **A. N. U. o.**

N. 642.

1330 30 *Novembre.*
Nuova procura per l' assoluzione dalle Censure Ecclesiastiche.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Cum ven. Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha teneatur Camere D. D. Pape et Cardinalium, occasione Communis Servitii, provisionis sue, et Predecessoris ejusdem in dicta pecunie summa, et pro solvenda parte ipsius summe pecunie miserit predictis per manus merchatorum tria millia florenorum auri, ac ven. viros D. Oldradum de Ponte de Laude legum doctorem, et Ludovicum de la Turre Canonicum Aquil. in Romana Curia commorantes, et utrumque ipsorum in solidum suos procuratores fecerit ab solvendum dictam pecuniam, et ad recipiendum a Dominis Camerariis dictorum Dominorum Pape et Cardinalium confessionem, et quietationem de soluto; nec non ad promittendum ipsis D. Camerariis, nomine ipsius D. Patriarche, et sub obligatione bonorum suorum, et Ecclesie Aquilegensis, ac etiam sub penis quibuscumque, quas ipsi D. Camerarii voluerint, et firmandum per juramentum in ejus animam de solvendo annuatim infra festum Nativitatis Domini, festo proxime venturo excepto, mille florenos auri, usque ad completam solutionem debiti memorati: ad petendum quoque humiliter et devote ab eisdem Dominis Camerariis, et a quibuscumque aliis relaxationem sen-

tentiarum, et processuum, sententias et penas continentium, factorum per eosdem, occasione hujusmodi debiti, et etiam obtinendum dispensationem cujuscumque excommunicationis, aut irregularitatis, quas incurrisset, seu contraxisset hac occasione, et ad alia, que circa predicta erant facienda, etiam si mandatum speciale in aliquo requirebant: Dans eisdem Procuratoribus, et utrique eorum in solidum in predictis, et dependentibus ab eis, liberam et generalem administrationem, et liberum et generale mandatum. Et propter discrimina viarum, et guerrarum pericula cum dubitet ipse D. Patriarcha ne procuratorium hujusmodi pervenerit, ad majorem cautelam ratificans, et approbans, si quid forte per eosdem Procuratores in predictis factum est, et deinceps facient, mandatum et procuratorium hujusmodi per omnia renovavit. Presens eis Instrumentum publicum sigilli sui appensione munitum transmittens: ac promittens mihi Notario infrascripto publico nomine, et vice dictorum dominorum Camerariorum, et Ecclesie Romane, ac omnium quorum interest, aut intererit, se ratum, et gratum habiturum perpetuo quidquid per eosdem procuratores suos, aut alterum ipsorum actum est, et fuerit, sive gestum, sub ipotheca bonorum suorum. C. F. o.

N. 643.

1330 5 *Dicembre Bologna.*

Il Cardinale Legato comunica al Patriarca la Bolla Pontificia colla quale è prorogata ad altro biennio la riserva de' Benefizj vacanti nelle Chiese Cattedrali e Collegiate.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Bertrandus miseratione divina Ostiensis ac Velitrensis Episcopus, Apostolice Sedis Legatus Venerabili in Christo Patri ... Dei gratia Patriarche Aquilegensi, salutem in Domino. Cnm Sanctissimus Pater, et Dominus noster D. Johannes, divina providentia, Papa xxII. litteras prorogationis Reservationis Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum Provincie vestre nobis nuper duxerit destinandas; Paternitati vestre, tenore presentium, committimus, et mandamus quatenus predictas litteras, quarum tenor inferius annotatur, faciatis per dictam Provinciam in locis, de quibus expedire videritis, omnibus publicari. Tenor autem predictus talis est.

Johannes Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Circa statum partium Italie salubriter, auctore Domino, dirigendum convertentes dudum studia nostre mentis, et cupientes, ut in Ecclesiis partium earumdem Cathedralibus et Collegiatis, secularibus et Regularibus, tales per Apostolice Sedis providentiam circumspectam Prelati preficerentur et Rectores qui no-

bis et Sancte Sedi predicte fideles existerent et devoti, ac scirent, et possent eisdem preesse utiliter Ecclesiis et prodesse; his, et aliis certis causis rationabilibus, que ad hoc nostrum animum induxerunt, omnes et singulas Cathedrales, et Collegiatas Ecclesias Civitatis, et Diocesis, ac Provincie Aquilegensis, per biennium prorogando successive usque ad instantes Kalendas Aprilis de biennio in biennium per diversas nostras litteras inde confectas, provisioni nostre, et ejusdem Sedis Auctoritate Apostolica duximus reservandas. Districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos provisio, electio, postulatio, seu quevis alia dispositio Ecclesiarum ipsarum alias pertinebat, ac ad provisionem, electionem, postulationem, vel aliam predictarum Ecclesiarum dispositionem procederent quoque modo: ac decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et insuper volumus et decrevimus per litteras novissime Reservationis et prorogationis hujusmodi, reservationem eamdem ad seculares et Regulares, tam Cathedrales, quam Abbatiales, et alias quascumque Collegiatas, preterquam Monialium, et aliarum mulierum Religiosarum Ecclesias exemptas, et non exemptas dictarum Civitatis et Diocesis, et Provincie, quibusdam declarationibus alias factis super hoc non obstantibus, extendendam. Cum autem terminus ultime reservationis per nos facte instare noscitur, nos eisdem moti considerationibus et inducti, Reservationem, inhibitionem, voluntatem, et decretum predictum usque ad duos annos ab eisdem Kalendis Aprilis proxime instantis, auctoritate Apostolica, tenore presentium, modo et forma expressis

superius extendimus, ac etiam prorogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre extensionis et prorogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione v. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno xiii.

Datum Bononie, Nonis Decembris, Pontificatus ejusdem D. Johannis Pape xxii. anno xiv. C. F. o.

N. 644.

1330 5 *Dicembre Cividale.*

Difesa di Frate Antonio per aver accolto nella sua Chiesa il Cadavere di uno scomunicato.

Landuccio Not.

Die v. intrante. Decembri. In Civitate Austria, in Ecclesia S. Francisci. Presentibus D. Paulo Boyani, Volvino q.^m^ D. Candidussii, Philippo q.^m^ D. Ossalchi, Bartholomeo filio Jacobutii testibus, et aliis.

Religiosus vir Frater Antonius Vardyanus Ecclesie S. Francisci, Ordinis Fratrum Minorum de Civitate interposuit, et dixit infrascripta: quod cum Petri ibidem mortui corpus in dicta Ecclesia esset receptum, et accusaretur quod ipse non solvisset Ecclesie Civitatensis jura, et excommunicatus esset per Capitulum, ut dicebatur, idem Frater Antonius Vardyanus recepit ipsum corpus tanquam verum, et fidelem amicum Dei rationibus in-

frascriptis. Primo quod dictus Petrus diligenter a Sacerdote suo D. Winerio Corpus Christi, et Penitentiam, et Sacramenta Ecclesie, sicut fidelis quilibet homo receperat. Secundo quia dictus D. Winerius presens sibi dixerat, quod habuerat sigillum D. Decani, et Ecclesie predicte, ut ipsum Petrum absolveret ab omni excommunicationis vinculo. Tertio quod Capitulum debet se tenere ad heredes ipsius Petri, qui habent et possident bona ipsius; et ibidem respondit, et legit quandam Decretalem, que sic incipit etc.... A. N. U. o.

N. 645.

1330 6 *Dicembre Udine.*
Investitura nel Castello di Udine accordata ad Endriotis.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die sexto mensis Decembris. Utini, in Castro Patriarchali, in domibus q.^{m} Benoardi de dicto Castro. Presentibus nobilibus viris D. Antoniolo filio q.^{m} D. Zonfredi de la Turre de Mediolano, Federico q.^{m} D. Constantini, Guarnerio filio D. Hectoris de Sevorgnano, Hermano filio q.^{m} D. Mathie de Carnia, Fanta de S. Daniele testibus, et aliis.

Constitutus coram Rev. Patre D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha discretus vir Hendriotis filius q.^{m} D. Federici de Hendriotis de Castro Utini, se humiliter investiri petiit ab ipso D. Patriarcha de duobus sediminibus sitis in Castro Utini simul contiguis

eum parte montis dicti Castri ad dicta sedimina spectante; que quidem sedimina sunt Feudum Habitantie D. Patriarche, et Ecclesie Aquil., et que ex certo pretio, sicut asserit, habebantur a q.m Domina Leonardina filia q.m D. Hermani de Tricesimo olim habitatoris Castri predicti. Quibus sediminibus choeret ab una parte, videlicet inferiori descendendo de castro predicto, domus Jacobini de Paona habitatoris dicti Castri, que fuit q.m D. Bennati de dicto Castro; a parte vero superiori ascendendo Castrum predictum est quoddam sedimen similiter habitantie, que fuit q.m D. Leonardine predicte, et que olim fuit D. Federici Varbiti de Utino. Qui D. Patriarcha audita petitione Hendriotis predicti, volens libenter condescendere votis suis, prefatum Hendriotem recipientem pro se, et heredibus suis de dictis duabus habitantiis, seu sediminibus vacuis cum parte montis predicti, per capucium, quod habebat in manibus, suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, investivit: ejusdem tamen Ecclesie, et cujuscumque persone juribus semper salvis. Et tunc idem Hendriotes solitum ac debitum fidelitatis juramentum prestitit, quod verus habitator domino suo prestare tenetur.
C. F. o.

N. 646.

1330 9 *Decembre Udine.*
Feudo ministeriale accordato dal Patriarca a Stefano Delabaden di S. Vito.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die Dominico nono mensis Decembris. Utini, in Castro Patriarchali. Presentibus venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario D. Patriarche infrascripti, ac Nobilibus viris D.D. Hectore milite de Utino, Lanzaroto de Birago Gastaldione S. Viti, Antoniolo de la Turre de Mediolano, Obizino Malamoscha, et aliis pluribus.

Reverendus in Christo Pater et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha volens Stephano Delabaden, qui moratur in S. Vito, propter bonitatem ipsius, et devotionem quam habuit semper, et habet ad ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem, gratiam facere spetialem, feudum ministeriale pro quo servit coquine D. Patriarche, vacans per mortem q.m Johannis de Pisclac per se, et Successores suos, suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, eidem Stephano ibidem presenti concessit, et dedit, ac eum de dicto feudo ministeriali per capucium, quod habebat in manibus, liberaliter investivit, ut amodo dictus Stephanus dicto feudo deservat, et debitum fideliter impendat officium, ac Coquine jam dicte servitia exibeat, consueta. C. F. o.

N. 647.

1330 9 *Dicembre Udine.*
Feudo accordato dal Patriarca a Endrico e Bertulo di S. Daniele.

Gabriele da Cremona Can. P.

Eisdem die, loco, et testibus. Accedens ad presentium Reverendi patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, discretus vir Franciscus de Zigliaco pure, sponte, et libere renunciavit in manibus ipsius D. Patriarche, eidem habitantie sue in Castro S. Danielis, que olim fuit Federici de Castro Raymundi filii q.^m^ Blausi, cum ortali et Curia domui, seu habitantie predicte contiguis, ac omni juri quod habebat in ipsa. Quam quidem renunciationem idem D. Patriarcha suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine suscepit, et acceptavit. Facta igitur et acceptata renunciatione predicta, idem D. Patriarcha, volens complacere discretis viris D. D. Hendrico et Bertulo Fratribus, filiis q.^m^ D. Tomasii de S. Daniele habitatoribus suis, dictos Dominos Hendricum et Bertulum fratres ibidem presentes pro se ipsis et heredibus suis recipientes de domo, aut habitantia antedicta cum curia et ortali predictis sibi contiguis taliter resignata, presente et consentiente Francisco de Zigliaco predicto, per se, suosque Successores, ac suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine investivit. Ita tamen quod quandocumque idem D. Patriarcha, et Successores sui, seu familia sua ad Ca-

strum S. Danielis accederet, dicta domus sibi aperiatur, et donec ibidem permanserit, concedatur. Preterea ipse D. Patriarcha investivit prefatum D. Bartolum humiliter postulantem. C. F. o.

N. 648.

1330 10 *Dicembre Udine.*
Investitura di Pergonia di Spilimbergo.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die decimo mensis Decembris. Utini, in Castro, et Palatio Patriarchali. Presentibus venerabili viro D. Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario infrascripti D. Patriarche, ac Nobilibus viris dominis Odorico de Cucanea, Artico de Prampergo, Hectore de Utino militibus, Bernardo de Strassoldo, Odorico de Villalta, Asquino de Coloreto, Federico de Murutio, Francisco de Manzano, Sagino de Parma Gastaldione Civitatis, Hermanno Not. q.^{m} Zambonini de Glemona testibus, et aliis pluribus.

Accedens ad presentiam Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, Nobilis vir D. Pergonia miles natus q.^{m} D. Gualterbertholdi de Spegnimbergo se suo, et D. Bartholamei fratris sui nomine, de quibuscumque Feudis et juribus feudalibus spectantibus ad domum de Zuchula, et domum de Spegnimbergo, que habent, et habere noscuntur ab Aquilegensi Ecclesia, et sui progenitores hactenus habuerunt, petiit ab ipso D. Patriarcha humiliter

investiri. Qui D. Patriarcha petitionem ipsius D. Pergonie tamquam rationabilem et justam admittens, prefatum D. Pergoniam recipientem pro se, et D. Bartholomeo Fratre suo de omnibus feudis, et juribus feudalibus, que habent ab Aquilegensi Ecclesia, et de quibus ipsi, et progenitores sui fuerunt hactenus investiti, spectantibus ad domum de Zuchula, et domum de Spegnimbergo, per capucium, quod tenebat in manibus, suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, liberaliter investivit. Qui D. Pergonia facta investitura predicta, pro se, et D. Bartholomeo fratre suo jam dicto promittens de rato habendo, fidelitatis debite juramentum solitum corporaliter prestitit. Jurans ad Sancta Dei Evangelia, quod semper erit fidelis et obediens dicto D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensi, et Successoribus suis Canonice intrantibus, non erit in dicto, aut facto ubi vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione: res, jura, et honores Ecclesie Aquil. et Patriarcharum ejusdem fideliter, juxta posse suum, conservabit, et manutenebit. Et si quid senserit tractari, aut machinari quod in periculum, seu dampnum D. Patriarche, jurium et honorum Ecclesie Aquil. posset quoque modo converti, illud obviabit toto posse, et quo citius poterit D. Patriarche notificare curabit. Et quidquid sibi sub fide et credentia impositum fuerit ab eodem, secretum fideliter retinebit. Et generaliter puram et meram fidelitatem sibi, et Successoribus suis reddet, quam fidelis vassallus, et ministerialis domino suo reddere tenetur et debet, in omnibus et singulis que in hujusmodi fidelitatis debito continentur. C. F. o.

N. 649.

1330 10 *Dicembre Udine.*
Si stabilisce nel Parlamento di non contrarre alcuna alleanza in pregiudizio del Patriarcato.

Eusebio da Romagnano Can. P.

In nomine Domini Amen. Congregatis ac convenientibus in unum, juxta Colloquii provisionem, et ordinationem die x Decembris, facti et celebrati in Campiformio, apud Ecclesiam S. Canciani, omnibus et singulis Consiliariis infrascriptis per dictum Colloquium electis simul cum D. Patriarcha in loco infrascripto, habentibus plenam et omnimodam potestatem a dicto Colloquio traditam cum D. Patriarcha predicto consulendi, ordinandi, providendi et reformandi tam super omnibus et singulis in dicto colloquio propositis, quam super aliis quibuscumque utilibus, necessariis, opportunis pro bono statu Ecclesie Aquil. et totius Terre Forijulii; ita quod quidquid per dictos Consiliarios consultum, provisum, statutum, et ordinatum extiterit simul cum D. Patriarcha, sic vim, et plenum robur obtineat, ac si per totum Colloquium factum esset, videlicet:

Dominis fratre Johanne Ab. Monasterii Rosacensis, et Guidone de Manzano Decano Civitatensi pro Prelatis electis; Bernardo de Strassoldo, et Odorico de Villalta pro Liberis electis, Odorico de Cucanea, Pregonia de Spilimbergo, Artico de Prampergo militibus, Asquino

de Colloreto, Odorico de Murucio, Hendriguccio de Villalta, et Ossalcho de Strassoldo pro Ministerialibus electis; Hectore de Utino milite pro Communitate Terre Utini, Hermanno Zambonini de Glemona pro Communitate Glemone, et Johanne Guassono de Aquilegia pro Com. Aquilegie electis; inter ceteras provisiones et ordinationes factas ibidem pro utilitate communi, conservatione honoris et status D. Patriarche, et Ecclesie Aquil., ac totius Terre Forijulii fidelium servitorum, et subditorum ejusdem Ecclesie: dicti Consiliarii simul cum D. Patriarcha predicto, et ipse D. Patriarcha simul cum eis promiserunt ibidem communiter et concorditer, et firmaverunt inter se per fidem, qua tenentur Ecclesie Aquilegensi, quod nullam confederationem, ligam, vel unionem facient cum aliquibus personis, nec pacta aliqua, seu tractatus inient, que contraria sint honori, et statui Ecclesie Aquilegensis, et Terre Forijulii, et per que status Terre Forijulii .... valeat violari quomodolibet et corrumpi: statuentes, et ordinantes communiter, et concorditer, quod examinetur si quis ipsorum, aut aliquis alius fidelis subditus, et servitor Ecclesie Aquilegensis presumpserit modo aliquo confederationem, ligam, seu unionem, pacta, vel tractatus aliquos contra premissa taliter statuta et ordinata, et ipso jure privatus sit Feudo, et proprio quod habet ab Ecclesia Aquilegensi, et in partibus dicte Ecclesie subjectis, et de terra Forijulii, et locis dicte Ecclesie perpetuo sit bannitus. Promittentes communiter eidem D. Patriarche quod astabunt contra talem, aut tales delinquentes.

Mandantes quod hujusmodi Statutum redigatur in

scriptis, et totius Colloquii vigorem obtineat. Acta fuit et statuta reformatio predicta Utini, in Castro et Palatio Patriarchali, die decimo mensis Decembris. In quo quidem loco, et reformationi predicte interfuerunt etiam D. Petrus de Petra Pilosa, Federicus dictus Pizolus de Mels, Franciscus de Manzano, et Saginus de Parma Gastaldio Civitatensis, qui predicta modo simili promiserunt. A. C. U. c.

N. 650.

1330 16 *Dicembre.*
Investitura feudale data dal Patriarca alle figlie del q.^{m} *Nicolò Cori.*

Gubertino da Novate Can. P.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXX. Indictione XIII. die XVI. mensis Decembris. Presentibus venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario, et Gabriele de Cremona notario D. Patriarche infrascripti, ac Guilelmino de Gruario, et Castellino Malacride de Mediolano habitatore S. Viti testibus, et aliis ad hec specialiter vocatis et rogatis.

Constitutus in presentia Reverendi Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche discretus vir Franciscus q.^{m} D. Maynardi de Valvasono tutor Novelle, Agnetis, et Subette sororum, filiarum q.^{m} Miculi q.^{m} Henrici Cori de Civitate, petiit, et humili-

ter supplicavit eidem D. Patriarche, quod ipsum, tutorio nomine pupillarum predictarum, investire dignaretur de bonis infrascriptis que dictus q.m Miculus habebat, et tenebat tempore vite sue in feudum rectum et legale ab Ecclesia Aquilegensi. Qui D. Patriarcha petitionem suam benigne admittens, eundem Franciscum, tutorio nomine puellarum predictarum, de bonis hujusmodi ad rectum et legale feudum, sicut olim habuit dictus q.m Miculus, cum uno caputio, quod in suis tenebat manibus, per se, et suos Successores, nomine Aquilegensis Ecclesie, presentialiter investivit, salvo jure Aquilegensis Ecclesie. Hoc tamen addito per dictum D. Patriarcham, quod si contigerit ipsas puellas nubere velle, nubant servitoribus et subjectis Ecclesie Aquilegensis, qui statim post hujusmodi connubium de bonis predictis feudalibus se per dictum Dominum Patriarcham Aquilegensem faciant investire, et ipsi Domino Patriarche, et Ecclesie juramentum fidelitatis prestent, quod in talibus prestari consuevit per vassallos.

Bona vero feudalia prenominata sunt hec: in primis dimidietas unius mansi jacentis in villa S. Viti, in Contrata que dicitur Roja, quam dictus q.m Michulus a modico tempore citra emit ab Odorico dicto Plebano habitatore Castri Utini. Item unum sedimen cum domo et clausura vinea plantata, ac uno campo in dicta contrata de Roja, quod emit a Johanne dicto Pincerna de S. Vito.

Actum in palatio Patriarchali. A. M. U. c.

N. 651.

1330 18 *Dicembre Udine.*
Pace tra Federico della Torre ed Artico di Pramper-go e fratelli.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die martis XVIII. mensis Decembris. Utini, in Castro, et Palatio Patriarchali. Presentibus ven. viris D. Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicario D. Patriarche Aquil. infrascripti, Fr. Guiberto Abbate Monasterii Mosacensis, Eusebio de Romagnano Canonico Aquil., ac Nobil. viris dominis Hectore milite de Utino, Bernardo de Strassoldo, Thomasutto de Cucanea, Antoniolo de la Turre, Gentilino de la Turre, Conrado de Bernarigio de Mediolano, Gastaldione Utini, Odorico Not. et Federico q.m Galvagni not. de Utino testibus, et aliorum plurium multitudine copiosa.

Cum questio, et discordia diu viguisset, et versa esset inter nobiles viros dominum Fedreginum de la Turre Capitaneum Terre Glemone ex una parte, et D. Articum militem, et fratres suos de Prampergo ex altera, occasione quorundam verborum hinc inde habitorum, et super quibusdam etiam statum Terre et Communitatis Glemone contingentibus; Rev. Pater et D. D. Pagana Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, cupiens questionem et discordiam hujusmodi tollere, et partes

ipsas ad pacem, et quietem reducere, statuique pacifico Terre sue de Glemona predicte libenter, et utiliter providere: voluit, atque mandavit, quod omne odium, omnis inimicitia, omnisque discordia, et contentio habita inter ipsos usque ad presentem diem, sit penitus abrasa, et totaliter abolita, et quod omnis amor, et dilectio, atque caritas vigeat inter ipsas. Item quod D. Articus predictus, et fratres ire, stare, et morari possint in Glemona, juxta sue beneplacitum voluntatis; ita tamen quod nullam contrahant vicinantiam in dicta Terra, nec pro vicinis, et de vicinantia Terre, et Communitatis Glemone habeantur, et reputentur, nullumque locum in Consilio dicte Terre habeant, nec de numero Consiliariorum existant; imo a tractatibus et Consiliis dicte Terre totaliter sint exclusi. Item quod si contingat rumores aliquos, seu brigas in dicta Terra oriri, dicti D. D. de Prampergo non debeant per se, aut familiares suos ad dictos rumores concurrere, nec de predictis rumoribus, seu brigis se quomodolibet immiscere, sed solum illi qui ad hoc deputati sunt, juxta ordinationem factam in Terra predicta. Item quod dicti Domini de Prampergo nullas faciant per plateas, et loca dicte Terre publice, aut occulte cum hominibus et vicinis ejusdem Terre conventiculas, et collocutiones per quas suspitio oriatur et scisma inter homines prefate Terre Glemone, et per quas insurgant scandala, et briga possit quomodolibet evenire. Et hec ordinavit, et observari mandavit idem D. Patriarcha per supradictos dominos Fedreginum, et Articum, et fratres ejus ibidem presentes, et acceptantes predicta, et in signum

odii et malevolentie depositionis, et amoris recuperationis inter se ad invicem manus tangentes. Presentibus Francisco q.m Gualtieri Valuti, Nicholussio q.m Petri de Altaneto, et Guillelmo de Leucho de Glemona nunciis et Ambaxatoribus Communis prefati ad predicta, et propter predicta specialiter destinatis. C. F. o.

N. 652.

1331

Il Patriarca dà il suo assenso per l' erezione di una nuova Capella o Chiesa in Castel Propeto.

Eusebio da Romagnano Can. P.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo tricentesimo trigesimo primo, Indictione quarta decima.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquileg. Patriarcha dilecto filio Nicolao nepoti q.m Mattiussii de Castello Porpeti nostre Diocesis, salutem in Domino sempiternam.

Amplectenda est, et pastoralis officii sollicitudine prosequenda pie mentis devotio, que presertim divini cultus augmentum, et profectum respicit animarum. Sane nobis nuper significare curasti, quod tu de salute propria cogitans, pro tuo, parentumque tuorum, aliorumque fidelium remedio animarum in loco qui dicitur Campus novus, prope Castellum Porpeti, nostre Diocesis, in fundo proprio Capellam, sive Ecclesiam quandam

decentem ad honorem B. Nicolai Confessoris, et sub ejus vocabulo construi de nostra licentia, et edificari fecisti, ad cujus operis prosecutionem laudabilem paratus es, pro substentatione Sacerdotis ibidem mansuri de bonis propriis in dotem, et nomine dotis Ecclesie prelibate assignare bona inferius annotata: videlicet in primis medium mansum in Faucilis, qui regi dicitur per Mattheum ejusdem ville. Item medium mansum in Morsano de Strata, qui regi dicitur per Odoricum Cavalerii ejusdem ville. Item duos campos positos juxta Ecclesiam antedictam. Quare nobis humiliter supplicasti, ut propositum tuum hujusmodi gratis dignaremur favoribus acceptare. Nos itaque tuis desideriis annuentes libenter, quod tam pie et laudabiliter peregisti, consensum libere prestamus, dotemque acceptamus prefatam, jure matricis Ecclesie semper in omnibus salvo. Itaque Ecclesia predicta de cetero proprium et perpetuum habeat Sacerdotem, qui ei famulatum impendat assiduum, et in obsequiis divinorum per te, quoad vixeris, statuendum. Nobis nihilominus, nostrisque Successoribus Patriarchis, qui pro tempore fuerint, a te, et deinde ab heredibus et posteris tuis, seu quibus tu, aut iidem postea jus Patronatus legitime donaveritis, seu legaveritis, quotiens tempus ingruerit, presentandus. In cujus rei testimonium. etc. A. C. U. c.

N. 653.

1331 3 *Gennajo Aquileja.*
Il Patriarca autorizza le rappresaglie contro quei di Villacco.

Gubertino da Novate Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXI. Indictione Decimaquarta.

Noveriut universi presentem paginam inspecturi, quod Nos Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha, quia Commune, et homines de Villaco nostre Diocesis, subjecti in temporalibus Episcopo Babembergensi, nobis, Ecclesie nostre, et terre totius Forijulii graves, infestos, et damnosos se exibent, nolentes quod currus venientes cum Mercandiis de partibus Alemannie versus Forumjulium, aut currus Forijulii ducentes Mercandias hujusmodi versus Alemanniam transeant ultra Villacum, sed ibidem compellentes discaregare mercandias jamdietas cogant mercatores, et ducentes eas ponere super currus ipsorum Villacentium: et huc, et illuc ducere in ipsorum Mercatorum; ac nostrorum Vecturalium dampnum non modicum et jacturam; ideo volentes, ut legem, quam in hac parte fecerunt suscipiant in se ipsis, ordinamus de assensu Consilii nostri, quod nullus Currus eorundem Villacentium, oneratus, aut non oneratus audeat per terram nostram ultra Venzonum, aut ultra Glemonam transire, neque aliquis mercator supra ipsos currus suas duci facere Mercan-

dias; sed illas ibidem discaregari faciant, et cum curribus nostrorum subditorum bullatis bulla nostra, qua bullari ipsos precipimus in Glemona, faciant ubicumque voluerint duci: scituri quod secus facientes, formidare poterunt ammissionem curruum et mercationum contra ordinationem hujusmodi nostram, postquam eam noverint, inventorum.

Datum Aquilegie, die III. Januarii. Anno ut supra. C. F. o.

N. 654.

1331 14 *Gennajo Udine.*
Morte del B. Odorico.

Manuscritti del Fontanini.

De transitu felicis recordationis benedicti et sancti Fratris Odorici de Portunaonis in Civitate Utini, Aquilegensis Patriarchatus.

Anno Domini M. CCC. XXXI. in crastina octave Epiphanie anima predicti Sancti benedicta, circa horam nonam migravit ad Dominum, ad gaudia Paradisi possidenda. Et cum Fratres absque solempnitate, et contra Contrate consuetudinem, et quasi occulte corpus illud sacrum vellent reddere sepulture, providentia faciente, scitum fuit in Terra, seu Civitate, et statim per majores Civitatis prohibitum est, ne ea die sepeliretur. Sequenti die, convocato per proceres Civitatis Clero, et fratribus Predicatoribus; dum Officium pro ipso fieret,

continuo cepit coruscare miraculis; ex qua miraculorum aperta visione rumor magnus insonuit in Civitate Utinensi, et ex hoc omnes cives Utinenses utriusque sexus ad ipsum videndum, et tangendum confluere cepit; et beatum se reputabat qui aliquid de vestibus, et de eo, quod corpus ejus tetigisset, habere potuisset, barbam et capillos capitis evellentes. Et, mirabile dictu, cum quedam Domina sibi ex devotione ejus aurem cum forbice occulte precidere vellet, nunquam forbices claudere quas aperuerat ad precidendum, nec in aliquo corpus ejus ledere potuit, ut evidenter apparuit, et ipsamet testata est. Visis autem multis miraculis, cives ipsum usque ad duos dies non permiserunt sepeliri; sed tertia die sepultum est in Ecclesia. Iterum die quarta ad preces multorum fuit exhumatus, et omnibus publice ostensus: et quicumque, ex devotione motus, ipsum tetigit, a quacumque fuisset infirmitate detentus, sanitatem recuperabat. Nota. Cecos plures illuminavit, contractos, claudos, et diversis infirmitatibus pressos sanavit, et continue sanat; ita quod opera et mirabilia, que per ipsum facit Altissimus, sunt sole lucidiora, prout in precedentibus annotata sunt. Quarta enim ipsa die predicta D. Paganus Aquilegensis Patriarcha ad ipsum Sanctum visitandum pervenit, et cum magna devotione genuflectendo ipsum corpus tetigit, et osculatus fuit; et certe mirabile, quod tunc habebat ita membra ductilia et mollia, ut habebat dum viveret, et plus. Faciem autem et totum corpus habebat melioris, et pulchrioris coloris, quam dum viveret. Inspiratione autem divina faciente, sine alicujus predicatione, vel inductione subito devotio facta

fuit in Clero, et in populo totius Contrate. Nam ad corpus illud benedictum visitandum omnes Castellani cum consortibus, et filiis suis totius Forijulii pro magna parte peditando venerunt; omnes Nobiles, et populares de cunctis Civitatibus, et villis cum Crucibus et vexillis illuc accesserunt, et in tanta multitudine, quod aliqua die fuerunt ultra sexdecim Cruces, et vexilla diversarum villarum, et Terrarum. Et de toto Forojulio, et tota Carnea processionaliter venerunt devotione ferventi moti homines se verberantes, Deum laudantes et Sanctum suum. Abbatissa Monasterii Majoris Civitatis Austrie cum toto suo Collegio processionaliter omnes peditando de Civitate usque Utinum pervenerunt. Similiter ille de Aquilegia et de ..... et in tantum continuabat concursus populorum, quod tota die, et nocte Ecclesia Fratrum Minorum plena erat semper hominibus et mulieribus. Comitissa similiter Goritie cum magno Comitatu, solempnitate, et devotione illuc accessit. Tota Sclavonia, et etiam Teotonia incipiebant venire. In Villacco notabile miraculum fecit; quia quedam nobilis Domina, que terribili detinebatur infirmitate, in tantum quod non poterat se movere de lecto, nisi cum fune appensa, et in doloribus tantum clamabat, quod totam vicinitatem perturbabat, et infestabat, ad tactum partis unius tunice, que fuerat dicti Sacti Viri, quam lector Villaci portaverat, qui fuerat in transitu dicti Fratris, statim surrexit sana. B. S. D. c.

N. 655.

1331 13 *Gennajo.*
Parlamento.
dal Memoriale di Antonio Belloni.

Determinationes Parlamenti. Quod currus tam de Villacco, quam aliunde transire possint, et mercantias conducere per Forumjulii, et ire quocumque placuerit mercatoribus, seu conductoribus; et simili modo currus de Forojulii ad partes Villaci, et ad alia loca possint conduci.

Item quod nulla fiat violentia, suasio, vel inductio mercatoribus, vel conductoribus curruum per illos de Venzono, Glemona, Latisana, et Aquileja de eundo potius per unam stratam, quam per aliam, sed libere relinquatur arbitrio mercatorum et conductorum.

Item quod Muta nova imposita apud Hospitale Glemone, et illa etiam exactio noviter facta in Venzono ex opposito Mute prefate, cesset, et non exigatur. Manu Eusebii de Romagnano Notarii. C. P. c.

N. 656.

1331 25 *Gennajo Udine.*
Pagano esorta i fedeli a concorrere colle loro limosine alla costruzione della Chiesa della B. Vergine di Val verde.
Eusebio da Romagnano Can. P.

Universis presentes litteras inspecturis, Paganus etc. salutem in Domino sempiternam. Sanctorum meritis in-

clita gaudia Christi fideles acquirere minime dubitamus, qui eorum patrocinia per condigne devotionis obsequia promerentur; et nos Deum in Celis credimus habere propitium cum ejus Sanctos honorari procuramus in terris, et Christi fideles ad reverentie et pietatis opera, per que ad eterne beatitudinis gratiam pervenire valeant, invitamus. Cum igitur discretus vir Petrus q.m Bologniti de Lignano, presbiter Ecclesie S. Petri de Bodo, Paduane Diocesis, zelo fidei et devotionis accensus, quandam Ecclesiam noviter in Terra Sercedi, Diocesis Vicentine, in honorem Dei, et B. Marie Virginis Matris ejus, et omnium Sanctorum sub vocabulo ejusdem B. Marie de Valle Viridi edificare et construere ceperit opere sumptuoso, et in quodam Hospitali facto apud ipsam Ecclesiam peregrinis, et egenis, aliisque miserabilibus personis disposuit pietatis opera exhibere, ad que proprie non suppetunt facultates, nisi a Christi fidelibus subveniatur eidem: universitatem vestram rogamus, et hortamur in Domino, vobis etiam in remissionem peccaminum injungentes, quatenus eidem Presbitero ad consumationem dicti operis de bonis vobis a Deo collatis adjutrices manus liberaliter porrigatis: ut idem Presbiter inceptum tam laudabile opus valeat consumare, et vos per hec, et alia bona, que, Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos autem de Omnipotentis Dei misericordia, et ejusdem Dei Genitricis, ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Beatorum Martirum Hermachore et Fortunati Patronorum nostrorum, omniumque Sanctorum meritis et intercessione confisi, omnibus vere penitenti-

bus et confessis, qui eidem Presbitero ad predicta exequenda manum porrexerint adjutricem, nec non illis, qui ad eandem Ecclesiam, postquam coustructa fuerit, in sollempnitatibus ejusdem Virginis Marie, et per Octavas earum, et in diebus dominicis per totum anni circulum devotionis causa accesserint, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Datum Utini, XIII. Kalendas Februarii. Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXI. C. F. o.

N. 657.

1332 30 *Gennajo Udine.*
Pace tra i Signori di Ragogna e di S. Daniele.

Stefano di Antonio da Cividale Not.

Die penultimo Januarii. Coram Reverendo in Christo patre et D.D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, Heugilus et Nicolaus vuercius de Ragonea pro se, et suis amicis et coadjutoribus ex parte una, et Bertulus de S. Daniele pro se, et suis amicis, et coadjutoribus ex parte altera laudaverunt, et inter se fecerunt pacem et amicitiam de solvendis tolletis nuperrime hinc inde factis: et dictus D. Patriarcha statuit terminum a die Veneris proximi, ad octo dies partibus ad comparendum coram eo in Civitate, audituris sententiam quam dare volet super hiis de quibus ipse D. Patriarcha statuet cum amicis partium datis et electis.

Actum in Civitate Austria. In palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario ipsius D. Patriarche, et Guidone de Manzano Decano Civitatis, et D. D. Artuicho de Prampergo, et Hectore de Savorgnano militibus, Paulo et Johanne de Portis, Bernardo de Strassoldo, Nichilo de Ragonea, Nicolao de Belgrado, Federico de Castro Raymundi testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 658.

1331 19 *Febrajo Udine.*

Procura del Patriarca per la riscossione del Canone solito pagarsi dai Veneziani per le giurisdizioni dell' Istria.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xix. Mensis Februarii. Presentibus venerabilibus et discretis viris D. Petro Mora de Mediolano Vicario, Christophoro q.m D. Henrici Cavalli de Concoretio, Maphiolo dicto Mato q.m D. Paganini de Merate, domicellis D. Patriarcha infrascripti, et Johannolo de Confanoneriis de Aliate Scolastico Aquilegensi testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Venerabilis in Christo pater et D. D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, suo et Ecclesie Aquilegensis nomine, fecit, constituit, et ordinavit suum verum et legitimum procuratorem discretum virum D. Zonfredinum de Oppreno Vicedominum suum, presen-

tem ad petendum, exigendum, et recipiendum a magnificis Dominis Francisco Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatie, atque Croatie Duce, ac Domino quarte partis et dimidie totius Imperii Romani, et Commune ejusdem, illas ducentas et xxv. Marchas Aquilegensium novorum, quas eidem D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensi predicti Dominus Dux, et Commune Venetiarum tenentur, et debent in Kalendis Martii proxime venturi, pro juribus Istrie, secundum pacta inita inter ipsum D. Patriarcham, et Ecclesiam Aquilegensem, et D. Ducem et Commune predictos. Nec non ad faciendum eisdem finem, quietationem, et pactum de ulterius non petendo, et ad omnia alia et singula faciendum, que in premissis et circa predicta fuerint opportuna. Promittens mihi Notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti, nomine omnium quorum interest, aut intererit, se ratum, gratum, et firmum habiturum quidquid per dictum procuratorem suum factum fuerit in premissis, et circa premissa, sub suorum, et Ecclesia Aquilegensis bonorum omnium ipotecha. In quorum omnium testimonium, et roboris firmitatem idem D. Patriarcha jussit presens publicum Instrumentum per me Notarium infrascriptum confici, et sui sigilli appensione muniri.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. C. F. o.

N. 659.

1331 25 *Febbrajo Aquileja.*
Pagano dietro invito del Pontefice mette un Coadiutore al Vescovo di Veronu.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXI. Indictione XIIII. Die Lune XXV. Februarij. Aquilegie, in Patriarchali Palatio: presentibus Venerabilibus viris dominis fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et Petro Mora Rectore ecclesie Sancte Marie de Turri Mediolanensis Diocesis, Vicariis infrascripti domini Patriarche: Nobilibus viris dominis Odorico de Cuchanea, Thomasutto de Pertinstain, Magistro Condeo de Calio Medico, et multis aliis. Discretus vir Johannes q.m domini Nigri de Ambrosio de Verona Notarius ex parte Sanctissimi Patris, et domini domini Johannis Divina providentia Pape XXII. dedit, obtulit, et presentavit venerabili Patri domino Pagano Dei gratia sancte Sedis Aquilegensis Patriarche, ipsius domini Pape litteras patentes vera ejus bulla plumbea pendente in filo canapis bullatas, non vitiatas, non abolitas, neque in aliqua sui parte suspectas, formam et tenorem hujusmodi continentes. Johannes Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri ... Patriarche Aquilegensi salutem et Apostolicam benedictionem. Ad nostri Apostolatus auditum fide digna relatione perducto, quod venerabilis frater noster Thebaldus Episcopus Veronensis adeo est senio et imbecillitate gra-

vatus, quod per se nequit commode Pastorale officium exercere: Nos tam eidem Episcopo, quam Ecclesie Veronensi cupientes utilitatibus prospicere, et indempnitatibus precavere, Fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per Apostolica scripta committimus, et mandamus, quatenus, si per informationem a te super his faciendam, premissa reperieris veritate fulciri, aliquem, vel aliquos viros ecclesiasticos ad hoc idoneos, et discretos in Coadjutorem, seu Coadjutores dicto Episcopo in spiritualibus, et temporalibus, auctoritate nostra, studeas deputare: faciens eum, vel eos ab eodem Episcopo in Coadjutorem, seu Coadjutores recipi et admitti, et a dilectis filiis Capitulo ipsius Ecclesie, nec non Clero et populo Civitatis, et Diocesis Veronensis, et aliis quorum interest, Coadjutori, seu Coadjutoribus ipsis, in hiis que ad officium pertinent hujusmodi, intendi efficaciter, ac etiam obediri: contradictores auctoritate nostra, appellatione posposita, compescendo; non obstante si eidem Episcopo, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum prefato Episcopo de proventibus Episcopalis mense pro se, ac ejus familia per Coadjutorem, vel Coadjutores, quem, vel quos sibi deputandum duxeris, vel etiam deputandos, expensas provide moderandas sicut decens et expediens fuerit, juxta status ejusdem Episcopi decentiam, volumus ministrari, quodque Coadjutor, seu Coadjutores predicti de redditibus, et proventibus Episcopa-

tus Veronensis pro tempore hujusmodi Coadjutorie gerent officium, illi, vel illis, quem, vel quos ad hoc per Sedem Apostolicam deputari contigerit teneantur legittimam reddere rationem: ab alienatione bonorum ejusdem Ecclesie Veronensis, quam eis expresse interdicimus, nihilominus abstinendo. Rursus cum decens immo necessarium existere dignoscatur de Sacramentis Ecclesiasticis, ac Ordinibus, que per solos conferri possunt Pontifices, gregi Dominico provideri volumus, ac etiam concedimus, quod Coadjutor, seu Coadjutores predicti per Antistitem, seu Antistites Catholicos gratiam et communionem ejusdem Sedis habentes possint, cum opportunum extiterit, in eisdem Civitate, et Diocesi Sacramenta et Ordines hujusmodi, ac alia que ad Pontificale pertinent officium rite tamen et canonice facere ministrari. Datum Avenione xii. Idus Januarii Pontificatus nostri Anno xv. C. F. o.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha, Venerabili viro domino Azoni de Corrigia Preposito Ecclesie Sancti Donnini, Parmensis Diocesis, salutem, et sinceram in Domino caritatem. Sanctissimi Patris, et domini nostri domini Johannis Divina providentia Pape xxii. Litteras patentes recepimus in hac forma. Johannes Episcopus servus servorum Dei etc. ut supra. Intendentes autem mandatum predictum reverenter exequi, ut tenemur, et de prefati domini Thebaldi Veronensis Episcopi senio et imbecillitate plenam habentes notitiam, ad universos quoque viros idoneos, quos in committendo prefate Coadjutorie officio in

istis partibus cognoscamus nostre mentis oculos elevantes, vos, consideratis omnibus, inter ceteros precipue duximus eligendum, per cujus circumspectam industriam dicta Veronensis Ecclesia poterit in spiritualibus et temporalibus pacifice dirigi, et salubriter gubernari. Ideoque vos per presentes eidem Episcopo Coadjutorem in spiritualibus, et temporalibus, anctoritate Apostolica, qua in hac parte fungimur, deputamus. Decernentes, ut de proventibus Episcopalis mense pro eodem Episcopo et familia sua moderandas provide per dilectum Capellanum nostrum Berofinum de Giroldis Canonicum Aquilegensem, quem propter hoc ad vos, et dictam Veronensem Ecclesiam destinamus, expensas, sicut decens, et expediens fuerit, juxta ipsius Episcopi decentiam ministretis; reddituri insuper legittimam rationem illi, vel illis, quem, vel quos ad hoc per Sedem Apostolicam deputari contigerit de redditibus, et proventibus Episcopatus Veronensis jam dicti pro tempore, quo hujusmodi Coadjutorie officium duxeritis exercendum. Ita tamen, quod alienandi bona ejusdem Ecclesie Veronensis, sicut expresse interdictum est a Sede Apostolica, nulla vobis sit attributa potestas. Ceterum volentes gregi Dominico super Ecclesiasticis Sacramentis, ac Ordinibus, que per solos possunt conferri Pontifices, provideri, eadem vobis auctoritate concedimus, quod per Antistitem, seu Antistites Catholicos gratiam, et communionem Apostolice Sedis habentes, possitis, cum opportunum extiterit, in eisdem Civitate, et Diocesi Sacramenta et Ordines hujusmodi, et alia, que ad Pontificale pertinent officium, rite tamen et canonice facere ministrari.

Datum Aquilegie, in nostro Patriarchali Palatio, quarto Kalendas Martii, Pontificatus dicti sanctissimi Patris domini Johannis Pape xxii Anno xv. Dominice vero Nativitatis Anno m. ccc. xxxi. Indictione xiiii. C. F. o.

Paganus etc. Dilecto Capellano nostro Berofino de Geroldis Canonico Aquilegensi salutem in Domino sempiternam. Cum nos, auctoritate Apostolica, nobis specialiter in hac parte commissa, Venerabilem virum dominum Azonem de Corrigia Prepositum Ecclesie Sancti Donnini, Parmensis Diocesis, Coadjutorem dederimus Venerablli fratri nostro domino Thebaldo Dei gratia Episcopo Veronensi adeo gravato senio, et imbecillitate, quod per se nequit commode pastorale officium exercere, prout per litteras nostras eidem domino Azoni super commissione officij Coadjutorie hujusmodi confectas dirigimus, contineri videbis, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, eadem auctoritate per presentes committimus, et mandamus, quatenus ad Ecclesiam Veronensem te personaliter conferens, ipsum dominum Azonem ab eodem Episcopo in Coadjutorem recipi facias, et admitti, et a dilectis filiis Capitulo ipsius Ecclesie, nec non Clero, et populo Civitatis et Diocesis Veronensis, et aliis, quorum interest, eidem Coadjutori in his, que ad officium pertinent hujusmodi, intendi efficaciter, ac etiam obediri: contradictores, eadem auctoritate, per censuram Ecclesiasticam compescendo. Ita tamen, quod ante omnia ordines, quod per eundem Coadjutorem eidem Episcopo de proventibus Episcopalis mense pro se, ac ejus familia expensas per te provide moderendas, sicut decens et

expediens fuerit, juxta status ejusdem Episcopi decentiam, ministrentur. Quodque Coadjutor ipse de redditibus et proventibus Episcopatus Veronensis pro tempore, quo hujusmodi Coadiutorie geret officium, illi, vel illis, quem, vel quos ad hoc per Sedem Apostolicam deputari contigerit, reddet legittimam rationem, et ab alienatione bonorum ejusdem Ecclesie Veronensis, que sibi est a dicta Sede Apostolica, et a nobis etiam interdicta, omnino studeat abstinere. Datum ut supra. C. F. o.

N. 660.

1331 26 *Febrajo Aquileja.*
Investitura di Jacopo di Privano.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die martis XXVI. mensis Februarii. Aquilegie, in Patriarchali palatio, et in camera infrascripti D. Patriarche. Presentibus venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario D. Patriarche, ac nobilibus viris Dominis Bernardo et Hendrico de Strassoldo, Francino de Laude notario D. Patriarche testibus, et aliis pluribus.

Accessit ad presentiam Reverendi patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Michael q.m Zeraldi de Juaniz, et in manibus ipsius D. Patriarche cuidam dimidio manso, sito in dicta villa de Juaniz, quem habet a D. Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi jure feudi ministerialis in portando litteras D.

Patriarche, et de quo solvitur quolibet anno collecta D. Patriarche, seu frixachenses quatuordecim, sponte, libere, et expresse renunciavit. Qua renuntiatione recepta, idem D. Patriarcha de dicto dimidio manso Jacobum de Privano ibidem presentem, ac pro se, et heredibus suis recipientem, cum capucio, quod habebat in manibus; faciendo ministerium antedictum, et solvendo collectam prefatam, salvo tamen semper jure Aquilegensis Ecclesie, investivit. C. F. o.

N. 661.

1331 26 *Febrajo Aquileja.*

Permuta fatta dal Patriarca con Tommasutto di Cucagna.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die martis XXVI. mensis Februarii. In Palatio Patriarchali Aquilegensi, in Camera D. Patriarche infrascripti. Presentibus venerabilibus viris D. D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et Petro Mora de Mediolano Vicariis ipsius D. Patriarche, ac Nobilibus viris D.D. Hermacora filio q.m D. Raymundi, Fedregino filio q.m D. Martini de la Turre de Mediolano, Bernardo de Strassoldo filio q.m D. Gabrielis, Asquino de Colloreto, Bertholucio de la Calcina de Bononia testibus, et aliis pluribus.

Rev. in Christo pater et D. D. Paganus Dei et

Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, cupiens in omnibus quibus potest, sue Aquil. Ecclesie utilitates et commoda ampliare, ac videns, et attente considerans quod infrascripta permutatio, seu cambium ad augmentum reddituum sui Patriarchatus, et ejusdem Ecclesie profectum multipliciter cedit: Idem D. Patriarcha, interveniente consensu pariter, et assensu Capituli sui ibidem presentis, et ad predicta et infrascripta specialiter convocati et congregati, videlicet ven. virorum Dominorum Guillelmi Decretorum Doctoris Decani, Raynaldi de la Turre Thesaurarii, Ottolini de Pergamo, Ambrosini de la Turre, Berofini de Giroldis de Cremona, Bernardi de Civitate Austria, et Eusebii de Romagnano ejusdem Ecclesie Aquil. Canonicorum, cum ad preseus plures Canonici non essent residentes ibidem, pro se ipso, et pro Successoribus suis, ac suo, et Aquil. Ecclesie vice et nomine, permutavit cum nobili viro D. Thomasutto nato q.m D. Thomasii de Cucanea pro se, et suis heredibus recipiente, dando, et concedendo eidem redditus infrascriptos ville de Felletano. In primis dedit et concessit sibi in cambium et permutationem prefatam, mansum unum situm in villa predicta de Felletano, rectum per Henricum Decanum dicte ville et socios suos, qui mansus solvit annuatim staria duo frumenti, urnas tresdecim vini, fertonos tres denariorum frixachensium de fictu, et pro collectis marchas duas, et fertonos tres.

Item pro dicto manso solvuntur pesonalia duo bladi pro quolibet campo, de tali blado quod ponitur in ipsis; qui campi sunt triginta tres, et sic summa bladi dictorum camporum est stariorum XI.

Item dedit et concessit sibi unum alium mansum situm in dicta villa de Felletano, qui regitur per Johannem Vasconium et Menis, qui solvit annuatim pro fictu fertonos tres frixachensium, et pro collectis marcham dimidiam, et frixachenses XXXIV.

Item dedit et concessit sibi medium mansum situm in dicta villa de Felletano, qui regitur per Matarussium, qui solvit annuatim pro fictu frixachenses XLVIII. et pro collectis frixachenses LVI. et urnam unam vini.

Item dedit, et concessit sibi unum alium mansum situm in villa, que dicitur Agra, qui regitur per Andream, et solvit annuatim urnas tres vini, et de fictu marcham mediam, frixachenses XII. quartam unam milei, gallinas quatuor cum ovis: pro Collectis S. Georgii frixachenses LXXII. et pro collectis S. Michaelis marcham mediam frixachensium.

Item dedit et concessit sibi unum alium mansum situm in dicta villa de Agra, qui regitur per Danielem de Prato, et solvit annuatim urnam unam vini, et marcham dimidiam, et frixachenses X.

Ad habendum, tenendum, possidendum, et quidquid sibi, et suis heredibus deiceps placuerit faciendum, cum omnibus suis accessibus, et egressibus, et cum omnibus et singulis que dicti mansi habent super se, aut infra, seu inter se in integrum, omnique jure, et actione, usu, seu requisitione sibi ex mansis ipsis quomodolibet pertinente.

Et hoc pro infrascriptis bonis, que idem D. Thomasuttus ipsi D. Patriarche recipienti pro se, et Successoribus suis, ac pro Ecclesia sua Aquil. predicta, et

vice et nomine ejus eodem modo in cambium dedit, et tradidit videlicet.

In villa que dicitur Stamatanizza sita sub garrito et Dominio D. Patriarche in Gastaldia de Landri, omnes redditus, et jura quecumque ipse D. Thomasuttus habet in ea, dicens dictam villam ad ipsum totaliter pertinere.

Item dedit et concessit dicto D. Patriarche duos mansos sitos in villa de Jasich, qui solvunt annuatim staria viginti frumenti: staria xvi. et medium Annone, Zochulos xi. et gallinas xii. cum ovis, et pro fictu, anno quolibet in festo S. Quirini, marcham unam et frixachenses l. Item solvunt annuatim in festo S. Martini pro collectis Marchas vi. frixachensium. Et pro fictu in eodem Festo denarios frixachenses centum. Et pro tribus .... denarios xxiv. Frixachensium.

Item dedit et concessit dicto D. Patriarche unum mansum situm in Adrignano, rectum per Johannem Mulam et socium, qui solvit annuatim staria quatuor frumenti, congios x. vini. Staria quatuor Annone, Zochulum unum, et spatulas quatuor.

Et predicta omnia dedit ipse D. Thomasuttus dicto D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensi cum dominio, et cum duobus Festivitatibus in dicta villa de Stamatanizza anno quolibet celebrandis, ad habendum, tenendum, et possidendum, et quidquid dicto D. Patriarche, et Successoribus suis, ac Ecclesie Aquilegensi deinceps placuerit faciendum, cum omnibus suis accessibus et egressibus, et cum omnibus et singulis que habent super se, aut infra, seu intra se, in integrum, omnique jure,

actione, usu, seu requisitione sibi, et mansis ipsis quomodolibet pertinente.

Qui predicti D. Patriarcha, vice et nomine Aquil. Ecclesie, et D. Thomasuttus, silicet unusquisque eorum vicissim, alterius nomine, mansos, et bona predicta a se taliter permutata et concessa constituerunt possidere, quousque unusquisque eorum bonorum et rerum sibi concessarum, et taliter permutatarum possessionem accepiant corporalem; quam accipiendi propria auctoritate, et retinendi deiceps unus alteri ad invicem licentiam omnimodam dederunt. Promittentes se ad invicem, silicet unus alteri, solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, litem, aut controversiam de rebus, et bonis a se permutatis et concessis alteri ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire, sed unusquisque res, et bona a se permutata alteri ad invicem ab omni homine, et universitate defendere legitime auctorizare, disbrigare, et predictam permutationem, et omnia et singula suprascripta firma et rata habere, et tenere, et non contrafacere, aut venire per se, aut per alios aliqua causa, aut ingenio, sub pena quinquaginta marcharum denariorum Aquil. monete, stipulatione ad invicem inter ipsos promissa, cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra, et pena soluta aut non, predicta omnia et singula firma perdurent. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis obligavit idem D. Patriarcha omnia bona Aquil. Ecclesie D. Thomasutto predicto; et ipse D. Thomasuttus dicto D. Patriarche omnia bona sua mobilia et immobilia. Ceterum voluerunt et mandaverunt ex hoc contractu duo unius, ejusdemque tenoris fieri instrumen-

ta, scilicet unum pro quacumque partium predictarum. C. F. o.

N. 662.

1331 5 *Marzo Udine.*
Pena inflitta a varj abitanti di Pozzecco per violenza da essi usata al Nunzio del Patriarca.

Stefano da Cividale Not.

Die quinto intrante Martio. Coram venerabili viro D. Petro Mora Vicario Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, in judicio pro tribunali sedente, comparuit Bonaguida procurator Abbatis Tusci de Florentia, Utini commorans, dicens, quod cum hodie per Dominii nuntium Bordonem Preconem de Utino ad accipiendum de bonis q.^{m} D. Johannis de Castello pro certis debitis accepisset massariis predicti q.^{m} D. Johannis in villa de Pozecho quinque armenta cum dicto Bordone nuntio suo, et dum duceret, venerunt homines dicte ville pro Communi violenter et manu armata acceperunt eis dicta armenta de manu ipsius Preconis, ita quod de hujusmodi violentia fecerat cum nuntio ipsius D. Vicarii precipere Potestati, Decanis, et Juratis, ac pluribus hominibus dicte ville, et preconizzari alta voce in duobus locis dicte ville, quod restituerent ad tressum, et solverent dapnum Curie, aut deberet dictum Commune hodie esse in Utino coram ipso D. Vicario, in hora

termini scuse, facturum suam scusam de predictis. Cumque dictus Bonaguida ante horam, et in hora termini scuse se presentaverit, et suam querelam interposuerit, et hora termini adveniente, diutius expectante, et nemine de dicta villa comparente, petivit sententialiter deffiniri quid juris. Super quibus, et de violentia facta Dominio, petente dicto D. Vicario a circumstantibus quid juris, sententiatum fuit: quod homines dicte ville deberent vocari, et vocati per Bordonem Preconem Communis Utini, ut moris est, facta relatione, et quod si dictus Bonaguida probaret, (ut probavit sententialiter terminum sibi datum per ipsum Bordonem) quod ipse D. Vicarius deberet dare nuntium suum ipsi Boneguide, et sic dedit dictum Bordonem ad accipiendum de bonis dicti Communis ville predicte ad tressum de predictis, et pro quolibet qui interfuerit hujusmodi violentie denarios quadraginta pro vadia, prout sententialiter dictus Bordonus Preco per Sacramentum sui Offitii dixit, ac retulit, quod fuerunt homines dicte ville circa xl. aut xxxvi. et mulieres circa xii. cum lapidibus, et violenter armata manu acceperunt dicta quinque armenta, et pro dampnis et expensis, prout jurabit, salva taxatione.

Actum in Castro Patriarchali Utini. Presentibus D. Braybando de Cosegliacho, Syurido de Utino, Zanuto Notario, Parussino Notario de Utino, D. Henrico de Mels, Dyetalmo et Valterpertoldo de Pers, Francisco de Zegliacho, et Philippo nepote ipsius D. Braybandi testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 663.

1331 15 *Marzo Udine.*
Assicurazioni ai Mercanti e Viaggiatori.

Noverint Universi presentes litteras inspecturi, quod nos Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha tenore presentium affidamus, liberos reddimus, et securos a nobis, et Ecclesie nostre subditis, omnes, et singulos Mercatores, et mercationum conductores de partibus theutonicis, seu Alemanie venientes, undecumque sint, et sub quocumque dominio constituti, ita quod ipsi cum mercationibus suis usque ad Terram nostram Glemone, sine contradictione quacumque venire, morari, et redire pro eorum libito libere valeant, et sicure; non obstantibus aliquibus represeriis, pignoribus, concessionibus, sive litteris sub quacumque forma a Nobis, et Predecessoribus nostris obtentis. Mandantes nihilominus universis et singulis Potestatibus, Capitaneis, Gastaldionibus, et Officialibus nostris, ut in quantum diligunt gratiam nostram, contra premissa nullatenus venire presumant, nec eisdem mercatoribus, et conductoribus gravamina inferri quomodolibet patiantur. Datum Utini, in Castro nostro, die xv. mensis Martii. Anno Dominice Nativitatis millesimo ccc. xxi. Indictione xiiii. C. C. F. c.

N. 664.

1331 18 *Marzo Aquileja.*
Investitura di Giovanni q.^m Aimerico di Pirano.

Esebio da Romagnano Can. P.

Die xviii. mensis Martii. Aquilegie, in Patriarchali Palatio. Presentibus venerabilibus viris D. Fratre Johanne Monasterii Rosacensis, Guidone Decano Civitatensi, Odorlico de Strassoldo Canonico Aquilegensi, et aliis.

Venerabilis pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha ad instar bone memorie D. Raymundi Patriarche Aquilegensis, et aliorum Predecessorum suorum, cum suo capucio, quod tenebat in manibus, investivit Johannem filium q.^m Aymerici Dyetmari de Pirano recipientem pro se, et Adalghero fratre suo, et pro eorum filiis et heredibus de recto et legali feudo, quod iidem fratres et prefatus q.^m Almericus pater ipsorum, eorumque progenitores ab antiquo consueverunt ab Ecclesia Aquilegensi tenere. Ita quod iidem fratres, et eorum filii, et heredes omnia jura ad ipsum feudum pertinentia habeant, et teneant, prout prefati progenitores eorum habuerunt, et tenuerunt, sine contradictione alicujus persone, salvo semper jure predicte Aquilegensis Ecclesie. Qui Johannes pro se, et dicto Adalghero fratre suo, a quo super hoc habet speciale mandatum, recepta a dicto D. Patriarcha investitura hujusmodi, prestitit in animam suam, et dicti fratris sui fidelitatis debitum et solitum

juramentum, secundum formam qua vassallus Domino suo jurat.

Insuper consignavit per instrumentum publicum se tenere in feudum predictam Ecclesiam Sancti Herdidi cum territorio suo, positam in finibus Pirani, et Decimam ipsius territorii. C. F. o.

N. 665.

1331 20 *Marzo Aquileja.*

Federico e Consorti di Pramperch vengono investiti de' feudi che i loro maggiori ottennero dalla Badia di Moggio.

Albano Not.

Anno Domini M. CCC. XXXI. Indictione XIV. die XX. Martii. Nobilis vir D. Federicus de Prampergo miles, tamquam senior, pro se et Consortibus suis, in presentia venerabilis Patris D. Giberti Dei gratia Abbatis Mosacensis, Aquilegensis Diocèsis, personaliter constitutus, ab ipso D. Abbate cum omni reverentia instanter petivit humiliter, et devote, quod ipse D. Abbas investiret eum nomine suo et consortum suorum recipientem, de feudo quod ipse asserebat se, et progenitores suos antiquitus habuisse, et tenuisse ab Abbate Monasterii Mosacensis. Qui D. Abbas, salvo jure sui Monasterii et cujuslibet persone, per fimbriam sui scapularis ipsum D. Federicum presentem, et recipientem pro se, ac dictis suis consor-

tibus de feudo antiquo, quod constabat eum, et progenitores suos rationabiliter antiquitus habuisse et tenuisse a Monasterio supradicto, solemniter investivit. Pro qua quidem investitura idem D. Federicus eidem D. Abbati in omnibus ipsius capitulis stipulanti et recipienti pro se, et Successoribus suis et dicto Monasterio, juramentum fecit, et prestitit consuetum; dicto D. Abbate tunc mandante eidem D. Federico sub debito prestiti juramenti, quod usque ad unum mensem in scriptis dare deberet omnia que ipse et consortes sui tenebant et recognoscebant in feudum ab Abbate et Monasterio Mosacensi totum illud quod habent, et habere videntur in Sclusa, et ejus pertinentiis, et monte de Moltas, salvo Ghoritto et Pontasio, et Galayto, que dicunt se habere a D. Patriarcha, et salvis aliis, que suo loco et tempore declarabunt.

Actum Aquilegie, in domo infrascripti Presbiteri Thadei Mansionarii in Ecclesia Aquilegensi, in qua habitat dictus D. Abbas. Presentibus dicto Presbitero Thadeo, Nicolao Pucini de Glemona, Johanne de la Porta, et Johanne dicto Clerico de Carnia, et Nicolao de Manzonibus de Parma testibus rogatis specialiter, et vocatis.

Ego Albanus q.^{m} D. Bernardini q.^{m} D. Lanfranchi Forojuliensis Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interfui, et hanc cartam rogatus scripsi. *Estratto da un manuscritto esistente presso i Sig.^{i} di Prampero.*

N. 666.

1331 8 *Aprile.*

Il Patriarca assente alla costruzione di una nuova Capella o Chiesa in Sacile.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus etc. Dilectis filiis nostris Fraternitatis Verberatorum de Sacilo, nostre Diocesis, salutem in Domino sempiternam.

Amplectenda est, et pastoralis Officii sollicitudine prosequenda pie mentis devotio, que presertim divini cultus augmentum, et profectum respicit animarum. Sane nobis nuper significare curastis, quod vos, de salute propria cogitantes, pro vestris, parentumque vestrorum, aliorumque fidelium remedio animarum, apud hospitale per vos dudum constructum in burgo Sacili ad laudem et honorem Dei et B. Virginis Matris ejus, aliorumque Sanctorum, et sub vocabulo S. Marie de Misericordia, quandam Capellam, seu Ecclesiam, ut devotius divinis operibus intendatis, et infirmi et pauperes qui in ipso hospitali degent melius provideantur, extruere et edificare vestris sumptibus affectatis, in qua Sacerdos continue resideat, et ibidem divina officia celebret; pro cujus Sacerdotis substentatione parati estis de bonis vobis a Deo collatis, eidem Ecclesie dotem congruam exibere, et ad ipsius sufficientiam deputare. Quare nobis humiter supplicastis, ut dotem hujusmodi acceptare, vobisque construendi Capellam et Ecclesiam antedictam li-

centiam concedere dignaremur. Nos itaque vestrum laudabile propositum amplectentes, vobis hujusmodi Capellam, sive Ecclesiam, ut premittitur, construendi, absque tamen Plebani Plebis Sacili prejudicio et injuria, licentiam concedimus postulatam, et bona omnia mobilia et immobilia, que Ecclesie predicte obtuleritis, acceptamus, et illa, cum fuerit constructa, in dotem, et opem Capellani, et infirmorum deputare, et assignare perpetuo designamus, statuentes, et decernentes quod eadem Ecclesia, postquam constructa fuerit, proprium et perpetuum habeat Capellanum presbiterum, videlicet ad eam per vos, et a Fraternitate vestra predicta, de nostra et Successorum nostrorum licentia instituendum ibidem. Ita tamen quod Capellanus dicte Capelle ipsi Plebano debitum in Baptismo, Litaniis, et aliis honorem exhibeat, annisque singulis in Festo Nativitatis Dominice unam libram thuris dicte Plebis Plebano persolvat. In aliis vero liber sit totaliter, et exemptus. A. C. U. c.

N. 667.

1331 14 *Aprile Udine.*

Beni aggiunti dal Patriarca al feudo di abitanza in S. Vito concesso ai fratelli da Vituono.

Gubertino da Novate Can. P.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXXI. Indictione XIV. die XIV. Aprilis. Presentibus

60

Venerabili viro D. Lanzaroto de Birago Gastaldione S. Viti Rolandino de Mantua familiare D. Patriarche infrascripti, ac prudenti viro D. Bertulucio de la Calcina de Bononia jurisperito, Utini commorante testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Cum discreti viri Guilelmus, Nizola, et Mirandus de Vituono fratres, habitatores Ecclesie Aquilegensis in S. Vito habeant modicum terrenum pertinens ad habitantiam ipsam, ipsosque plurima onera, occasione ejusdem habitantie, oporteat sustinere; Reverendus in Christo pater et D. D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha considerans, quod de redditibus ejusdem habitantie predicta onera sustinere non possunt, cum sint modici valoris; nec non attendens grata et devota obsequia, que fratres ipsi, retroactis temporibus, eidem Ecclesie Aquilegensi intulerunt, et impendere poterunt in futurum, et volens utilitatem suam, et Ecclesie Aquilegensis augmentare, sex campos terre sterilis et inculte, ex qua Ecclesia Aquilegensis nullam assequebatur utilitatem, positos in prato brayde S. Viti, qui nemini potuerunt afflictari, licet alii ejusdem brayde campi tres locati fuerint, per se, suosque Successores, et nomine Aquilegensis Ecclesie, addidit et univit habitantie memorate, ac prefatum Nizolam recipientem suo nomine, ejusque fratrum predictorum, et eorum heredum, de campis ipsis, cum uno caputio, quod in suis tenebat manibus, presentialiter investivit: ita quod illos habeant, teneant, et possideant cum dicta habitantia, omnemque de eis suam utilitatem et commodum facere possint de cetero, salvo jure Aquilegensis Ecclesie, solvendo annua-

tim in festo Nativitatis Domini, nomine census perpetualis, pro campis ipsis eidem D. Patriarche, et Ecclesie sue Aquilegensi libras duas piperis. Quos quidem campos idem D. Patriarcha per se, ejusque Successores, et Ecclesiam Aquilegensem promisit eisdem Fratribus, et suis heredibus defendere, et guarentare ab omni persona, Collegio et universitate, et numquam contra premissa, aut aliquod premissorum facere aut venire aliqua ratione, sive causa.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali, in camera cubicularia dicti D. Patriarche. A. N. U. o.

N. 668.

1331 17 *Aprile Udine.*
Il Patriarca denunzia la scomunica al Doge di Venezia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Illustri Domino Amico Carissimo, Domino Francisco Dandulo Venetiarum, Dalmatie, et Croatie Duci, nec non Domino quarte partis, et dimidie totius Imperij Romani, Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegiensis Patriarcha salutem prosperam et felicem. Non libenter, sed amare vestre notum facimus amicitie, quod mandatum a Domino Nostro Venerabili Patre Domino Bertrando Dei Gratia Ostiensi, et Vellitrensi Episcopo Apostolice Sedis Legato recepimus hodie, ut Vos denunciari faciamus excommunicatum per omnes

Ecclesias Provincie nostre subiectas ex causa illius Comitis, quam vos non credimus ignorare. Ideoque rogamus, ut cum oporteat nos dicto mandato, et aliis Romane Ecclesie obedire, non adscribatis nobis, quod invite facimus in hac parte: suadentes Vobis pleno cordis affectu, ut vestre et Civium vestrorum providentes quieti, cum eadem Sancta Matre Ecclesia quantocius concordetis. Ad quod siquidem operari possemus, opem et operam, ut mandabitis, ipsi dabimus libenter, nam nobis valde displicet, quod in indignatione ejus maneatis etiam per momentum.

Datum Utini, XVII. Aprilis. C. F. o.

N. 669.

1331 18 *Aprile Udine.*
Proposizioni fatte dal Patriarca nel Parlamento, ed elezione de' Consiglieri.

In Nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem M.CCC.XXXI. Indictione XIV. Infrascripta facta, et firmata fuerunt in Colloquio generali celebrato in Utino, in sala inferiori Castri et Palatii Patriarchalis, die Jovis XVIII. Aprilis; in quo quidem Colloquio interfuerunt, more solito, Liberi, et Ministeriales, Communitates, et alii vocati, ex quibus collegi infrascriptas notabiles personas.

D. Guillelmus Decanus Aquilegensis
D. Fr. Gibertus Abbas Mosacensis
D. Fr. Joannes Abbas Rosacensis
D. Guido Decanus Civitatensis

D. Odoricus Plebanus de Strassoldo
D. Eusebius Canonicus Aquilegensis
D. Jacobus de Carraria Canonicus Civitatensis
D. Articus miles de Prampergo
D. Pregonea miles de Spilimbergo
D. Federicus de Villalta
D. Joannes de Villalta
D. Gerardus de Cucanea
D. Joannes de Cucanea
D. Nicolussius de Cucanea
D. Joannes antiquior de Cucanea
D. Fantinus de Cucanea
D. Rizzardus de Valvasono
D. Phamphinus de Prampergo
D. Asquinus de Colloreto
D. Federicus de Morutio
D. Amphossius della Turre
D. Hermacoras della Turre
D. Carlevarius della Torre
D. Federicus della Turre
D. Bernardus de Strassoldo
D. Ossalchus de Strassoldo
D. Federicus de Savorgnano
D. Franciscus de Manzano
D. Federicus de Maniaco
D. Rapotus de Budrio
D. Odoricus de Budrio
D. Ropretus de Tercano
D. Conradus Bojanus)
D. Guillelmus Magistri Gualteri) pro Civitate.

D. M.[r] Odoricus Notarius)
D. Botus Notarius) de Utino
Federicus q.[m] Galvagni)
Mapheus Notarius de Aquileja
Nicolaus Notarius de Glemona

Et aliorum quamplurium multitudo copiosa.

Propositis per Ven. Patrem D. Paganum Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham diligenter et provide injuriis, gravaminibus, et oppressionibus, que illate sunt, et inferuntur continue sibi, et Ecclesie Aquilegensi, et servitoribus ejusdem, et maxime noviter in partibus Istrie e Pole per illos de Comitatu Goritie, simul cum Petro de Petra Pilosa, ob quorum causam dictum Colloquium convocaverat ipse Patriarcha: requisivit instanter omnes et singulos de Colloquio sub fide qua tenentur sibi et Ecclesie Aquilegensi, atque ipsis districte mandavit, quatenus super prefatis sibi consulere deberent fideliter, ut tenentur, tamquam fideles servitores et subditi Ecclesie Aquilejensis, et prout expedierit, et consultum fuerit pro defensione honoris, et jurium Ecclesie Aquilejensis, suum sibi prestarent auxilium et favorem.

Quesito igitur more solito ab universis in dicto Colloquio constitutis, quid circa predicta videbatur agendum, et quid consulebant, provisum fuit et ordinatum, et firmatum ibidem, nemine discrepante, quod quia salubrius, et discretius super talia consuli potest per paucos, quam per multos, Dominus Patriarcha habere deberet Consiliarios suos, ex illis qui erant ibidem. Et quod nova fieret electio de duodecim Consiliariis, scilicet de duo-

bus pro Prelatis, de duobus pro Liberis, de quatuor pro Ministerialibus, et de quatuor pro Communitatibus; qui duodecim simul cum aliis viderent, tractarent, agerent, et adimplerent simul cum Reverendissimo Patriarcha omnia, et singula, que utilia et necessaria essent circa predicta pro honore et statu Ecclesie Aquilegensis, et servitorum ejusdem; qui duodecim eandem haberent potestatem, quam habet totum Colloquium, et quod quidquid per ipsos fiet, habeat firmitatem et robur, ac si per totum Colloquium factum esset.

Surgentibus igitur, et se in partem trahentibus, juxta eorum consuetudinem, omnibus de dicto Colloquio pro eligendis dictis duodecim Consiliariis, electi fuerunt infrascripti, qui finito Colloquio pro complendis predictis cum Domino Patriarcha remanserunt, videlicet.

D. Decanus Aquilegensis)
D. Abbas Rosacensis) pro Prelatis

Mapheus Notarius pro Communitate Aquilegie
Conradus Bojanus pro Communitate Civitatensi
Federicus de Savorgnano pro Communitate Utini
Federicus della Turre Capitaneus Glemone pro Com. Glemone.

Federicus de Villalta)
Bernardus de Strassoldo) pro Liberis

Articus de Prampergo)
Pergonea de Spilimbergo)
Asquinus de Colloreto) pro Ministerialibus
Rizzardus de Valvasono)

A. C. U c.

N. 670.

1331 18 *Aprile Udine.*
Licenza di Caccia concessa dall' Abbate di Moggio, ad Odorlico di Cucagna.

Jacobino di Soragna Not.

In nomine Domini. M.CCC.XXXI. Indictione XIV. die Jovis XVIII. Aprilis. Nobilis vir Symonettus filius D. Odorlici de Cuchagna constitutus in presentia venerabilis viri D. Giberti Dei et Apostolice Sedis gratia Monasterii S. Galli de Mocio, Aquilegensis Diocesis, Abbatis, pro parte dicti sui patris, eumdem D. Abbatem rogavit instanter, et ab ipso cum omni reverentia, qua potuit, postulavit, ut de gratia speciali dicto suo patri concederet, quod posset nuntium, et venatorem, seu aucupatorem transmittere ad capiendum accipitres super montes ipsius D. Abbatis, et sui Monasterii antedicti. Cujus Symonetti dictus D. Abbas precibus adquiescens, de gratia speciali pro ista vice, concessit et dedit gratiam, seu licentiam supradictam: ita tamen quod propter hoc ipsi D. Ódorlico nulla aucupandi super ipis montibus jurisdictio acquiratur.

Actum Utini, sub porticu, juxta Cisternam Patriarchalis Palatii. Presentibus D. Jacobo de Carraria Canonico Civitatensi, Petro Mora, Federico Galvagni de Utino, et Johanne de Gaymis de Parma testibus vocatis ad hoc specialiter et rogatis. A. D. U. o.

N. 671.

1331 19 *Aprile Udine.*

Rizzardo e Gerardo da Camino danno sicurtà per la restituzione di Meduna al Patriarca secondo i patti fra loro stabiliti.

Gubertino da Novate Can. P.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. XXXI. Indict. XIIII. die XVIII. Aprilis. Presentibus Venerabilibus viris Dominis fratre Johanne Rosacensis, et Giberto Mosacensis Monasteriorum Abbatibus, Guilelmo Decano Aquilegensi, ac Nobilibus viris Dominis Artico de Prampergo, et Pregonia de Spinimbergo militibus testibus, et aliis ad hec specialiter vocatis et rogatis.

Cum discretus vir Jacominus notarius de Camino, procurator, et procuratorio nomine nobilium virorum Dominorum Rizardi et Gerardi de Camino inferiori fratrum, prout de procuratorio hujusmodi constare dicebatur per instrumentum scriptum manu Marcholini not. de la Motta, anno, et indictione presentibus, die X mensis Aprilis, obtulerit facere, et prestare securitatem duarum millium marcharum Aquilegensis monete Reverendo in Christo P. et domino domino Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, quam ipsi nobiles de Camino facere debent, et tenentur ipsi domino Patriarche pro restitutione Terre de Meduna, juxta pacta et conventiones alias inita inter ipsum Dominum Patriarcham, et

dictos nobiles de Camino; idem Dominus Patriarcha dixit et respondit, quod paratus erat recipere securitatem ipsam, secundum formam, et continentiam pactorum initorum inter partes ipsas.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U o.

N. 672.

1331 22 Aprile Udine.

Francesco da Firenze vende a Federico di Savorgnano un credito verso Federico d' Austria.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die vigesimo secundo mensis Aprilis, Utini, in Castro, et Palatio Patriarchali, in Camera D. Patriarche. Presentibus ven. viris D.D. Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicariis, Zonfredino de Oppreno Vicedomino, Eusebio de Romagnano Canonico Aquil. Capellano, Obizino Malamosca de Mediolano familiare D. Patriarche infrascripti, et Hendrico q.m D. Mathie de Carnia testibus vocatis et rogatis.

Cum discretus vir Franciscus de Florentia, precio et foro quingentarum marcharum puri argenti et justi ponderis de Wienna, per se, suosque heredes, nec non hereditario nomine, et vice Conradi et Ottonis de Florentia fratrum suorum cesserit, dederit, tradiderit, vendiderit, atque manudederit, nobili viro D. Federico filio q.m D. Constantini de Utino pro se, suisque heredibus, et cui jus suum dare voluerit recipienti, omnia jura, omnes-

que rationes, et actiones reales et personales, utiles et directas, tacitas et expressas, que, et quas habebat, seu habere videbatur contra, et adversus Serenissimum Principem D. Federicum Dei gratia Regem Romanorum et semper Augustum, ac fratres suos Duces Austrie, et eorum subditos et mercatores, nomine et causa cujusdam debiti mille marcharum argenti cum dampnis et expensis in quibus idem D. Federicus Rex et fratres dicto Francisco et fratribus obligati dicebantur, nec non causa et nomine quarundam reppresaliarum eidem Francisco concessarum, seu occasione tolletterum sibi super hoc concessarum per Reverendum in Christo Patrem D. Paganum Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcham, aut alia quacumque ratione, aut causa, prout hec omnia in quodam publico Instrumento scripto manu Federici q.m Galvagni notarii sacri palatii, sub anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto, indictione octava, die decimoctavo Martii a me Notario viso et lecto, plenius continetur. Prefatus D. Federicus de Utino, in presentia predicti ven. Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche constitutus, petiit ab ipso D. Patriarcha humiliter, et instanter, ut cessionem, traditionem, et venditionem hujusmodi ratam et gratam dignaretur habere. Qui D. Patriarcha considerans, et attendens petitionem ipsius D. Federici justam esse; quod factum erat per ipsum Franciscum et ipsum D. Federicum super cessione et venditione predicta, ratificavit, laudavit, et approbavit, et presens instrumentum publicum confirmavit, volens, statuens, et ordinans, quod sepedictus D. Federicus eandem potesta-

tem, licentiam, et auctoritatem habeat super exactione dicto Francisco concessa, quam idem Franciscus habebat, aut habere poterat, vigore privilegiorum concessorum eidem. C. F. o.

N. 673.

1331 24 *Aprile Udine.*

Istrumento di Lega e confederazione fra Pagano Patriarca d' Aquileja, e Alberto e Mastino fratelli dalla Scala.

Eusebio de Romagnano Not.

Anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo tricesimo primo, Indictione XIIII. die mercurii XXIIII. mensis Aprilis; Utini in Palatio Patriarchali, et in Consilio infrascripti domini Patriarche: in quo Consilio erant Ven. viri domini Fr. Johannes Abbas Rosacensis et Guillelmus Decanus Aquilegensis, ac nobiles et discreti viri domini Articus de Pranpergo miles, Bartholomeus de Spinimbergo pro D. Pregonia fratre suo, Bernardus et Hendricus de Strassoldo, Asquinus de Colloreto, Fredericus de Savorgnano, Conradus Bojanus de Civitate, et Fedriginus de la Turre Capitaneus Glemone Consiliarii electi pridie in Colloquio generali. Venerabilis pater dominus Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia sancte Sedis Aquilejensis Patriarcha una cum predictis Consiliariis suis, et ipsi Consiliarii, nomine totius Universitatis Forijulii, ex vigore, et potestate eis tradita pridie per ipsam

Universitatem in generali Colloquio, cum eodem domino Patriarcha fecerunt, et firmaverunt amicitiam, confederationem, ligam et societatem cum nobili et prudenti viro domino Bernardino de Scannabeccis Potestate Coneglani, nuntio ad hoc specialiter misso per Magnificos dominos dominos Albertum, et Mastinum de Lascala Civitatum Verone, Vicentie, Padue, Tarvisii, Feltri, et Belluni Capitaneos, et dominos generales, et cum eisdem Dominis: et ipse Dominus Bernardinus, nomine ipsorum Dominorum cum eisdem Domino Patriarcha et Consiliariis, et Universitate predicta, secundum pacta ordinata et tractata inter eos per Venerabilem virum Dominum Morandum de Porciliis Canonicum Aquilegensem sigillata sigillis dictorum dominorum Patriarche, et Alberti, et Mastini, que omnibus ipsis nota esse dicebant. Promittentes invicem, eorum nominibus, et quibus supra, omnia supradicta illibata servare: salvo semper ex parte ipsius Domini Patriarche, et suorum, mandato Sedis Apostolice et Legatorum, ac Nunciorum ejusdem; et quod ad aliquid non teneatur, quod veniret contra Sanctam Romanam Ecclesiam, vel predictorum mandata: et salvo ex parte dictorum Dominorum de Lascala quod non obligentur contra Romanum Imperium. Interfuerunt testes predicti nobiles viri Domini Hermachoras et Antoniolus de Laturre, et Dominus Odolricus de Utino notarius.

Eodem anno, die v mensis Maj. In Campardo, Cenetensis Diocesis. Presentibus testibus infrascriptis, et multitudine copiosa. Congregati ad Parlamentum Ven. Pater Dominus Paganus Dei gratia sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha ex una parte, et Magnificus dominus dominus

Albertus de La Scala de Verona, pro se et Domino Mastino fratre suo Civitatum Verone, Padue, Vicentie, Tarvisii, Feltri, et Belluni Domini, et Capitanei Generales ex altera, firmaverunt invicem, et inviolabiliter tenere promiserunt, manuali fide data, puram et caram vicinantiam, fraternitatem, amicitiam, societatem, ligam, et unionem. Promittens idem Dominus Patriarcha prefato Domino Alberto recipienti pro se, et dicto fratre suo Domino Mastino, juxta alia pacta olim habita cum bone memorie Domino Canegrandi de Lascala eorundem Dominorum Patruum, claudere et custodire toto suo posse omnes passus et introitus Ecclesie Aquilegensis, qui dumtaxat sunt in potestate ipsius Domini Patriarche, et Ecclesie sue predicte, ne gens aliqua magna vel parva cum armis intret partes Forijulii, que venirent, vel venire vellent in dampnum ipsorum Dominorum de Lascala. Et ad hoc intendit resistere et prohibere totis suis viribus, et potentia. Et si contingat quod aliqua gens veniret, vel intrare vellet per passus predictos, aut per alia loca, ubi ipse Dominus Patriarca non posset resistere, statim cum hoc sentiet, illud significare curabit Dominis antedictis, aut Potestatibus suis in Civitate Tarvisii vel in Coneglano. Salvo semper in predictis Domini Pape beneplacito et mandato, ac Domini Legati Apostolice Sedis. Et versa vice dictus Dominus Albertus pro se et dicto Domino Mastino fratre suo promisit eidem Domino Patriarche, quod si contingat ipsum Dominum Patriarcham habere guerram vel brigam in terris Ecclesie Aquilegensis, dabunt, et transmittent ipsi Domino Patriarche pro defensione sua et jurium Eccle-

sie Aquilegensis celerem et sufficientem succursum, juxta facti qualitatem, et possibilitatem eorum: salvo semper honore et mandato sacri Romani Imperii. Et ut hec superius promissa invicem per Dominos supradictos strictius observentur, infrascripti Nobiles utriusque partis juraverunt dare operam efficacem, quod utraque pars contra eam non veniet, sed servabit illa inviolabiliter bona fide et pura. Videlicet pro parte ipsius Domini Patriarche, Domini Francischinus de Laturre, Artichus de Prampergo miles, Morandus, Brizalia, Articonus de Porcilliis, Nicolaus, Gabriel et Nicolussius de Prata, Fantussius, Gerardus et Biachinus de Pulcinico, Franciscus de Pinzano, Rizardus de Valvasono, Fridericus da Savorgnano, et Armannus de Carnia pro Commune Utini, Ulvinus de Canussio, et Gerardus de Coneglano pro Commune Civitatensi, et Armanus de Glemona pro Commune Glemone. Et pro parte dictorum dominorum Alberti et Mastini juraverunt Nobiles milites Domini Zilibertus q.m Domini Zaulinetti, Jacobus de Verme de Verona, Ubertinus et Marsilietus de Carraria de Padua, ac nobiles viri Bernardinus de Scannabeccis de Bononia Potestas Coneglani, et Taddeus de Ubertis de Florentia. Interfuerunt testes venerabiles viri Domini Fr. Johannes Abbas Rosacensis, Guillelmus Decanus Aquilegensis, Odolricus de Strassoldo Plebanus Levariani, Franciscus de Laturre Prepositus S. Odolrici juxta Tulmentum, cum nobilibus et prudentibus viris dominis Bonifacio de Carbonensibus de Bononia milite, Antonio a Lege de Verona, Magistro Bonmartino Cirologo de Verona, ac Daynesio a Flumine de Padua testibus rogatis, et aliis. C. F. o.

N. 674.

1331 24 *Aprile Udine.*

Il Patriarca Pagano ricerca a Rizzardo e Girardo da Camino la sicurtà di dieci Feudatarj, com' era pattuito prima di consegnar Meduna.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis Millesimo Trecentesimo Tricesimo primo, Indictione xiv. Die Mercurii xxiv. mensis Aprilis, Utini, in Palatio Patriarchali. Presentibus testibus Venerabili viro fratre Bernardo Abbate Monasterii sancti Petri de Silva, Parentine Diocesis, Magistro Odolrico Notario de Utino, e Frederico q.m ser Galvagni de Utino Notario, et aliis. Cum in pactis factis inter Venerabilem Patrem dominum Paganum Dei gratia sancte Sedis Aquilegensis Patriarcham ex una parte, et nobilem virum dominum Gerardum de Camino pro se, et fratre suo domino Rizzardo ex altera, de quibus constat publico Instrumento tradito per me Notarium infrascriptum, Anno proxime preterito, die xxiv. mensis Junii, in quo inter cetera continetur, quod idem dominus Patriarcha debet eisdem fratribus dare Gastaldiam Terre de Meduna ad ipsum dominum Patriarcham pertinentem ab hodierna die usque ad unum annum, sub certis pactis, et conditionibus in ipso instrumento contentis, pro quibus observandis iidem Fratres debebant dare ipsi domino Patriarche fidejussores x de infrascriptis domibus, Videlicet de Prata, de Porciliis, de Ca-

stello, de Cuchanea, de Spilimbergo, de Valvasono, de Colloreto, et Mels, et de Villalta. Et propter hoc cum misissent ad ipsum dominum Patriarcham Danielem q.m Domini Zambeche de Camino, qui dicebat se procuratorem, et nuntium eorumdem dominorum Gerardi, et Rizzardi ad prestandam dictam securitatem: et ipse Daniel proferret, nomine quo supra, dare sibi fidejussores dominos Pregoniam de Spilimbergo, Brizaliam de Porcilis, Bartolutium ejus nepotem, Nicolaum de Prata, Rizzardum de Valvasono, Nicolaum et Guezellonem fratres, Articonum q.m domini Peregrini, Gerardum, Franciscum, et Gabrielem Fratres omnes de Pulcinico, a quibus omnibus se sufficiens mandatum habere dicebat promittendi, et obligandi pro eis, et eumdem Dominum Patriarcham requireret nomine sepedicto, ut reciperet hujusmodi securitatem, et daret sibi Gastaldiam predictam; Alioquin protestabatur de pena in pactis predictis apposita: Idem Dominus Patriarcha respondit ipsi Danieli, quod si eidem constaret de legitimo ipsius mandato, sicut nec constabat, paratum se offerebat recipere illos fidejussores, qui de domibus existunt in pactis memoratis contentis: de aliis vero nullum recipere intendit. Et si dicti Fratres de Camino, ut promiserunt, circa hujusmodi securitatem et alia in dictis pactis contenta fecerunt, et servaverunt, ac etiam servabunt promissa, ipse eis omnia diligentissime, et ad unguem servabit. Quod si non fecerint, aut non fecerunt, protestabatur, et ipse contra eosdem fratres de pena, sive penis in eodem Contractu appositis, et de dampnis pariter, et expensis. C. F. o.

N. 675.

1331 25 *Aprile Udine.*

Il Patriarca Pagano nega di dare la Gastaldia della Meduna ai Signori da Camino se questi non prestassero la pattuita sigurtà.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die Jovis xxv. Aprilis. In eodem palatio. Presentibus D. Bernardino de Scannabeccis Potestate Coneglani, D. Petro Mora, Vicario dicti D. Patriarche, Francisco de Lamota, qui habitat in Meduna, dominis Anfussio, Carlevario, Antoniolo, Hermachora, et Fedrigino de la Turre, Frederico de Sourognano, Bartolucio de Lacalcina de Bononia, et aliis multis. Idem D. Patriarcha intendens predictis Dominis de Camino servare promissa, si et ipsi eidem promissa servabunt, quamvis terminus expiraverit infra quem debebant sibi prestare securitates super facto Gastaldie Medune, protestatus fuit in presentia nobilis viri D. Morandi de Porcilis Gastaldionis ipsius Terre de Meduna, in cujus manibus eadem Terra fuit posita, tempore quo facta fuerunt pacta inter eundem D. Patriarcham, et dictos dominus de Camino, et prefati etiam Francischi de Lamota, qui ambo fuerunt tractatores pactorum; quod omnia ipsa pacta servare vult et intendit, dummodo serventur sibi ex parte ipsorum Dominorum de Camino. Et insuper de benignitate, si adhuc usque ad diem Dominicam proximam ipsi D.D. de Camino prestiterint ei

securitates promissas, dabit eis dictam Gastaldiam, ut promisit, quamvis terminus expiraverit memoratus. Alioquin ab inde in antea faciet de Gastaldia ipsius Terre id, quod videbitur pro meliori suo, et Ecclesie sue Aquilegensis. Inhibens eidem D. Morando expresse, sub pena fidelitatis, qua sibi, et Ecclesie predicte tenetur, ne dictam Terram tradat eisdem de Camino, aut aliquibus aliis absque sua licentia speciali. C. F. o.

N. 676.

1331 9 *Maggio Prata.*

Non avendo i Signori da Camino data la promessa fidejussione insiste il Patriarca perchè gli restituiscano la Terra della Meduna.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die Jovis ix. Maii. In Ecclesia S. Jacobi de Prata. Presentibus testibus Dominis Guilielmo Decano Aquilegensi, Manfredo et Brizaglia de Porcilis, Nicolao de Prata, Francisco de Pinzano, et multis aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius suprascripti D. Patriarche, nomine, et vice ipsius D. Patriarche, requisivit in presentia nobilis viri D. Gerardi de Camino ibidem constituti, a nobili viro D. Morando de Porcilis, qui tenet Medunam ex commissione dicti D. Patriarche, et qui in festo S. Georgii proxime preterito debebat illam assignare dicto D. Gerardo et D. Rizzardo ejus fratri, si ipsi dedissent

certos fidejussores dicto D. Patriarche de ipsa Terra Medune restituenda ei in capite anni, et certa pacta servassent olim inita inter eos; quod cum ipsi fratres eadem pacta non servaverunt, nec dederunt fidejussores predictos, et terminus sit elapsus, Terram predictam libere et expedite tradere debeat D. Patriarche predicto. C. F. o.

N. 677.

1331 11 *Maggio S. Vito.*
Feudo d' Abitanza in S. Vito concesso dal Patriarcà a Castellino Malacria.

Eusebio da Romagnano Not.

Die sabbati xi. Maii. In sala Castri Patriarchalis S. Viti. Presentibus testibus venerabilibus viris D. D. Abbate Rosacensi, et Decano Aquilegensi, D. Petro Mora de Mediolano, et aliis.

Dictus D. Patriarcha, considerata bonitate Castellini Malacrie habitatoris sui de Castro S. Viti, et quod habitantia sua, quam habet non est bene sufficiens, ut decens est; considerata etiam utilitate Ecclesie sue Aquilegensis, concessit eidem Castellino pro se, et suis heredibus, et habitantie ejus univit, et adjunxit quandam petiam terre inculte juris ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis predicte, positam in territorio S. Viti, ubi dicitur Subitus Ripam, que potest esse circa novem camporum, cui coherent ab una parte Communia S. Viti, ab

alia Armentaricia de Savorgnano, et ab alia terra Armani Quatrepani de Belgrado, et ab alia terra Artici dicti Misci. Ita quod idem Castellinus et heredes predictam petiam terre plantent, laborent, teneant, et possideant, sicut cetera bona que habent in feudum habitantie, et de fructibus ejus quidquid voluerint faciant, solvendo tamen ipsi D. Patriarche omni anno in festo Nativitatis Domini libram unam piperis. C. F. o.

N. 678.

1331 12 *Maggio S. Vito.*
Privilegio accordato ai Sig.i della Fratina.

Gabriele da Cremona Not.

Die XII. mensis Maii, in loco S. Viti, super sala majori Patriarchalis Palatii. Presentibus ven. viris Dominis Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicariis infrascripti D. Patriarche, Guillelmo Decano Aquilegensi decretorum Doctore, ac nobilibus et discretis viris D. Lanzarotto de Birago Gastaldione dicti loci S. Viti, Hermanno notario de Glemona q.m Zambonini, Guillelmo de Victuono habitatore S. Viti predicti, testibus, et aliis pluribus.

Quia locus de la Fratina situs apud confinia Ecclesie Aquilegensis in partibus Forojulii per ipsius fortificationem D. Patriarcha Aquilegensis, et ejus Ecclesia, ac tota Patria posset sumere plurimas defensiones, tutelas, et commoda: et versa vice, si ad aliquorum emulorum prefate Ecclesie, quod absit, manus perveniret, ipsa Ec-

clesia multis posset offensionibus, dampnis et periculis subjacere: idcirco Rev. in Christo pater et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia, S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, provida meditatione premonitus, cupiens eisdem periculis obviare, ac sibi et Successoribus suis, ac Ecclesie Aquil. ejusque subjectis salubriter providere; Nobilibus viris Dominis Hermanno et Nicolao della Fratina Ministerialibus suis dilectis, ac ipsorum fratribus, consanguineis, et heredibus, et posteris eorundem de domo predicta nomen trahentibus, per se, et Successores suos, ac suo, et Aquil. Ecclesie nomine, dedit, et tradidit; ac ad perpetuam rei memoriam de gratia speciali concessit, quod locus ipse de la Fratina ab oppressionibus, impugnationibus, pignorationibus, et gravaminibus quibuscumque Gastaldionum suorum, et Ecclesie Aquilegensis liber sit de cetero totaliter, et exemptus. Reservata in se correctionis emenda, ac excessuum, et delictorum pena, cum debita dominii potestate. Ita quod quicumque pro securitate bonorum suorum dicta bona deposuerit, aut locaverit ad salvandum in loco predicto, infra cortinam, seu cinctam, aut foveam dicti loci construendas, et reparandas, ejusdem exemptionis privilegio utatur, gaudeat, quo ad defensionem ipsorum bonorum intus existentium, sicut domini della Fratina predicti: mandans nihilominus idem D. Patriarcha efficaciter et expresse suis Ministerialibus antedictis, ut ad fortificationem dicti loci viriliter, et studiose intendant, ac premoneant, sollicitent, et inducant incolas circumstantes, ut ad fortificationem prefatam manus adjutrices apponant. C. F. o.

N. 679.

1331 13 *Maggio S. Vito.*
Feudo di Abitanza in S. Vito concesso dal Patriarca a Zannino di Settimo.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XIII. Maii. In dicto Palatio S. Viti. Presentibus testibus D.D. Abbate Rosacensi et Petro Mora Vicariis suprascriptis, Lanzarotto de Birago Gastaldione dicte Terre S. Viti, Armano de la Fratina, et aliis.

Suprascriptus D. Patriarcha, cupiens pro utilitate et honore Ecclesie sue Aquilegensis ampliare de bonis hominibus, et plantare dictam suam Terram de S. Vito, fecit habitatorem ipsius Terre S. Viti Zaninum de Septimo, filium q.m Pitucii de Septimo ibi presentem, et recipientem pro se, et suis heredibus, et promittentem stare, et habitare cum familia sua in eadem Terra S. Viti, et servire ipsi D. Patriarche, et suis Successoribus quoties expedierit cum equo et armis, sicut habitatorum moris existit, et fidelitatem servare. Et ei assignavit, et concessit, loco habitantie, infrascriptas terras juris sui et Ecclesie memorate, ut illas habeat, teneat, et possideat, ac illis utatur, et fruatur donec ipse D. Patriarcha dabit sibi alias terras et possessiones assignatas per Predecessores suos in habitantiam, cum eas vacare continget, aut emerit sibi tot, et tantas alias que sufficiant, juxta morem aliarum habitantiarum: quibus assignatis et

habitis, infrascriptas ipse dimittere teneatur: et insuper voluit ipse D. Patriarcha, ut idem Zanninus habeat tantum territorium in loco S. Viti, ubi assignabitur sibi per D. Lanzarottum de Birago Gastaldionem, et Guilelmum de Victuono habitatorem ejusdem loci, quod sibi sufficiat ad domum, sive stanciam competentem. Terre autem predicte nunc eidem Zannino assignate sunt hee. In primis dimidius mansus situs in villa de Septimo, rectus per Floritum, quem tenet sub brachio: Item sex campi in prato Fajano, qui sunt terre nove extracti de nemore recti per Articum, et per Tardinum de Septimo, volens ipse D. Patriarcha quod predictus Armanus de la Fratina eundem Zanninum ponat in tenutam et possessionem predictarum terrarum, et illum ad hoc sibi nuncium dedit. C. F. o.

N. 680.

1331 13 *Maggio S. Vito.*
Investitura di Ottobono di Valvasone.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XIII. Maii. In dicto Palatio S. Viti. Presentibus testibus Dominis Abbate Rosacensi, et Petro Mora Vicariis suprascriptis. Lanzarotto de Birago Gastaldione dicte Terre S. Viti, Armano de la Fratina, et aliis.

Prefatus D. Patriarcha, jure habitantie, investivit Franciscum q.^m D. Ottoboni de Valvaxono de uno manso terre sito in dicta Terra S. Viti, qui olim fuit D.

Gaiete et filiorum suorum Campanesii et Bortulussii, cujus mansi medietas regitur per Nicolaum dictum Pilavium, et alia medietas per Petrum de Mauro, ut idem Franciscus dictum mansum cum omnibus juribus et pertinentiis suis deinceps, jure habitantie, habeat, teneat, et possideat, et de ipso quidquid voluerit faciat, salvo jure Ecclesie Aquilegensis, sine contradictione cujuscumque persone. Pro qua quidem investitura ipse Franciscus promisit ipsi D. Patriarche stare, et habitare cum familia sua in dicta Terra S. Viti, et juxta morem aliorum habitatorum, eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi servire fideliter, quoties fuerit opportunum; et hoc etiam juravit ad sancta Dei Evangelia. Dato sibi nuncio per eundem D. Patriarcham ad ponendum eum in tenutam dicti Mansi, Armanno D. Fantussii de la Fratina predicto. C. F. o.

N. 681.

1331 13 *Maggio S. Vito.*
Feudo d' abitanza in S. Vito concesso dal Patriarca a Giacobino Malaeria.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Item ibidem; prefatus D. Patriarcha pro se, et Successoribus suis, et Ecclesia Aquilegensi, medietatem pro indiviso habitantie q.m Ponsoti de Sancto Vito, que ad Culacium filium et heredem ejusdem Ponsoti, hereditario jure, pervenerat, et que devoluta est et excisa ad ipsum

D. Patriarcham, propter maleficium factum per eundem Culacium, contulit Jacobino q.[m] Castelli Malacrie de Cumis, qui habitat in Sancto Vito, ut habeat, teneat, et possideat perpetuo jure habitantie per se, et suos heredes, ac faciat quidquid voluerit, sine contradictione cujuscumque persone, salvo jure ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Ita tamen quod idem Jacobinus, et heredes ejusdem sustineant pro illa medietate habitantie illa onera, que incumbent facienda, et serviat ipsi D. Patriarche, ejusque Successoribus, et Ecclesie memorate, secundum consuetudinem habitatorum ejusdem loci S. Viti, sicut dictus Culacius tenebatur servire. Et dedit eidem Jacobino prefatus D. Patriarcha pro nuncio ad ponendum eum in possessionem medietatis habitantie predicte, Armannum D. Fantussii de la Fratina. C. F. o.

N. 682.

1331 13 *Maggio S. Vito.*
Feudo in S. Vito accordato a Filippo de Vandolis.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die XIII. mensis Maii, in loco S. Viti, in sala majori Patriarchalis Palatii. Presentibus D. Petro Mora de Mediolano Vicario, Aymerico de la Turre domicello D. Patriarche infrascripti, Castellino et Benodussio de Malacriis de Cumis habitatoribus S. Viti testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Lanzarotus de Birago Mediolanensis, Gastaldio S. Viti, volens D. Patriarche et Ecclesie Aqui-

legensi utilem et fidelem servitorem acquirere, de bonis infrascriptis, que fuerunt Cozanelli q.m Domini Marchabruni de S. Vito rebellis et banniti de Terra predicta S. Viti, et de quibus idem Cozanellus propter ejus nephanda opera, per sententiam juste et rationabiliter dicitur fuisse privatus, ex potestate ad ipsum Gastaldionem devoluta, nec non de voluntate, et consensu Rev. Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, ibidem presentis, mandantis, et consentientis dedit, tradidit, atque investivit omni jure, et modo quo potuit, discreto viro Philippo q.m Bolognini de Vandolis de Massa Fischalie commoranti in S. Vito, ibidem presenti, ac pro se, et suis heredibus recipienti bona predicta, que inferius annotantur. In primis unum campum positum in villa S. Viti, choeret ab una parte Niger, ab alia heredes q.m Hendrigeti, ab utraque parte via publica. Item unam aliam peciam terre positam in pertinentiis S. Viti. Choerent ab una parte heredes q.m Gualchoni da S. Vito, et alia Castellinus de Malacriis habitator S. Viti, ab alia Missus, et ab alia via publica: Item unam aliam peciam terre positam in dictis pertinentiis in loco qui dicitur Armentareza. Choeret ab una parte . . . de Savorgnano, ab alia Armentareza, et ab alia via publica. Item unum campum de Pozalles positum juxta terram quam possidet D. Michael de S. Vito. Item unum alium campum de Pozalles, cui coherent heredes q.m D. Gualchoni predicti, et heredes q.m D. Bertholasii. Que omnia regebantur per Odoricum de la Fracta dictum Caunizam. Item unam aliam peciam terre, que dicitur Cincta Bernardi, positam

in territorio antedicto, coheret ab una parte Presbinus, ab alia Tafarellus, ab alia Patoellus, et ab alia est via publica. Ita quod idem Philippus cum omni jure habeat, teneat, at possideat bona prefata et de ipsis faciat omnem suam voluntatem, utilitatem, et commodum. C. F. o.

N. 683.

1331 16 *Maggio S. Vito.*
Benadussio Malacria di S. Vito è investito del Feudo d' abitanza che prima apparteneva a Cozonello Marcabruni.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die Jovis XVI. Maii. In dicta Sala S. Viti. Presentibus dicto D. Petro Mora, D. Lanzaroto de Birago Gastaldione diei loci, D. Carlevario de la Turre, et aliis. Cum quidan Cozonellus Marchabruni de Sancto Vito, habitator ipsius loci, suis culpis exigentibus, per laudum et sententium exciderit ab omnibus bonis, que habebat in dicto loco S. Viti, et aliis partibus subiectis Ecclesie Aquilegensi, et ad ipsam Aquilegensem Ecclesiam eadem bona sint devoluta; venerabilis Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, volens de ipsis bonis immobilibus maxime, prout ad eum pertinet, providere, deputavit pro habitantia, quam tenebat idem Cozonellus, infrascriptas petias terre, ex quibus non habet de habitantia nisi libras L. in pecunia, ut de cetero ipse

petie terre, et domus subscripta sint, et esse debeant ejusdem habitantie in perpetuum. Videlicet domum unam sitam in Castro S. Viti, cui coherent a mane habitantia heredis q.m Bortolacii; a sero est habitantia Utasii, a meridie platea Castri, et a septentrione ejusdem Castri spineta. Item petiam unam terre vineate, que dicitur Centa de Bagno, cui coherent ab uno latere heredes q.m Johannis Pisolai, ab alio Meliorinus, ab alio D. Patriarcha, et ab alio via quedam, rectam per Durigucium. Item aliam petiam terre vineate, que etiam regitur per eundem Durigucium cui sunt fines ab una parte terra que fuit dicti Cazonelli, ab alia heredes q.m Gualconi, ab alia heredes q.m Morandi, et a quarta via. Item unum campum situm in contrata qua itur ad Savorgnanum, cui coherent ab uno latere Aulinus, ab alio heredes q.m Monfloriti, ab alio Salina, a quarto via publica, et laboratur per dictum Durigutium. Item unum campum juxta vadum Buride, cujus hii dicuntur confines ab uno latere via publica, ab alio Leonarduscius de Fabria, a tertio Decanus S. Viti, a quarto heredes q.m Almerici, et regitur per Pelinum Auteniani. Item unum campum eundo ad Rosam, cujus sunt confines ab uno latere heredes q.m Gualconi, ab alia fontana quedam, a tertio Comunia, et a quarto via quedam: et laboratur per dictum Durigucium. Item alium campum ultra fontanam, cui coherent ab uno latere heredes q.m Gualconi, ab alio Pasqualinus Notarius, ab alio via quedam, et a quarto terra que fuit dicti Cozonelli; Et laboratur per dictum Durigucium. Item alium campum sub braida, ab uno latere coherent heredes q.m Monfloriti, ab alio he-

redes q.m Gualconi, ab alio Rodulfus q.m Galvani de Gleres, et quarto Maurus de Zilea, et laboratur per Pilavium. Item unum alium campum ultra fontanam, cui sunt fines ab uno latere Marchus q.m D. Averardi, ab alio heredes q.m Gualconi, a tertio Communia, et a quarto via publica, et laboratur per supradictum Durigucium. De quibus quidem domo et terris sic, ut premittitur, pro habitantia deputatis, idem D. Patriarcha, nomine suo, et Ecclesie Aquilegensis, jure habitantie perpetuo investivit cum uno capucio quod tenebat in manu Benaduxium filium q.m D. Castelli Malacrie habitantem in S. Vito, ut deinceps illa habeat, teneat, et possideat, utatur, et fruatur cum omnibus juribus et pertinentiis suis, et de ipsis quidquid voluerit faciat per se, et suos heredes, salvo jure Ecclesie Aquilegensis, absque contradictione ipsius D. Patriarche, et Successorum suorum, et cujuscumque alterius persone. Ita tamen quod idem Benadusius et sui heredes continue in dicta Terra S. Viti habitent, et serviant cum equis et armis eidem D. Patriarche, suisque Successoribus et Gastaldionibus, qui pro tempore fuerint in ipsa Terra, sicut moris est habitatorum servire. Quod quidem promisit idem Benadussius fideliter adimplere, et ad Sancta Dei Evangelia etiam juravit. Insuper ut dicti Benadussius, et sui magis ad devotionem, et servitia dicte sue Aquilegensis Ecclesie accendantur, concessit, et dedit ipsi Benadussio, et ejus heredibus legittimis ex eo descendentibus in feudum alias terras et possessiones, que fuerunt dicti Cozonelli feudales supradicte Ecclesie ab antiquo, et ipsum Benadussium, ut supra, investivit de ipsis, et commisit Guilielmo de

Victuono ejusdem Castri habitatori; ut eundem Benadussium ponat in tenutam et corporalem possessionem ipsarum terrarum et jurium concessarum eidem. Que sunt iste. Primo dimidia pars pro indiviso unius domus cum orto jacentis ante burgum S. Viti, que habitatur per Pasqualinum Notarium. Item dimidia pars pro indiviso alterius domus jacentis juxta predictam, que habitatur per Sabinam. Item dimidia pars alterius domus juxta predictas, quam inhabitant heredes q.m Indrigeti. Item una domus posita ibidem, quam inhabitat Antoniolus Becarius. Item una alia predicte adjacens, quam inhabitat Valentinus de Prodolono. Item alia domus apud eandem posita, quam inhabitat Stephanus Barberius. Quibus omnibus domibus coheret via publica, D. Michael de S. Vito, heredes q.m Almerici, et quedam alia via. Item alia domus cum orto, quam tenet Durigucius Redine cui coheret via publica, heredes q.m Gualconi a duobus partibus, et a quarta heredes q.m Almerici. Item medietas pro indiviso unius Casalis, quod regitur per Zinotum Textorem, cui coherent heredes q.m Almerici, via publica, et ab aliis duobus lateribus heredes q.m Gualconi. Item una petia prati eundo ad furcas, cui coherent Florianinus, Maurus, et Communia. Item una alia petia prati cui coherent ab uno latere Johannes Pisolai, ab alia heredes q.m Gualconi, et a duobus aliis lateribus dicta Communia. Item unus campus ultra Fontanam, cui coherent terra que fuit ejusdem Cozonelli, heredes q.m Gualconi, Carabonus, et iidem heredes Gualconi, et regitur per Petrum q.m Martini Alexii. Item petia una terre aratorie juxta Fontagnonum, que laboratur per

Dominicum q.m Rodulfi de Gleres. Item una petia terre vineate, cui coherent Meliorinus, heredes q.m Almerici, via pubblica, et heredes q.m Morandi, et laboratur per Antoniolum Becarium. Item unum Ortale, quod regitur per Pizolum de Florida, cui coherent heredes q.m Almerici, heredes q.m Gualconi, et terra que fuit ejusdem Cozonelli. Item quarta pars Decime unius mansi habitantie D. Guilelmi, qui regitur per Andriussium. Item dimidia pars pro indiviso cujusdam terreni, quod laboratur per Johannem Sclavucium. In quo est una petia terre vineate, posita juxta locum qui dicitur Puteus. Item una petia terre aratorie juxta locum qui dicitur sub Riva. Item alia petia terre prope illam de Subriva. Et alia petia juxta eam. Item una Moliniareza, que est super aquam Prodoloni. Item medietas decime cujusdam mansi habitantie D. Guilelmi de Victuono, que laboratur per Andreussium de S. Vito. C. F. o.

N. 684.

1331 29 *Maggio Udine.*
Pagano ordina che si estenda la relazione dei prodigj operati dal B. Odorico.

P. Asquini Vita del B. Odorico.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilectis nobis discretis viris Meliorantie Canonico Utinensi, Manfeo Cassine, et Guecello Notario de Utino salutem, et sinceram dilectionem.

De fidelitate et providentia vestra plenarie confidentes, vobis, tenore presentium, committimus et mandamus, quatenus euntes per terras, et loca nobis subiecta, miracula, que Altissimus per Beatum Odoricum nuper ostendere fuit dignatus, a quibuscumque diligenter, et sagaciter inquiratis, illaque fideliter reddatis in scriptis.

Datum Utini, anno Dominice Nativitatis millesimo tricentesimo trigesimo primo, Indictione quartadecima, die autem vigesimo nono Maii.

N. 685.

1331. 15 *Giugno Gemona.*
Pascoli del Comune di Bilirs.

Stefano Romano Valconio Not.

Die xv. Junii. Presentibus Andrea dicto Savio, Dominico de Cavatio, Presbitero Vergendo filio Nusii, Johanne q.m Antonii Furtini, Piutio q.m Pionis de Glemona, et aliis. Fulcherinus de Montenars habitans Glemone, ad instantiam Communis et hominum de Bilirs testis fuit productus coram D. Gastaldione dicto Scana sedente in judicio, vice D. Fedrigini de la Turre Capitanei Glemone, qui Fulcherinus interrogatus de veritate dicenda, remotis odio, amore etc. dixit, et in veritate sua asseruit, quod sic, et bene recordatur a nonaginta annis circa quod Pascua, que sunt a Rivo D. Patriarche, usque ad Racholanam fuerunt Communis et hominum de Bilirs, et ipsa pasculabant tamquam sua, et

habuerant predicta, a sua recordatione, pacifice absque contradictione alicujus persone. Et predicta dixit veraciter scire, et bene recordari etc.

Actum Glemone, in foro sub Loza Communis.
A. N. U. o.

N. 686.

1331 24 *Giugno Udine.*
Procura del Patriarca onde riscuotere da Veneziani l' annuale censo per la cessione delle giurisdizioni sull' Istria.

Gubertino da Novate Can. P.

Die XXIV. mensis Junii. Presentibus discretis viris Magistro Condeo de Calio medico, Leone q.m D. Bonifacii, ac Georgio q.m D. Guarini de Oppreno familiaribus D. Patriarche infrascripti testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Venerabilis in Christo pater et D.D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, suo, et Ecclesie Aquil. nomine, fecit, constituit, et ordinavit suum verum et legitimum procuratorem discretum virum D. Zonfredinum de Oppreno Vicedominum suum, presentem, et mandatum hujusmodi suscipientem ad petendum, exigendum, et recipiendum a magnificis D. D. Francisco Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatie, et Croatie Duce, ac domino quarte partis et dimidie totius imperii Romani, ac Commune ejusdem, illas ducentas et XXV, marchas Aquil. novorum, quas eidem D. Patriar-

che et Ecclesie Aquil. predicti D. Dux et Commune Venetiarum dare tenentur, et debent in Kalendis mensis Octubris proximi venturi, pro juribus Istrie, secundum pacta inita inter ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquil., et dominos Ducem et Commune predictos; nec non ad faciendum eisdem finem, quietationem, et pactum de ulterius non petendo. Et ad omnia alia et singula faciendum, que in predictis, et circa predicta fuerint opportuna. Promittens mihi notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti nomine omnium quorum interest, aut intererit, se ratum, et firmum perpetuo habiturum quidquid per dictum procuratorem suum factum fuerit in predictis, et circa predicta, sub suorum et Ecclesie Aquil. bonorum omnium ypotheca. In cujus rei testimonium, et roboris firmitatem idem D. Patriarcha jussit presens publicum Instrumentum per me notarium infrascriptum confici, et sui sigilli appensione muniri.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 687.

1331 25 *Giugno Udine.*

Il Decano del Capitolo di Aquileja chiede copia delle Costituzioni stabilite nel precedente Parlamento.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die vigesimo quinto mensis Junii. Utini, in Castro Patriarchali, in camera infrascripti D. Patriarche. Pre-

sentibus ven. viris D. Petro Mora de Mediolano Vicario, Magistro Condeo Medico de Calio, Johannolo q.m D. Zochi de Novate, domicello, familiaribus ipsius D. Patriarche, Francisco de Mugla testibus, et aliis pluribus.

Ven. vir D. Guillelmus Decanus Aquil. coram Rev. Patre D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha constitutus, requisivit humiliter et instanter ab ipso D. Patriarcha, ut Constitutionem novam ejusdem D. Patriarche sibi Decano, ac D. Decano Civitatensi transmissam super Beneficiis illicite acquisitis, quam idem D. Patriarcha in suo generali Colloquio die Dominico nuper elapso, videlicet vigesimo tertio presentis mensis Junii, publicari fecerat, sibi facerat assignari, et tradi, ut illam similiter in Ecclesia Aquilegensi, sicut mandabatur eidem, posset facere publicari, et legi, ad hoc, ut evitaret penas in ipsa Constitutione contentas. Alioquin protestabatur, et dicebat, quod non remanebat per ipsum quin adimpleret quod sibi mandabatur. C. F. o.

N. 688.

1331 27 *Giugno Udine.*

Pagano assoggetta la Chiesa di S. Ruperto presso Gurgfeld all' Abbazia di Landestrost.

Dai manoscritti del Fontanini.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegiensis Patriarca. In perpetuum excitat nos cura Pastoralis officii, ut circa conservationem Mona-

steriorum, et Ecclesiarum, et ceterorum piorum locorum nostre Diocesis, maxime in quibus viget observantia regularis, et hospitalitas condigne servatur, vigilantius intendamus, ne in parte collapsa, perpetuam patiantur ruinam. Cum igitur, Monasterium Fontis Sancte Marie in Landestrost Ordinis Cisterciensis Nostre Diocesis in partibus Ungarie positum, satis ab olim abundans pro sustentatione Abbatis, et Conventus aliarumque personarum ibidem degentium, propter Ungarorum incursionem, quibus subjacet, et expoliationem quasi continuam, quam evitare non potest, adeo sit bonis propriis expoliatum, et possessionibus devastatum, quod nisi succuratur eidem, locum ipsum ob inopiam, desolationi patere oporteret. Nos ipsius Abbati, et Conventui paterno compatientes affectu, eisque, prout possumus, ad elevationem eorum et ejusdem loci nostros humeros submittentes, Ecclesiam S. Ruperti juxta Savum, prope Gurgfeld Arcidiaconatus ejusdem Diocesis, ad nostram provisionem spectantem, cum omnibus juribus suis. eidem Monasterio perpetuo annectimus et unimus; ita quod sustentatione Presbiteri servientis ibidem, et populi curam gerentis deducta, universi ipsius Ecclesie fructus, redditus, et proventus in usum Abbatis, et Conventus predictorum totaliter convertantur. Unde quibus tam decimas Papales, collectas Legatorum, Sedisque Apostolice Nunciorum, ac nostras, et Successorum nostrorum, que incumbunt pro tempore, sicut ab olim consuetum est, solvere teneatur, omni jure nostro, et Ecclesie nostre Aquilegiensis tam in Cathedratico, quam aliis in eadem Ecclesias semper salvo. Ordinantes insuper, et eidem Abbati et Conventui

in communi injungentes, ut annuatim pro animabus Predecessorum Nostrorum Patriarcharum Aquilegensium, unum, et specialiter pro anima bone memorie Patriarche Raimundi quondam Patrui Nostri unum aliud anniversarium solemniter debeat celebrare, et Nostrum etiam in die, qua venerit, sicut decet. In quorum testimonium presentes fieri jussimus nostri sigilli appensione munitas. Datum Utini, in nostro Palatio Patriarchali, anno Dominice Nativitatis MCCCXXXI. Indictione XIV. quinto Calendas Julii. B. S. D. c.

N. 689.

1331 27 *Giugno Cividale.*
Tregua tra Nicolò di Castello ed Ettore di Savorgnano.

Stefano da Cividale Not.

Die Jovis quarto exeunte Junio. Nobilis vir D. Nicolaus de Castello pro se, et suis amicis, et servitoribus, in manibus Reverendi in Christo Patris et D.D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquil. Patriarche fecit, et laudavit, ac juravit observare treguas D. Hectori de Savorgnano, et ipsius D. Hectoris amicis, et servitoribus a die hunc proxime, ad quindecim dies, sub pena et securitate quingentarum marcharum denariorum Aquil. monete, cum ista conditione, quod si prorogarentur ipse tregue, nihilominus fidejussores infrascripti remanerent obligati, prout ibidem extiterunt, aut consti-

tuerunt. Et pro ipso D. Nicolao extiterunt fidejussores D. Federicus da Villalta, Bernardus de Strassoldo, Henricus de Strassoldo, Johannes Franciscus de Castello, Bossius de Mels, Petrus de Petrapillosa, Franciscus, Guarzutus, et Pertholdus de Manzano, Ulvinus de Canussio, Johannes Furlanus de Castillutto, Ugo de Civitate, Odorlicus de Budrio, et Johannes de Portis, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

Et similiter D. Hector laudavit, et juravit ipsas treguas pro se, suis amicis, et servitoribus in manibus ipius D. Patriarche eidem D. Nicolao, suis amicis, et servitoribus ad dictum terminum, et sub dicta pena, et securitate. Et pro ipso D. Hectore extiterunt fidejussores infrascripti sub illa conditione, ut supra. D. Odorlicus de Cucanea, et Articus de Prampergo milites, et Fulcherus de Savorgnano, Paulus de Civitate, Conradella de S. Daniele, Brisinus de Toppo, Bartolomeus de Murutio, Conradus de Cergneu, Federicus, Stephanus, et Franciscus de Zegliacco, Magister Odoricus Notarius de Utino, Jacobus Plebanus de Osopio, Federicus de Cergneu, et Petrus de Toppo, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium, et futurorum.

Actum in Civitate Austria, in palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. Fr. Johanne Ab. Rosacensi Vicario ipsius D. Patriarche, Philippono de la Turre Preposito Civitatis, Guidone Decano Civitatis, Petro Mora Vicario ipsius D. Patriarche, et Jacobo de Carraria Canonico Civitatis; et Nobilibus viris D.D. Antoniolo de la Turre nepote ipsius D. Patriarche. Conrado de Be-

nardigio Gastaldione Utini; Federico q.m D. Galvagni, et Parisino notariis, et Odorlico Myulita de Utino testibus, et aliis. A. C. U. o.

N. 690.

1331 1 *Luglio Udine.*
Nomina del Gastaldo di Dignano d' Istria.

Gubertino da Novate Can. P.

Paganus etc. Dilectis fidelibus nostris universis, Communi et hominibus Adignani, et aliarum Villarum de Regalia salutem in Domino sempiternam.

Populorum commodis tunc recte prospicitur, cum eorum regimini rectores idoneos preponuntur, per quorum industriam salubriter gubernentur, et eorum status de bono in melius prosperetur. Cupientes itaque ut vos, qui nobis et Ecclesie Aquil. estis mero et misto Imperio snbjecti, per talem regamini Gastaldionem, cujus industria et circumspecta prudentia in statu tranquillo et pacifico conservari possitis, discretum virum dilectum nostrum Bertucium Caprarie de Adignano, de cujus fidelitate et discretione plenam in Domino fiduciam obtinemus, nostrum constituimus, et facimus Gastaldionem, usque ad nostrum beneplacitum, cui Garictum, et jurisdictionem omnium terrarum et villarum predictarum committimus per presentes, salvo jure Marchionis nostri Istrie: mandantes vobis universis et singulis districte precipiendo, quatenus eidem Bertucio, tan-

quam Gastaldioni vestro de cetero in iis, que ad ipsius Gastaldie spectant offitium, fideliter obediatis, tanquam nobis. Alioquin penas, seu multas, quas rite tulerit in rebelles, ratas et gratas habebimus, et faciemus eas, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Utini, Primo Julii. Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXI. Ind. XIV. A. N. U. o.

N. 691.

1331. 5. *Luglio Udine.*
Protesta di Bernardo di Brazzacco.

Enrico Not.

Die v. Julii. In Castro Utini, in palatio Patriarchali. Presentibus nobili viro D. Henrico de Strassoldo, Magistro Johanne phisico de Aquilegia testibus, et aliis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D.D. Pagano Patriarcha Aquilegensi, D. Bernardus de Brazzacco inferiori dixit, quod ipse Patriarcha misit litteras suas talis tenoris, quod Consortes sui sint parati comparere cum armis, videlicet cum uno equo de lancea eundo ubi ipse D. Patriarcha voluerit, et cum dicti sui Consortes, videlicet illi de Brazzacco superiori, noluerint facere predicta, dicentes, quod Domini de Castello rogaverunt eos, ut essent parati, quando continget, pro eis; et cum ipse D. Bernardus paratus erat predicta adimplere, protestavit quod sibi prejudicari non deberet. A. N. U. o.

N. 692.

1331 17 *Luglio.*

Passaporto de' Trivigiani ad un Commesso del Comune di Gemona concesso per venir a Trivigi, non ostanti le rappresaglie fra queste due Comunità allor correnti.

Verci Doc. 1173.

Petrus de Verme Potestas Tervisii ad instantiam, et requisitionem Nob. Viri Domini Federici de la Turre Capitanei, Consilii, et Communis de Glemona, discreto viro Hermano Civi Glemone venturo Tervisium ex parte dictorum Capitanei, Consilii, et Communis Glemone, eorum intentione informato super quibusdam negotiis nobis exponendis per ipsum, secundum quod in litteris dictorum Capitanei, Consilii, et Communis de Glemona nobis missis continetur, plenam, et liberam fidantiam cum uno socio, et familio, in personis, et equis, et rebus suis in veniendo, stando, et redeundo, tenore presentis, concedimus, et largimur, diebus xv a data presentis duraturam, non obstantibus reppresaleis aliquibus cuicumque concessis. In cujus rei testimonium presentes Communis Tervisii sigilli munimine roboratas eidem Hermano duximus concedendas.

Data Tervisii, Die Mercurii xvii. Julii xiv. Ind.

N. 693.

1331 30 *Luglio Cividale.*
Non si permette che prendano, parte dell' eredità del defunto Custode di Cividale quelli fra suoi nipoti che sono in disgrazia di quel Comune.

Gubertino da Novate Can. P.

Die penultimo Julii. Presentibus venerabilibus viris Dominis Guillelmo Aquilegensis, Guidone Civitatensis Ecclesiarum Decanis, presbitero Setimino Mansionario Civitatensi, Francino de Laude Notario D. Patriarche infrascripti testibus, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis, Vicarius Reverendi Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche precepit Niculussio Archidiacono Carnie, ac Mansionario Civitatis, nepoti q.m D. Johannis Custodis Ecclesie Civitatensis, sub pena excommunicationis, et privationis beneficiorum suorum; quatenus de bonis hereditatis dicti q.m Custodis nullam partem habeat dare presbitero Benedicto, seu Ottussio fratri suo, similiter nepotibus dicti q.m Custodis, nec cuique alii non existentibus in gratia Communis Civitatis. Aliis autem quibus debetur aliquid de ipsa hereditate, det partem suam, sicut sibi placeat, et justum sit.

Actum Civitate, in palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 694.

1331 1 *Agosto Udine.*
Vendita del Castello di Flagognà.

Stefano da Cividale Not.

Die primo Augusti. Actum in viridario Monasterii S. Petri, prope Utinum. Presentibus D. Guidone de Manzano Decano, et Odorlico de Strassoldo Canonico Ecclesie Civitatis, Federico de Villalta, Johanne Francisco de Castello, Federico de Castro Raymundi, Buyatino filio Buyati de Cormono testibus, et aliis.

Jacobus filius q.m D. Ropreti de Flagonea pro se, suisque heredibus, proprium jure proprii, et feudum jure feudi, et conditium, jure condititii dedit, et vendidit nobili viro D. Nicolao de Castello, ementi pro se, suisque heredibus omne jus tam proprietatis, quam possessionis quod habet, aut videtur habere in castellario Flagonie, sediminibus, dominicalibus, mansis, braydis, campis, terris, silvis, cesis, pratis, venationibus, piscationibus, masnata, decimis, et garito, et quibuscumque aliis suis juribus et pertinentiis, que possent sibi pervenire in Contrata Flagonee, quocumque titulo, modo, forma, et tenore ubicumque sint in dicta Contrata, et quocumque nomine censeantur ad habendum, tenendum, possidendum, dandum, donandum, vendendum, alienandum, obligandum, et quidquid ipsi D. Nicholao, suisque heredibus, aut cui jus suum dederit deinceps placuerit, perpetuo faciendum etc. et hoc pro pretio et foro centum marcharum denariorum Aquile-

gensis monete. De quibus ipse venditor vocavit sibi solutum, et plenarie satisfactum ab ipso emptore, et si plus valuerint bona predicta, illud plus donavit nomine donationis inter vivos, quam nulla ingratitudine valeat revocari etc. Renuntians exceptioni sibi non dati et soluti pretii etc. Que quidem bona dictus venditor constituit se precario nomine possidere, etc. et promisit manutenere sub obligatione etc. et nunquam venire contra etc. sub pena dupli etc. et nuntius tenute Federicus predictus. A. N. U. c.

N. 695.

1331 *Flagogna.*

Florido di Flagogna vende ad Ettore di Savorgnano la parte che in quel Castello era di sua ragione.

Gubertino da Novate Can. P.

Anno M. CCC. XXXI. Presentibus Nobilibus viris Dominis Clarello et Nicolao Pizolo de Ragonea, Conradella de S. Daniele, Raynaldo de Toppo, et Petro de Toppo testibus, et aliis.

Nobilis vir Floridus q.m Guarienti de Flagonia, vendidit D. Hectori de Savorgnano partem suam, quam habet in Castro veteri de Flagonea, ac omne jus, quod habere posset, aut habet contra Fratres suos, occasione alicujus pene in quam incidissent eidem pro septuaginta marchis. Manutentor est ipse super bonis.

Actum Flagonie, apud turrem, que fuit q.m Jaco-

mutii et filiorum Philippussi, et Ropreti de Flagonia. A. N. U. o.

N. 696.

1331 1 *Agosto Cividale.*
Paolo Bojano è creato Uffiziale del S. Uffizio.

Da pergamena esistente presso ai Sig.[i] Bojani.

In Christi nomine amen. Nos frater Franciscus de Clugia Ordinis Minorum, Inquisitor heretice pravitatis in Venetiis, Tervisii, Verone, Forojulii, et alibi per Sedem Apostolicam deputatus, Nobili viro D. Paulo Buyano de Civitate Austrie salutem, et sincere dilectionis affectum.

Quia merita fidelium, maxime qui verbo et opere zelant pro fide Christi et honore divini nominis, et ad estirpandam hereticam pravitatem se exponunt periculo vite presentis, debent preter retributionem eternam, a fidelibus, spiritualibus et temporalibus beneficiis recompensari: hinc est quod cum vos et heredes vestros inter certos Christi fideles inveneram, circa fidem Catholicam et Officium Inquisitionis beneficos et devotos, et pugiles speciales, exponentes vos omni periculo pro honore et favore fidei et Officii Inquisitionis, sicut experientia certa probavimus, in testimonium et premium virtutis, preter illud, quod a Deo expectare potestis: tenore presentium, vos, et heredes vestros eligimus et constituimus Officiales Officii Inquisitionis, et nostros: et vobis, et he-

redibus vestris omnem veniam, omnemque indulgentiam elargimur: nec non et licentiam ferendi arma per universas et singulas Civitates, et Terras, et loca nostre jurisdictioni subjecta concedimus, atque damus, quam concedere, elargiri, et dare possumus per Constitutiones, et Papalia privilegia. Et si, quod absit, et quod nunquam invenimus, unquam verbo, vel facto offendissetis Officium Inquisitionis, usque ad diem presentem absolvo vos, et absolutum per presentes dimitto. Ad perpetuam rei memoriam hanc autem concessionem facimus in actis Officii registrari. Datum in Civitate Austria, in loco S. Francisci Fratrum Minorum, sub anno Domini M.CCC.XXXI. die primo mensis Augusti, quartedecime Indictionis. Presentibus Fratre Francisco de Montesilice Custode Forojulii, et fratre Jacobo de domo Dei de Padua Ordinis Minorum. C. C. F. c.

N. 697.

1331 16 *Agosto Udine.*
Giovanni da Pinquento chiamato a giustificarsi delle colpe attribuitegli, non comparisce.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die XV. mensis Augusti. Utini, in Castro Patriarchali, in camera D. Patriarche. Presentibus ven. viro D. Petro Mora de Mediolano Vicario infrascripti D. Patriarche, ac nobilibus et discretis viris D. Anfossio de la Turre de Mediolano, Francisco de Manzano, Odorico

Not. de Utino, Hendriote q.m Federici de Castro Utini, Federico Ser Galvagni not. de Utino, Johanne de Faganea habitatore dicti loci, Guezello Not. filio D. Damiani de Portogruario testibus, et aliis pluribus.

Comparuit coram ven. viro D. Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Judicis ad infrascripta per sententiam constituti et dati, Rev. Pater et D.D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, proponens et dicens, quod cum obtinuisset per sententiam coram D. Ab. predicto judice sibi dato, quod propter enormia, ac varia, et diversa que Juanus de Pinquento subditus Ecclesie Aquil. contra honorem. et statum ipsius D. Patriarche, et Ecclesie Aquil. commiserat, et continue committebat, idem Juanus per specialem nuncium citari deberet, ac sibi precipi ex parte ipsius D. Abbatis, ad petitionem ipsius D. Patriarche, quod usque ad octo dies, post mandatum sibi factum, comparere deberet coram D. Abbate predicto ad se excusandum et defendendum super predictis, ac etiam respondendum eidem D. Patriarche, dictoque nuncio sibi per sententiam dato: cumque dictum Juannum citaverit, et requisiverit, et hodie sit ultimus dies illorum octo dierum, petiit, et petebat idem D. Patriarcha ibidem per sententiam diffiniri, quid circa hoc agendum erit. Quesito igitur a circumstantibus per D. Abbatem predictum quid juris; sententiatum fuit ab omnibus ibidem, nemine discordante, quod idem Juanus vocandus erat, more solito, ad scalas. Facta igitur proclamatione publica, alta voce, quia idem Juannus non venerat, nec comparuerat, quesivit iterum ipse D. Patriarcha per sententiam diffiniri, quid agendum erat. Et facta indaga-

tione simili, sententiatum fuit ab omnibus, quod ipse D. Patriarcha probare debebat mandatum factum Juanno predicto, et diem termini sibi dati. Et sic ad probandum predicta venit cum dicto D. Abbate Petrus Clericus de Utino, qui ibidem coram omnibus dixit, et retulit, quod per juramentum quod fecerit, preceperat ex parte ipsius D. Abbatis Juanno de Pinquento in dicto loco personaliter invento, quod usque ad octo dies venire deberet, et comparere coram dicto D. Abbate ad petitionem D. Patriarche predicti, ad excusandum se, et defendendum, et respondendum super iis de quibus ipse D. Patriarcha de ipso conqueritur, et quod hodie est octavus dies. Post relationem sic factam, petiit ipse D. Patriarcha per sententiam iterum diffiniri, si dictus nuncius bene et sufficienter probaverat mandatum, et terminum factum, et datum Juanno predicto. Et tunc presente Domino Abbate predicto, sententiatum fuit, quod idem D. Patriarcha bene et sufficienter probaverat mandatum et terminum supradictum. Quibus sic peractis, ipse D. Patriarcha iterum petiit..... C. F. o.

N. 698.

1331 15 *Agosto Sclavina.*

Dimanda di un salvocondotto a Carlevario della Torre Comandante dell' esercito Patriarcale, e sua risposta.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xv. mensis Augusti. Presentibus nobilibus viris D. Jacobo de Cormono milite, Bernardo de Strassoldo,

Friderico de Murutio, Tolberto de Prata, Richardo Wich et Lamberto de S. Tomer testibus, et alijs ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Constitutus in presentia nobilis viri D. Carnevarii de la Turre Capitanei exercitus D. Patriarche Aquil. in contrata Arispergi, providus vir D. Johannes de Wich conestabilis, ac stipendiarius dominorum de la Scala, rogavit eundem, ut dicere vellet, si affidabat quendam servitorem Volvini de Steymberch, qui veniat ad villam de Sclavina, ubi est exercitus dicti D. Patriarche, in hospitium D. Friderici Visdomini de Sagita conestabilis et stipendiarii predictorum dominorum de la Scala. Qui D. Carnevarius respondit et dixit, quod Albertus Raspa stipendiarius ipsorum Dominorum ad ipsum venerit hodie dicens, quod predictus Volvinus miserat rogando ipsum, quod de uno ingesto empto per eundem Albertum, qui fuerat acceptus cuidam servitori ipsius Volvini, sibi placeret facere permutationem cum uno alio equo, propter quod rogabat idem Albertus dictum D. Carnevarium, quod unum servitorem prefati Volvini affidaret, ita quod posset secure venire ad exercitum memoratum cum dicto equo, pro permutatione hujusmodi facienda, et ipse D. Carnevarius eidem responderat, quod affidabat ipsum cum dicto equo veniendo ad quandam villam longinquam a dicto exercitu per dimidium milliare, dicens quod non erat bonum, ut ex servitoribus dicti Volvini aliquis veniret ad dictum exercitum propter aliqua verba sibi dicta per dictum D. Johanem, et ejus socios, et consuluerat eidem Alberto, qui bene sciret dictum Ingestum dicere carum, quia intel-

lexerat quod ille cui acceptus fuerat dictus ingestus, computabat cum dicto Volvino in caro foro.

Actum in villa de Sclavina, in domo habitationis Henrici filii Struzani de Vipacho. A. N. U. o.

N. 699.

1331 16 *Agosto Udine.*
Crociata predicata in Cividale per distruggere l' idolatria in Caporeto.

Universis Christi fidelibus ad quorum notitiam presentes littere pervenerint, Frater Franciscus de Clugia Ordinis Minorum, Inquisitor Heretice pravitatis in Venetiis, Forojulii, et alibi pro Sedem Apostolicam deputatus, salutem in Domino Jesu Christo.

Commissi officii nos opportuna cura sollicitat, ut ea que fidei fervorem respiciunt et augmentum prompte exequi et ferventer, quantum nobis humane fragilitatis conditio subministrat, proinde nuper in Aquilegensi Diocesi aliqualem moram trahentes, in certis partibus dicte Dyocesis errores aliquos invenimus, quos nec dissimulare poteramus, salva conscientia, nec per nos ipsos, sine fidelium potentia, de finibus propriis extirpare. Et ideo de consilio jurisperitorum Religiosorum, et aliorum discretorum vivorum, in solempni predicatione, in Civitate Austrie, dicte Diocesis, convocatis fidelibus, Crucem predicavimus, et dictorum fidelium auxilium instanter quesivimus, Dominicam Crucem impendentes eisdem,

et illam indulgentiam quam ex forma juris, et privilegiorum officii concedere poteramus. Verum quia nonnulli Prelati, Clerici, et Religiosi in tanto opere pietatis ad extirpandos errores predictos nobis adstiterunt; et consilio, et personali subsidio laborando, et itinerando, non sine periculo personali, usque ad locum de Caroreto, ejusdem Dyocesis, ubi inter montes Sclavi innumerabiles arborem quandam et fontem, qui erat ad radices arboris, venerabant pro Deo, illam impendendo creature reverentiam, que ex fidei debito Creatori debetur: quam arborem fecimus cum auxilio predictorum fidelium, penitus extirpari, et fontem lapidibus obturari. Inter quos fideles personaliter laboravit nobiscum venerabilis vir D. Vuorlicus filius D. Pauli Boyeno de Civitate Austrie, Aquilegensis Canonicus, cui illam indulgentiam, et absolutionis beneficium elargimur, concedimus, atque damus, quam, vel quod, ex permissione juris et privilegiorum nostrorum, potest Officium inquisitionis impartiri, absolventes eundem, sicut a nobis humiliter postulavit ad cautelam, juxta formam Ecclesie, ut Interdicti, Suspensionis, et Excommunicationis sententiis Canonicis, et dispensando secum super irregularitatibus, si qua sit ligatus celebrando divina Officia, contraxit. Tenor autem privilegii talis est.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Fratribus de Ordine Minorum Inquisitoribus, et Predicatoribus Crucis super heretica pravitate a suo Ordine auctoritate Sedis Apostolice deputatis, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ut nihil vobis desit, quod ad prosecutionem ne-

gotii vestre circumspectioni commissi pertineat, sed illud in vestris manibus, auctore Domino, prospere dirigatur, absolvendi, juxta formam Ecclesie omnes, qui contra pravitatem hereticam assumpsissent signum Crucis ab Interdicti, Suspensionis, et Excommunicationis sententiis Canonicis, et dispensandi cum Clericis super irregularitatibus, si qua sint legati, celebrando divina Officia, contraxerunt, et commutandi votum eorundem Cruce signatorum, Terre sancte voto excepto, nec non concedendi prefatis Cruce signatis, ut illis gaudeant Indulgentiis et privilegiis, que Cruce signatis in ipsius Terre sancte subsidium, sunt concessa. Et quod tempore generalis Interdicti possint interesse divinis Officiis, et recipere Sacramenta Ecclesiastica in locis in quibus divina eadem, ex indulto Sedis Apostolice celebrantur: quodque ipsi non teneantur ad restitutionem acquisitorum illicite, et hoc publice proposito per Diocesanos, vel saltem presbiteros parrochiales locorum, in quibus videritis expedire, non apparuerint aliqui, quibus eorum restitutio debeatur, dummodo in totum quod de taliter habitis restituere debeant, vel quod commode possunt, secundum vestre discretionis arbitrium, in fidei negotii prosecutionem convertant, auctoritate vobis presentium, concedimus facultatem. Data Laterani, decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo. In cujus rei testimonium hoc publicum Instrumentum mandavimus fieri, et sigilli nostri officii impressione muniri.

Data Utini. Presentibus religiosis viris Fratribus Benevenuto de Tergesto Guardiano loci Fratrum Minorum de Utino, Bompetro de Mantua Ordinis Mino-

rum Lectore ejusdem loci, et Benevenuto de Utino Ordinis Minorum. Anno Domini M. CCC. XXXI. Indictione XIV. die XVI. Augusti, Pontificatus S.S. patris et D. D. Johannis Pape XXII. anno XV.

Ego Frater Johannes de Trevesio Ordinis Minorum, Socius ipsius D. Inquisitoris, Imperiali auctoritate Notarius et Officii Inquisitionis scriba, de mandato dicti D. Inquisitoris hec scripsi. A. C. C. o.

N. 700.

1331 22 *Agosto Udine.*

Il Patriarca Pagano convoca il Parlamento per le questioni vertenti tra Ettore di Savorgnano e Nicolò di Castello, e decisione del medesimo.

Eusebio da Romagnano Can. P.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis M.CCC.XXXI. Indict. XV. Die Jovis XXII. mensis Augusti.

Infrascripta facta sunt in Colloquio generali convocato et congregato in Utino, in sala inferiori Castri et Palatii Patriarchalis: in quo quidem interfuerunt, more solito, Liberi, Ministeriales, Communitates, et alii, inter quos fuerunt infrascripte notabiles persone.

D. Abbas Sextensis.
D. Abbas Mosacensis.
D. Abbas Rosacensis.
D. Morandus de Porcileis.

D. Berofinus Can. Aquil.
D. Armaninus Can. Aquil.
D. Ambrosius Can. Aquil.
D. Odoricus miles de Cucanea.
D. Rizardus ejus nepos.
D. Simon ejus filius.
D. Guernerius de Cucanea.
D. Nicolaus de Cucanea.
D. Articus de Prampergo.
D. Pregonia de Spegnimbergo.
D. Guillelmus de Ungrispaco.
D. Fantussius de Pulcinico.
D. Hendrigus de Strassoldo.
D. Stephanus Not. pro Communitate Glemone.
D. Anfossius de la Turre.
D. Antoniolus de la Turre.
D. Mauritius de la Turre.
D. Johannes de la Turre.
D. Rizzardus de Dercano.
D. Franciscus de Dercano.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Ropretus de Budrio.
D. Franciscus de Sbrolavacca.
D. Squarzuttus de Manzano
D. Nicolaus de Spilimbergo.
D. Magister Johannes Medicus pro Com. Aquilegie.
Mapheus Notarius pro Com. Aquilegie.
Guillelmus Magistri Walteri pro Com. Civitatis.
D. Conradus Gastaldio pro Com. Utini.
Odoricus Notarius pro Com. Utini.

D. Magister Franciscus a Scolis pro Com. Utini.

Et aliorum quampluriuin tam Nobilium, quam aliorum multitudo copiosa.

Facta igitur per D. Patriarcham propositione provida et prudenti super hiis propter que dictum Colloquium erat specialiter convocatum, videlicet super facto discordie vertentis inter D. Hectorem militem de Savorgnano, et D. Nicolaum de Castello, occasione loci Flagonee, qui ad invicem nequiverunt concordari: que quidem discordia erat paritura dispendium, dampnum, et periculum toti Terre Forojulii, nisi tollatur et concordetur: petiit et requisivit ipse D. Patriarcha per omnes et singulos dicti Colloquii, sibi super hoc salubriter consuli, ut evitentur paricula, cessent damna, et status pacificus totius Terre servetur. Quesito igitur, more solito, a circumstantibus, quid consulebant, consultum et firmatum fuit ibidem, nemine discrepante, quod D. Patriarcha habeat, et retineat penes se aliquos de dicto Colloquio statim eligendos, qui videant, deliberent, et provideant super predictis, et quidquid fecerint, ordinaverint, et providerint dicti eligendi, executioni mandetur, et tantum valeat, et teneat ac si per totum Colloquium factum esset. Et firmato de numero Eligendorum, videlicet quod sint novem, electi fuerunt per totum Colloquium infrascripti novem, quibus data est plena auctoritas et potestas totius Colloquii simul cum D. Patriacha super predictis.

D. Abbas Rosacensis.

D. Morandus de Porcileis.

D. Odoricus de Cucanea.
D. Articus de Prampergo.
D. Pregonea de Spegnimbergo.
D. Hendricus de Strassoldo.
D. Asquinus de Colloreto.
D. Franciscus de Tercano.
D. Odoricus not. Utinensis.

Qui novem simul cum D. Patriarcha in unum convenientes, omnibus aliis recedentibus, deliberantes, et cogitentes provide super dictis, ex potestate eis tradita per Colloquium antedictum firmaverunt, statuerunt, et ordinaverunt concorditer, quod primo ante omnia bona pax firmetur et fiat inter D. Hectorem et D. Nicolaum predictos, et quod guarnimentum factum per utramque partem removeatur, et tollatur.

Item quod Castrum vetus Flagonee cum parte, vel partibus illis de quibus est questio, ponatur in manibus D. Patriarche, et custodiatur per quindecim dies, infra quos quindecim dies examinentur, et videantur jura utriusque partis per ipsum D. Patriarcham, et dictos novem, et quod justum fuerit executioni mandetur.

Item quod si alter eorum, contradicens, erit inobediens, vel rebellis super predictis, vel aliquo predictorum, ipse D. Patriarcha cum dictis novem, et cum residuo totius Colloquii contrarius sit dicto inobedienti ad dampna, et destructionem ejus realem et personalem.

Item quod si ex defectu aliquo partis et partium, vel alio quocumque modo res non reformetur predicta infra dictum tempus xv. dierum, ipse D. Patriarcha de-

beat funditus diruere, et destruere Castrum ipsum, jurantes et promittentes vicissim, fide manuali data, ita adimplere, et executioni mandare quod firmatum est inter ipsos, ac astare eidem D. Patriarche viribus et potentia contra illum, qui predicta neglexerit adimplere que ordinata sunt, vel aliquid predictorum; volentes, et statuentes quod predicta taliter firmata vim totius Colloquii obtineant.

Quibus sic peractis, vocatus fuit D. Hector prefatus ad presentiam predictorum, et lectis sibi capitulis antedictis, et vulgari modo, mandatum fuit sibi, quod sicut lectum est, et firmatum, ita faciat et compleat, et quod gentem quam habet apud Castrum Flagonee, statim revocet, et removeri faciat.

Qui D. Hector respondit, et dixit, quod in totum paratus erat obedire, et complere quod sibi per Dominum suum Patriarcham et suum Consilium mandabitur. A. C. U. c.

N. 701.

1331 31 *Agosto Moggio.*
Congiura dei Monaci di Moggio contro il loro Abbate.

In nomine Domini Anno M. CCC. XXXI. Indictione quarta decima. Die ultimo mensis Augusti. Cum venerabilis vir D. Gibertus Dei et Apostolice Sedis gratia Monasterii S. Galli de Mocio, Aquilegensis Diocesis, Abbas esset in Capitulo Monasterii supradicti una cum Monachis ibidem, more solito, congregatis; Frater Johannes

ser Odorlici de Civitate, Frater et Monachus dicti Monasterii constitutus flexis genibus, coram D. Abbate predicto, presentavit eidem quasdam litteras Reverendi patris et D.D. Bertrandi miseratione divina Ostiensis et Vellitrensis Episcopi Apostolice Sedis Legati continentes, ut dicebat, absolutionem suam ab excommunicationis vinculo quo erat adstrictus, pro eo quod in quemdam de Monachis suis manus injecerat temere violentas, ac commissionem dispensationis cum eodem Johanne super irregularitate quam contraxerat sic legatus divina Officia celebrando. Quas quidem litteras D. Abbas predictus reverenter suscipiens in presentia mei Notarii et Testium infrascriptorum, verba protulit infrascripta.

Notum sit omnibus vobis, quod Frater Johannes, qui hic est, fuit conscius, et fautor proditionis facte contra me, et Monasterium Mosacense per Fratrem Florimundum, et fratres de Cerneto; et dum ego essem in predicto Capitulo post factam dictam proditionem, et in virtute obedientie adjurassem ipsum, et alios, si fuerant conscii dicte proditionis, et si aliquando conspiraverant contra me, ut de aliis omittamus, ipse respondit, quod non interrogatus etiam si habuerat de rebus meis, vel familiarium meorum, vel si sciebat aliquem habentem, respondit, quod non. Denum post paucos dies, dum ego essem Glemone, et idem Johannes esset in mea presentia constitutus, quia dictum erat mihi, quod omnino ipse fuerat conscius illius proditionis, precepi sibi in virtute sancte obedientie, et nihilominus feci eum jurare ad S. Dei Evangelia, quod de inquisitis plenam quam sciret diceret veritatem. Unde quesivi eum si aliquando ipse conspi-

ravit contra me, vel sciret aliquos conspirantes, et non manifestaverit mihi: et si aliquid sentivit de proditione predicta, et si derubavit aliqua de meis, vel familiarium meorum. Respondit, quod de illo tractatu, sive proditione nihil sciverat, nisi quod Frater Florimundus dixeret sibi in illa nocte, tu videbis aliqua nova antequam sit dies crastina; et quod nihil habuerat de rebus meis, vel familiarium meorum.

Eadem vero die constitutus coram D. Abbate Rosacensi Vicario D. Patriarche, suo Sacramento dixit et confessus fuit, quod per decem dies et ultra ante novitatem factam contra me per illos de Cerneto, et Johannem Franciscum de Castello scivit debere fieri novitatem predictam, quia Frater Florimundus revelavit sibi omnia, et fecit jurare, quod hoc teneret segretum, dicendo sibi modum, et viam per quam debebant venire ad capiendum me: et quod de rebus meis, et familiarium meorum nihil acceperat, sed bene habuerat duos meos vestitos datos sibi sub Sacramento a Fratre Florimundo predicto. Interrogatus autem per dictum D. Vicarium quare hoc non revelavit mihi quando quesivi ab ipso in virtute obedientie, et prestiti Sacramenti, respondit, quod non fuerat ausus mihi revelare propter timorem mei. Propter que, et alia turpia enormia delicta, que tunc confessus fuit, secundum quod plenius constat per scripturam dicte inquisitionis factam per manum Francini de Laude Notarium D. Patriarche, Dominus Vicarius, et ego dampnavimus eum, ut deberet stare Glemone in carceribus, usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Demum parentum, et amicorum suo-

rum devictus instantia, extraxi eum de dictis carceribus, de licentia, et prece D. Vicarii, et posui eum in carceribus Monasterii Mosacensis, et precepi sibi in virtute obedientie, quod inde nullo modo deberet exire sine mea licentia. Ipse autem in contemptum mandati mei, et contra bonum obedientie, fracto carcere, quadam nocte fugit, et longo tempore vagando discurrit. Tandem revocavi eum ad claustrum, et precepi sibi in virtute obedientie, quod non deberet exire claustrum; et etiam penitentiam eidem imposui pro modo culpe. Ipse vero, tanquam canis ad vomitum rediens, contra mandatum meum, et bonum obedientie in nocte fugit, exivit Monasterium, et quendam de suis Monachis acriter verberavit: que omnia idem Johannes confessus fuit, et publice recognovit, petens dispensationem super irregularitate predicta. Dominus autem Abbas predictus, eidem imposita penitentia salutari, auctoritate litterarum D. Legati, dispensavit misericorditer cum eodem.

Actum Mozii, in Monasterio, et Capitulo predictis. Presentibus Nicholao Priore dicti Monasterii, Fratre Philippo de Glemona, Fratre Marquardo de Mozio Federico q.m D. Galvagni de Utino, et Sagino de Zamoreis Gastaldione Civitatis testibus vocatis ad hoc specialiter et rogatis.

Ego Jacobinus Johannini de Soragna Imperiali auctoritate Notarius Parmensis his omnibus interfui, et presens Instrumentum rogatus scripsi. A. D. U. o.

N 702.

1331 2 *Settembre Udine.*
Feudo in Vindisgretz concesso ad Eberardo ed Urizilino.

Gubertino da Novate Can. P.

Die secundo mensis Septembris. Presentibus nobilibus viris Dominis Guillelmo de Piscatz, Hectore de Savorgnano militibus, ac D. Carnevario de la Turre, et D. Bernardo de Strassoldo testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Reverendus in Christo pater et D. D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, considerans grata et devota obsequia sibi, et Ecclesie Aquilegensi impensa per Eberardum et Urizilinum sagittarios, fratres habitatores in Castro de Vindigretz, volensque eisdem gratiam facere specialem, Curiam unam sitam sub Castro Vindisgretz, in antiquo foro, et novem agros spectantes ad curiam ipsam cum suis pertinentiis, qui exciderunt ipsi D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensi per obitum q. Dietrici de Vindisgretz, qui Curiam ipsam et campos habebat in feudum rectum et legale ab Ecclesia Aquilegensi, et decessit sine legittimis heredibus ex se descendentibus, per se, suosque Successores, et nomine Aquilegensis Ecclesie, prefatis Eberardo et Urizilino pro se, et suis heredibus ad feudum rectum et legale, sicut tenebat dictus D. Dietricus, legittime contulit, et concessit et dictum Urizilinum ibi-

dem presentem et recipientem suo nomine, et dicti fratris sui, ac heredum suorum de Curia, campis, et suis pertinentiis antedictis cum uno caputio, quod in suis tenebat manibus, presentialiter investivit, salvo jure Aquilegensis Ecclesie, et cujuscumque persone. Idem vero Urizilinus suo et nomine antedicto, statim prestitit dicto D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensi fidelitatis debite juramentum. In cujus rei testimonium prefatus D. Patriarcha mandavit presens publicum Instrumentum confici per me Notarium infrascriptum, et sui sigilli appensione muniri.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. C. C. o.

N. 703.

1331 22 *Settembre Castello di Zuccula.*
Tregua dei Sig.[i] *di Spilimbergo e loro aderenti col Patriarca e suoi aderenti.*

Stefano da Cividale Not.

Die nono exeunte Septembri. Actum in Castro Zuccule. Presentibus nobilibus militibus D. D. Odorlico de Cucanea, et Artuicho de Prampergo, Gallutio de Civitate, Ardemano de Rubiguacco, et Nicolao q m Guillelmi Galangani de Civitate habitatoribus Zuccule, et Magistro Bartolomeo, de Civitate commorante Spegnimbergi testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Bartolomeus de Spegnimbergo pro se, D. Pregonia fratre suo, ac D. Johanne de Villalta,

et eorum servitoribus et amicis, excepto Nicolao q.^{m} Guillelmi Galangani, fecit treguas in manibus venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii D. Patriarche recipientis, dicto D. Patriarche, et Communi Civitatis, eorum servitoribus, et amicis, excepto Philippo de Portis, qui non habeat treguas cum Nicholao predicto quo ad personam, sed sic in bonis, usque ad octavam diem inclusive proximi festi S. Martini, sub pena mille marcharum denariorum Aquilegensis monete, toties exigenda, quoties in ea committetur contra predicta, cum ista conditione, quod si aliquis quorum interest contrafaciet, nihilominus tregue remaneant firme, et contrafactioni provideatur arbitrio dicti D. Patriarche, cum consilio Deputatorum per generale Colloquium ad hoc, tali conditione, si placebit D. D. Pregonie et Johanni de Villalta, quod si dicti Domini nollent assentire, dictus D. Bartolomeus cras bona hora, ante solis occasum certificabit D. Patriarche, et Communi Civitatis de Treguis tenendis, aut non tenendis. Cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

Die octava exeunte Septembri. D. Johannes de Villalta confirmavit, et fecit ipsas Treguas, et similiter D. Bartolomeus pro dicto suo Fratre D. Pregonia confirmavit, et fecit ipsas Treguas predictas, sub pena mille librarum predicta, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

Actum ante portam Zucule. Presentibus Nicolao q.^{m} Guillielmi Galangani de Civitate, Ardemano de Rubignacho, Ferauso de Flagonea, Fulchero et Conrado

fratribus filiis D. Aquilegie de Civitate, et Hestoro de Villalta testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 704.

1331 4 *Ottobre Udine.*

Il Castaldo di Carisacco ottiene un compenso dai danni apportati da una scorreria fatta nel di lui territorio.

Enrico Not.

Die iv. Octubris. In palatio Patriarchali. Presentibus nobilibus viris Dominis Ludovico de Cavoriaco, Musato ejus Fratre, Meynardo de Morutio, Federico Burella de Florentia, Parisino Notario, Seracino de Vincentia predictis testibus de Utino, Stephano Notario de Civitate, et aliis.

D. Mapheus Buraza Gastaldio de Carisaco obtinuit per laudum et sententiam quod accipiet de bonis hominum de .... xl denarios occasione cujusdam exfortii facti per dictos homines ville predicte, et pro quolibet quadraginta denarios, coram venerabili viro D. Petro Mora D. Patriarche Vicario: et nuntius fuit Johannes de Avenzono Notarius, Utini commorans. A. N. U. o.

N. 705.

1331 21 *Ottobre Udine.*

Norma stabilita dal Patriarca dietro la quale il Parroco e il Chierico di Villacco devon dividersi tra loro i frutti e i pesi del Benefizio.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xxi. mensis Octubris. Reverendus in Christo pater et D. D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha mandavit Georgio de Oppreno familiari suo, ut ex parte sua precipere deberet Dominis Conrado Plebano de Villacco, et Odorico de Strassoldo Clerico ejusdem Plebis, quod hodierna die, hora Vesperarum peremptorie esse deberent coram eo ad audiendam sententiam diffinitivam, quam ferre intendebat super divisione, et ordinatione redditimum et proventuum Plebis, et Clericatus predictorum de Villacco. Qui quidem Georgius mandatum hujusmodi statim fecit eisdem Plebano et Clerico, in presentia testium infrascriptorum, et sic ipse D. Patriarcha, volens procedere ad expeditionem ordinationis et divisionis premisse, dum pulsaretur ad Vesperas, dictis Dominis Conrado et Odorico presentibus, et modo predicto citatis, sedens pro tribunali, sententiam in scriptis protulit infrascripti tenoris. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, universis et singulis per Civitatem et Diocesim nostram constitutis, salutem in Domino sempiternam. Dudum suborta mate-

ria questionis inter dilectos nostros Conradum Plebanum de Villaco, et Odoricum de Strassoldo dicte Plebis Clericum, super bonis et honoribus dicte Plebis dividendis inter ipsos Plebanum et Clericum, ac eisdem Plebano et Clerico in nostra presentia constitutis, nobisque humiliter supplicantibus, et cum instantia requirentibus, ut altercationem jam dictam de medio partium predictarum, dividendo bona, jura et honores predictos inter ipsos Plebanum et Clericum per diffinitivam sententiam, ordinaria auctoritate, tollere, ac modis omnibus funditus extirpare dignaremur. Nos vero qui pacem subditorum paterna affectione optamus, in qua una cum ipsis subditis avide quiescimus, et letanter fovemur in ea, liti predicte finem imponere anhelantes, partibus predictis presentibus, et coram nobis peremptorie citatis ad audiendam diffinitivam sententiam, super ordinatione, dispositione, divisione jurium, bonorum, et redditunm dicte Plebis per nos, et nostram sententiam fienda inter predictos Plebanum et Clericum, pro tribunali sedentes, et illum solummodo pre oculis habentes, qui ad cor respicit, non ad manus, in hiis scriptis sententiamus, pronunciamus, diffinimus, et declaramus, quod bona dicte Plebis, jura, et honores ejus, redditus undecumque, et quomodocumque obveniant ipsi Plebi de Villaco, sive in bonis quibuscumque extrinsecis, et quocumque nomine censeantur, sive in quibuscumque oblationibus et redditibus cujuscumque generis existant, equaliter dividantur, et partiantur inter ipsos Plebanum et Clericum; ita tamen quod versa vice onera, et expense, ac angarie quecumque ejusdem Plebis modo simili per medium et equaliter dividantur,

perpetuis temporibus inter predictos Plebanum et Clericum, qui nunc sunt, et ibidem canonice in posterum creabuntur, tum in alimentandis Sacerdotibus, qui eidem Plebi et Capelle B. Marie Virginis dicte Plebis deserviunt, tum in alimentandis etiam servitoribus Plebis predicte, unusquisque pro media parte, et sic etiam in solvendo Collectas, onera, et factiones, ac provisiones Romane Ecclesie, Legatorum, et Nuntiorum ipsius ac Patriarche, et Ecclesie Aquilegensis: et expense, et onera quecumque alia, modo simili quocumque obveniant ipsi Plebi inter se, ut premissum est, equaliter dividendo. Que quidem sententia lata, et publicata per dictum D. Patriarcham, prefati D. Plebanus et Clericus ipsam ratificaverunt, et approbaverunt, promittentes eamdem, et omnia, et singula contenta in ipsa, inviolabiliter observare, obligando ad hoc omnia sua bona mobilia et immobilia, presentia et futura.

Lata, lecta, publicata, et promulgata fuit sententia antedicta per dictum D. Patriarcham Utini, in Patriarchali palatio, presentibus venerabilibus viris Dominis fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario infrascripti D. Patriarche, Jacobo de Carraria Canonico Civitatensi, ac nobilibus viris Dominis Bernardo de Strassoldo, Federico de Savorgnano, Hendrico de Carnea, Gabriele de Cremona Notario dicti D. Patriarche, Nicolao Urolich judice de Villacco, Piligrino, Nicolao Roster et Ottone de Villaco, ac Magistro Petro doctore Scolarum de Villaco testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis. A. N. U. o.

N. 706.

1331 30 *Ottobre Cividale.*
Tregua del Patriarca con Volvino da Steymberch.

Gubertino da Novate Can. P.

Nos Paganus etc. Notum facimus universis et singulis ad quos presentes pervenerint, quod per nos, ac subditos, et servitores nostros treguas facimus cum Volvino de Steymbergh, ac amicis, subditis, servitoribus, et ejus sequacibus a data diei presentis, usque ad Epiphaniam Domini proxime venturam: quas quidem treguas sub fide nostra attendere et observare promittimus. In cujus rei testimonium et firmitatem presentes jussimus fieri nostri sigilli impressione munitas.

Datum Civitate Austrie, die penultimo Octubris, Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXI. Indic. XIV. A. N. U. o.

N. 707.

1331 10 *Novembre Cividale.*
Compenso per servigi prestati accordato dal Patriarca a Guglielmo di Piscatz.

Gubertino da Novate Can. P.

Noverint universi presentes literas inspecturi, quod nos Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, pro servitiis nobis, et Ecclesie nostre exhibitis, in Contrata

Arisperch per nobilem militem D. Guillelmum de Piscatz, et dampnis passis per eundem, promittimus ipsi dare, et solvere hinc ad duos annos proxime futuros Marchas ducentas solidorum in terminis infrascriptis: videlicet quinquaginta marchas in proximo festo Paschatis Pentecostes, et totidem in festo B. Hermacore proxime venturo: et residuum in eisdem festis alterius anni proxime subsequentis, scilicet quinquaginta marchas in utraque ipsarum festivitatum: pro quibus eidem domino Guillelmo obligamus omnia bona nostra et Ecclesie nostre, presentia et futura. De captione autem, et redemptione ipsius non intendimus, sicut nec tenemur, aliquid sibi dare, quoniam inordinate et improvide ingressus fuit ad bellum, in quo extitit captivatus, ac etiam quia Castrum nostrum de Sclavina tradidit absque nostri licentia et beneplacito in manus emulorum nostrorum. In cujus rei testimonium presentes fieri fecimus nostri sigilli impressione munitas.

Datum Civitate, x mensis Novembris м. ccc. xxxi. Indic. xiv. A. N. U. o.

N. 708.

1331 12 *Novembre Mels.*
Tregua tra i Signori di Mels, e di Los, e di Pramperch.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xii. Novembris. Presentibus Andriosio filio D. Braybadi de Cosilaco, et Nicolao filio Thomasini de Mocio testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Durigussius de Mels pro se, et Nicolao de Los consanguineo suo, ac eorum servitoribus, sequacibus, et amicis fecerunt in manibus mei Gubertini Notarii infrascripti, recipientis nomine prefati D. Patriarche, treguas a die hodierna usque ad festum B. Marie de mense Februarii per totam diem et noctem, cum nobilibus viris dominis Artico, Phanfino, et Hendrico fratribus de Prampergo, et eorum servitoribus, sequacibus, et amicis. Promittens suo, et nomine antedicto, treguas ipsas firmas et ratas habere, et tenere usque ad eundem terminum, sub pena cc. marcharum novorum, que toties exigi possit, quoties committetur in eam.

Actum in burgo de Mels juxta Castrum.

Die predicto. Presentibus Nicolao et Pertoldo filiis D. Federici de Pers, Hendrico Malfato de Glemona testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Articus de Prampergo milex pro se, ac suis servitoribus, sequacibus, et amicis fecit in manibus mei Gubertino Notarii infrascripti, recipientis nomine predicti D. Patriarche, cum Durigussio et Nicolao prefatis, ac suis servitoribus sequacibus, et amicis, treguas, a die hodierna, usque ad festum B. Marie de mense Februarii per totam diem et noctem, quas quidem Treguas promisit firmas et ratas habere, et tenere usque ad dictum terminum sub pena cc. Marcharum novorum, que toties exigi possit, quoties committetur in eam.

Actum Glemone juxta Castrum in quo habitat dictus D. Articus.

Eodem die. Presentibus Musino de S. Daniele, Ni-

chilo de Linginland, et Ottilo de Laybaco familiare ipsorum dictorum Phanfini et Hendrici testibus et aliis. Nobiles viri D. D. Phanfinus et Hendricus de Prampergo fratres fecerunt in manibus mei Gubertini Notarii infrascripti similes treguas cum prefatis Durigussio et Nicolao de Mels sub pena predicta.

Actum Prampergi juxta portam dicti Castri.
A. N. U. o.

N. 709.

1331 13 *Novembre Udine.*
Rinaldo della Torre rinunzia all' Uffizio di Tesoriere.

Melioranza Can. P.

In Christi nomine amen. Ven. vir D. Raynaldus de la Turre Camerarius Ecclesie Aquil. aciem mentis sue ad illum dirigens, qui ad cor respicit, et non ad manus, considerans quod propter etatis gravitatem, et corporis debilitatem in Officio dicte Camerarie non potest more solito laborare, volensque sibi et Camere ipsi, et ejus Officio salubriter providere, fecit, constituit, et ordinavit ven. virum D. Lodoycum de la Turre Canonicum Aquil. et Burinum Nicholai de Mediolano Notarium, licet absentes, tanquam presentes, quemlibet eorum in solidum, ita quod occupantis conditio potior non existat, et quod unus eorum incepit, alter possit prosequi, et finire cum affectu, suos procuratores, actores, negotiatores, gestores, et nuncios speciales specialiter ad

comparendum in Romana Curia coram Sanctissimo in Christo Patre et D.D. Johanne digna Dei providentia S. Sedis Romane, et universalis Ecclesie dignissimo Summo Pontifice, ad resignandam Camerariam dicte Aquil. Ecclesie, et ejus officium, quocumque nomine censeatur, cum omnibus juribus et pertinentiis dicte Camerarie in manibus dicti S. S. Patris, et D. Summi Pontificis, seu in manibus Rev. viri D..... ejus Vicecancellarii, aut alterius quicumque existere potest, cui, aut quibus D. Summus Pontifex receptionem dicte Camerarie duxerit committendam: promittens dictus D. Raynaldus mihi not. infrascripto recipienti et stipulanti, vice et nomine omnium et singulorum quorum interest, aut interesse potest in futurum per se firmum, et ratum, et gratum perpetuo habiturum quidquid per ipsos procuratores, aut alter eorum circa liberam resignationem dicte Camerarie factum fuerit, et non contrafacere aut venire de jure, aut de facto sub ypotecha omnium bonorum suorum presentium et futurorum. Promittens etiam sub pena predicta dictus D. Raynaldus hoc mandatum et procuratorium, re non perfecta nunquam revocare, tacite aut expresse, directe, aut indirecte, et secundum formam juris publici notificare, et ipsam revocationem, et ejus causam prefato D. Summo Pontifico, aut Procuratoribus supradictis.

Actum Utini, in domo supradicti D. Raynaldi, sub anno Nativitatis Domini M. CCC. XXXI. Indictione XIV. die XIII. Novembris. Presentibus religiosis viris Fratre Guecellone de Reana, Fratre Thomasio de Montorsano Ordinis Minorum, D. Armanino filio q.m D. Musche de la

Turre Canonico Aquilegensi, Bertramino de Judicibus de Modoecia, Utini commorante, Manfredo de Meda domicello supradicti D. Raynaldi, et aliis. A. C. U. c.

N. 710.

1331 16 *Novembre Udine.*
Gli Ambasciadori di Muglia chiedono al Patriarca un Podestà.

Gubertino da Novate Can. P.

Die XVI. Novembris. Presentibus nobili milite D. Hectore de Savorgnano, Carolutto de Ragonia, Morando de Castillerio, et magistro Odorico Notario de Utino testibus, et aliis.

Constituti coram ven. Patre et D.D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, discreti viri Ingaldeus q.m D. Vivani, et Zampaulus q.m D. Pitoni de Mugla Ambaxatores Communis et hominum de Mugla, presentarunt eidem D. Patriarche quasdam credentie litteras clausas sub sigillo cereo dicti Communis Mugle, quarum tenor talis est. Reverendo in Christo Patri, et Domino Domino Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. dignissimo Patriarche, Gonus, Franciscus Ade, et Pinamons Rectores Terre Mugle, et alii eorum socii, Consilium, et Commune ejusdem Terre reverentiam debitam, et cum recommendatione seipsos. Ecce Paternitati vestre providos viros Ingaldeum q.m D. Viviani, et Zampaulum q.m D. Pitoni cives nostros presen-

tium exhibitores, intentionis nostre plene informatos, in nostros solempnes Ambaxatores presentialiter destinamus, vobis humiliter supplicantes, quatenus predictis Ingaldeo, et Zampaulo Ambaxatoribus nostris, in iis, que vobis ex parte nostra duximus oretenus referenda, dignemini, veluti nobis, in omnibus fidem credulam adhibere. Datum Mugle, die xv. mensis Novembris xiv. Indictione.

Quibus quidem litteris per dictum D. Patriarcham perlectis, dicti Ambaxatores supplicaverunt ei, ut sibi licentiam concedere dignaretur eligendi Potestatem in dicta Terra Mugle, cum D. Stephanus Zanolesius de Venetiis, qui erat Potestas suus, nuper diem clauserit extremum: qui D. Patriarcha dixit eis, quod electionem hujusmodi facere deberent; et ipsi, habito inter se consilio et deliberatione, statim elegerunt Magnificum Dominum, Dominum Fidericum Comitem Vegle in eorum Potestatem dicte Terre Mugle. Dictus vero D. Patriarcha respondit, se velle deliberare super electione hujusmodi, et eis posmodum respondere.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 711.

1331 17 *Novembre Udine.*
Federico Conte di Veglia eletto Podestà di Muglia.

Gubertino da Novate Can. P.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis

Aquil. Patriarcha, ad quem pleno jure spectat Potestatem sive Rectorem dare Terre nostre de Mugla, Magnificum, et potentem virum D. Fridericum Comitem Vegle, nobis per Ingaldeum q.m Vivani, et Zampaulum q.m Pitoni de Mugla Ambaxatores Rectorum, et universitatis dicte Terre de Mugla, de nostra licentia presentatum, eisdem Terre, et universitati in Potestatem concedimus, tenore presentium, et Rectorem. Precipientes sibi ut Rectori, in omnibus que ad ipsius officium pertinent, obediri. Alioquin penas, seu mulctas, quas rite tulerit in rebelles, faciemus, auctore domino, inviolabiliter observari.

Datum Utini, in Palatio nostro Patriarchali xvii. mensis Novembris; Anno Dominice Nativitatis m.ccc.xxxi. Indict. xiv. A. N. U. o.

N. 712.

1331 17 *Novembre Udine.*
Accordo tra Pietro da Cividale e *Braniver da Tolmino onde assassinare i Mercanti di Villacco.*

Landuccio Not.

Die xiv. exeunte Novembri. In Civitate Austria, in Conventu S. Francisci, in ipsius comodutio super Natissa. Presentibus D. Philippo de Portis, Niculussio dicto Flaybulo q.m Cusati de Tulmetio testibus, et aliis.

Petrus filius q.m Valentini de Civitate ex parte una, et Braniver de Tulmino ex parte altera in hoc pacto, et in hac concordia convenerunt. Videlicet quod dictus

Braniver debeat esse Spya dicti Petri, et ire Willachum ad spyandum aliquos mercatores de Willacho, in aliqua strata. Ita quod ipse Petrus possit eos capere, aut bona ipsorum arripere; et corporaliter juravit dare bonam operam efficacem, et nulli revelare: et dictus Petrus sibi teneatur dare pro dicto labore soldos grossorum xx. nomine puri depositi, fide prestita, et unum suum instrumentum, quod dicit de solvendis xx. grossis, illud dare in manibus dicti D. Philippi. Et quando compleverit supradicta, quod D. Petrus, et D. Philippus teneantur sibi dare xx. soldos predictos, et instrumentum, eidem Branivero, obligantes omnia eorum bona. A. N. U. o.

N. 713.

1331 20 *Novembre Udine.*
Salvocondotto a Nassinguerra di Pola.

Paganus Dei et Apostolice Sedis S. Sedis Aquil. Patriarcha dilectis fidelibus nostris ... Gastaldioni ... judicibus Consilio, et Communi duorum Castrorum, gratiam nostram et omne bonum.

Cum Nobilis vir, dilectus fidelis noster Nassinguerra de Castro Pole venire personaliter intendat pro quibusdam suis negotiis ad Terram nostram predictam duorum Castrorum, devotioni vestre, presentium tenore, mandamus, quatenus ipsum in eadem Terra benigne recipiatis, et eidem in quibuscumque potestis amicabiliter serviatis, dummodo propter hoc non subeamus guerram

cum Venetis, quam cum eis subire non intendimus ullo modo.

Datum Utini, xx. Novembris Indictione xiv. A. C. U. o.

N. 714.

1331 26 *Novembre Udine.*
Sentenza del Patriarca contro alcuni che in una rissa ferirono varj Canonici di Aquileja.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xxvi. mensis Novembris. Presentibus ven. viris D. Fr. Joh. Ab. Monasterii Rosacensis Vicario infrascripti D. Patriarche, Guillelmo Decano, Alamanino de la Turre Canonico Aquil. ac nobili viro D. Gentilino de la Turre testibus, et aliis ad hec specialiter vocatis et rogatis.

Cum nuper in Aquilegia, instigante humani generis inimico, Guillelmus filius D. Johannis Picossii de Aquilegia, Christophorus filius q.m Marini de Murano, Dominicus de Maramanis, et Bastardinus de Porinzonibus de Mediolano, ac Guido de Padua, olim pistor Capituli Aquil. cum ven. viris D. Ottolino de Pergamo, Raynaldino de Zavatariis de Mediolano, et Tano de Bononia Canonicis Aquilegensibus, et eorum familiaribus ad rixas devenerint, et rumores, ubi fuerunt aliqui cum gladiis percussi, et specialiter dictus D. Tanus, ac etiam quidam alii vulnerati; de quibus rumoribus, et rixis vehementer presumitur D. Ambrosolus de la Turre Canonicus Aquil.

fuisse culpabilis, sicut in inquisitione super hoc facta plenius continetur; ven. in Christo Pater et D.D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, ne propter premissa deterius emergat, sed debita concordia vigeat inter prefatos, mandavit predictis dominis Ottolino, Raynaldino, Tano, et Ambrosiolo, Guillelmo, Cristophoro, et Guidoni ibidem presentibus, ut bonam pacem, et concordiam vicissim facere deberent, et servare, sub pena quingentarum librarum parvorum. Qui omnes statim ad mandatum ipsius D. Patriarche, tactis sibi manibus in signum amicitie, pacem fecerunt ad invicem, promittentes ipsam perpetuo servare, sub pena predicta. Insuper idem D. Patriarcha, nolens ut hii qui auctores, et culpabiles fuerunt de premissis transeant impuniti, sed eorum pena et correctio aliis presumptoribus transeat in exemplum, sedens pro tribunali, sententiam protulit infrascriptam, videlicet; quod banniri debeant de ipsius mandato realiter et personaliter quantum ad perpetuum carcerem de tota Terra Forojulii Dominicus de Maramanis, et Bastardinus de Porinzonibus supradicti, quod Dominicus exeat terram Forojulii infra tertiam diem post relaxationem a carcere in quo est, et dictus Barstardinus infra tertiam diem similiter exeat terram predictam Forojulii, postquam Magister Bonifacius, qui curat eum, dixerit eum vulneribus liberatum, sub pena predicta. Guido Pistor prefatus etiam banniri debeat de Terra Aquilegie, et a decem milliaribus circumquaque Aquilegiam sub pena predicta Carceris et omnium bonorum suorum. Guillelmus filius Johannis Picossii et Christophorus antedicti prestare debeant securitatem, videlicet Guilielmus treccenta-

rum librarum parvorum et Christoporus filius q.ᵐ Marini de Murano ducentarum librarum parvorum D. Patriarche predicto, loco condempnationis et pene, in quam incidant ipso facto si fecerint rixam, per quam contingat Canonicum aliquem Aquilegensem, aut Mansionarium offendi in persona, sive cum sanguinis effusione, sive cum gladio, sive sine gladio. Et qui non poterit cautionem prestare predictam, tam diu maneat in carcere D. Patriarche prefati, donec fuerit prestita. Et quod se abstineant ab ingressu Ecclesiarum et divinis officiis, quousque meruerint absolutionis beneficium obtinere a D. Papa, aut ejus Legato, qui hoc potest. Et quia ex vehementi suspitione presumitur propter dicta deponentium receptorum in inquisitione facta super hujusmodi excessu, D. Ambrosolus Can. Aquil. predictus excommunicatus, vult et mandat idem D. Patriarcha, quod non immisceat se divinis officiis, quousque se fecerit absolvi, ut supra, aut se purgaverit cum sexta manu sui Ordinis personarum bone fame et opinionis, et que notum habeant factum. Et quod non accedat ad Civitatem Aquilegie sine beneplacito dicti D. Patriarche.

Qua quidem sententia lata, et publicata, nobiles viri D. Hector de Savorgnano, et Guillelmus de Urgrisimpach milites ad preces et requisitionem prefati Guillelmi se fidejussores constituerunt pro eodem Guillelmo, de attendendis, et firmiter observandis per eum pace, et omnibus antedictis, sub pena predictarum trecentarum librarum. Et magister Johannes Physicus, ac Johanninus Betonus de Aquilegia ad preces et requisitionem dicti Christophori, ac pro eo se fidejussores consti-

tuerunt pro rata, sub pena predicta ducentarum librarum, ut supra, obligantes omnia sua bona presentia et futura.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali.

Die predicto, et coram prefatis testibus. Prefatus D. Ambrosiolus, ac Guillelmus de Aquilegia, et Cristophorus dimiserunt dictum D. Armaninum liberum et absolutum a securitate ducentorum florenorum auri per eum ipsis prestita in treguis factis inter ipsos, et D. Ottolinum, Tanum, et Rayualdinum etc. A. N. U. o.

N. 715.

1331 30 *Novembre Udine.*

Vendita dei frutti della Prebenda di Federico Canonico d' Aquileja rimasta vacante pel di lui matrimonio.

Gubertino da Novate Can. P.

Die ultimo Novembris. Presentibus venerabili viro D. Guillelmo Decano Aquil., Guarinco filio Bonacursii de Osopio, Pata filio q.m D. Moreschi de la Turre, ac Petro de Valle Massario D. Micholi de Pertinstayn testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius Rev. Patris D. Pagani etc. nec non Subcollector deputatus a Reverendo viro D. Bertrando Rotundi Canonico Vinariensi, ac Decimarum et fructuum reservatorum Collectore, Apostolice Sedis Nuntio, dedit, et locavit discreto viro Gabrieli de Cremona Notario D.

Patriarche prefati; recipienti nomine et vice Guillelmi Savere de Cremona Canonici Aquilegensis, fructus, redditus, et proventus primi anni debitos Ecclesie Romane pro Prebenda Aquilegensi nuper vacante per matrimonium contractum per D. Federicum filium D. Johannis Andree de Bononia, olim Canonicum Aquilegensem, solvendo pro ipsis fructibus de dicto anno marchas octo novorum etc.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 716.

1331 30 *Novembre Udine.*
Procuratori nominati dal Patriarca per la visita della Chiesa di S. Pietro.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die ultimo mensis Novembris. Utini, in Castro, et palatio Patriarchali. Presentibus ven. viris D. Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis, et Guillelmo Decano Aquil. decretorum doctore, ac nobilibus et discretis viris D. Anfossio, et Carlevario de la Turre, Ubertino de Raynerio de Mediolano, et Magistro Condeo de Callio Medico testibus vocatis, et rogatis.

Rev. in Christo pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, fecit, constituit, et ordinavit suo et Ecclesie Aquil. nomine, venerabiles et prudentes viros Dominos Ludoycum de la Turre Canonicum Aquil., Leonardum Gal-

linam de Mediolano juris peritum, et discretum virum Petrum de Baono absentes, tamquam presentes, et quemlibet eorum in solidum suos veros, et legitimos procuratores, et nuncios specialiter ad visitandum pro eo, et ejus nomine, Romanam Ecclesiam, juxta debitum et reverentiam, qua tenetur eidem: et ad faciendum omnia et singula que circa officium visitationis hujusmodi requiruntur, promittens ratum et gratum habere, quidquid per ipsos, aut eorum aliquem factum fuerit in premissis. C. F. o.

N. 717.

1331 30 *Dicembre Udine.*

Indennizzazione ai Mutari della Chiusa e di Monfalcone e rinnovazione del Contratto.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die penultimo Decembris. Utini, in Castro, et palatio Patriarchali. Presentibus nobilibus viris D. D. Guilelmo milite de Ungrisimpacho, Fantino filio D. Thomasutti de Pertenstayn, Zonfrediuo de Oppreno Vicedomino infrascripti D. Patriarche, et Magistro Condeo de Calio Medico testibus vocatis et rogatis.

Reverendus in Christo pater, et D. D. Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, juxta promissionis sue debitum, volens satisfacere defectibus, atque dampnis passis usque ad pre-

sentem diem per Mutarios suos de Clusa et Montefalcone, propter impedimenta strate, que in cursu consueto defecit, addidit, deputavit et dedit dictis Mutariis quatuor menses, quibus utantur Mutis suis pro satisfactione predicta post tempus sibi concessum, tam locationis, quam alterius additionis et recompensationis eis facte. Et nihilominus idem D. Patriarcha suo et Aquilegensis Ecclesie nomine, locationis titulo, dedit, vendidit, et concessit nobili viro D. Federico de Savorgnano filio q.m D. Constantini militis de Utino, Hendrico filio q.m D. Mathie de Carnia, et Philippuccio filio q.m D. Raynerotti de Venzono Mutariis suis predictis ibidem presentibus, et pro se ipsis, et suis heredibus recipientibus, Mutas suas predictas et Ecclesie Aquilegensis de Clusa et Montefalcone cum jure pegule, et aliis juribus, et consuetudinibus ad ipsas Mutas spectantibus et pertinentibus, et hactenus observatis a die quo expirabit tempus locationis alias eis facte, et concessionis quatuor mensium eis facte pro dampnis et defectibus suis, in altera locatione contentum, scripta et roborata per me Gabrielem Notarium infrascriptum, et nove concessionis aliorum quatuor mensium superius nominate. Quod quidem tempus erit die primo mensis Septembris, currente tunc anno Domini M.CCC.XXXIV. usque ad duos annos cum dimidio tunc proxime sequentes continuos, et completos, habendas, tenendas, utendas, et fruendas pretio, seu foro mille trecentarum marcharum denariorum frixachensium Aquilegensis monete, anno quolibet dictorum duorum annorum et pro reliquo dimidio anno Marcharum sexcentarum et quinquaginta solvendarum D. Pa-

triarche predicto, modo, et terminis infrascriptis. Videlicet in Festo Circumcisionis Dominice, qui dicitur annus novus tunc subsequenti post inchoationem primi anni dicte locationis, marchas quingentas ejusdem monete. Et in festo Beati Georgii, tunc subsequenti, marchas quingentas; et reliquas marchas trecentas in fine dicti primi anni. Et sic in eisdem terminis in subsequenti secundo anno. In altero vero dimidio anno, marchas quingentas simili modo in eodem festo Circumcisionis Dominice; et reliquas marchas centum et quinquaginta in fine dicti dimidii anni, qui erit die ultimo mensis Februarii. Quas quidem pecuniarum summas prefati Domini Federicus, Hendricus et Philippussius promiserunt et steterunt stipulatione solempni dare et solvere eidem D. Patriarche modo prefato, in terminis antedictis cum omnibus dampnis, interesse, et expensis faciendis et substinendis a quolibet predictorum terminorum in antea pro ipsa pecunia petenda et exigenda, sive ejus occasione. Et insuper promiserunt tenere, servare, et custodire Castrum Cluse cum fortiliciis et omnibus ad ipsum Castrum pertinentibus per totum tempus predictum, bona fide, et propriis eorum expensis. Et finito dicto tempore, illud in eumdem statum consignare et tradere eidem D. Patriarche, aut ejus nuncio speciali liberum et expeditum, sub pena mille marcharum prefate monete. Hoc addito expresse, quod si casu aliquo ipse D. Patriarcha vellet pro defensione Ecclesie Aquilegensis et terre Forijulii gentem mittere ad dictum Castrum Cluse, dicti Conductores teneantur, et debeant gentem ipsam recipere et admittere in Castro et fortiliciis antedictis, sine prejudi-

cio juris eis concessi, et augmentatione aliqua expensarum. Convenit etiam per pactum speciale et expressum inter ipsum D. Patriarcham et Conductores prefatos, quod si infra dictum tempus duorum annorum cum dimidio locationis jamdicte, et quatuor mensium superadditorum strate impedirentur propter guerram, ita quod dicte Mute non haberent cursum libere consuetum, dictus D. Patriarcha, cum ad hoc fuerit requisitus, infra quatuor dies post requisitionem ei factam, mittere debeat suos nuncios ad hoc competentes, videlicet unum pro qualibet Muta, qui personaliter, durantibus dictis guerris, pro D. Patriarcha ibidem resideat, et officium exactionis Mutarum ipsarum exerceat. Finitis vero guerris predictis, ipse Dominus Patriarcha dimittere debeat eisdem Conductoribus Mutas ipsas post tempus locationis predicte, et recompensationis memorate per tantum tempus quod eis de hujusmodi defectibus valeat satisfieri, juxta declarationem et arbitrium duorum bonorum virorum, eligendorum unus videlicet pro qualibet parte, qui videant, examinent, et declarent de tempore justo et congruo eis dando pro satisfactione dampnorum et defectuum predictorum. Quam quidem locationem et concessionem prefatus D. Patriarcha dictis emptoribus defendere, et manutenere promisit, eamque ipsis non auferre, aut alteri vendere, seu locare infra tempus predictum. Pro quibus omnibus et singulis etc. C. F. o.

N. 718.

1332 11 *Gennajo Udine.*
Investitura di Guarino di Arisperch.

Gubertino da Novate Can. P.

Die xi Januarii. Presentibus discretis viris Magistro Condeo de Calio Medico, Leone de Oppreno, et Bartholo de Vipaco familiare D. Patriarche infrascripti testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Constitutus in presentia Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Guarinus filius q.m Vorlici de Arisperch, supplicavit eidem D. Patriarche humiliter, ut ipsum investire dignaretur de feudis, que dictus q.m pater suus habebat ab Ecclesia Aquilegensi in contrata de Arisperch. Qui D. Patriarcha credens et sperans quod idem Guarinus fidelis erit ipsi et Ecclesie Aquilegensi, ejus supplicationibus inclinatus, per se, suosque Successores, et nomine Aquilegensis Ecclesie, eundem Guarinum pro se et suis heredibus recipientem, eo jure quo dictus q.m pater suus illa tenebat, de ipsis feudis cum uno caputio, quod in suis tenebat manibus, presentialiter et legitime investivit. Dictus vero Guarinus, recepta investitura hujusmodi, statim prestitit dicto D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi fidelitatis debite solitum juramentum. Feuda autem supradicta sunt hec: duo mansi siti in villa de Alterdorf olim recti per Vidrangum et Hendricum de eadem villa. Item unus mansus situs in villa de Ottocho parvo, olim

rectus per Jancho cerdonem de ipsa villa. Item in villa de Ottocho majori unus mansus olim laboratus per Prodamum de dicta villa. Item una Curia sita sub Castro de Arisperch, in qua dictus Guarinus habitabat.

Actum Utini, in palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 719.

1332 31 *Gennajo, Udine.*

Accordo con Tommasutto di Pertenstain per le fortificazioni di Tricesimo.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die ultimo mensis Januarii. Utini, in Castro Patriarchali, in camera D. Patriarche infrascripti. Presentibus, ven. viro D. Petro Mora de Mediolano Vicario D. Patriarche, ac Nobilibus et discretis viris D. Hectore milite de Savorgnano, Hermano de Attems, Adoardo de la Turre, Magistro Condeo de Calio medico, et aliis pluribus.

Ven. Pater et D.D. Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, volens intendere circa fortificationem et constructionem Castri et loci Tricesimi, dedit, atque concessit nobili viro D. Thomasutto de Pertenstayn Gastaldioni suo in dicto loco, nemus suum et Ecclesie Aquilegensis de Attems, videlicet jus illud quod dicta Ecclesia in ipso nemore habet. Ita quod ipse D. Thomasuttus, et habentes licentiam ab eodem, possint pro sue libito voluntatis dicti nemoris li-

gna incidere, et incidi facere a die proximi Carnisprivii usque ad unum annum tunc proximum venturum, et de ipsis lignis facere prout sibi placuerit. Pro quo quidem commodo et utilitate teneatur et debeat dictus D. Thomasuttus fortificare, reparare, et construere suis sumptibus et expensis locum et Castrum predictum de Tricesimo hinc ad festum S. Martini proximi, juxta modum et formam, et tractatum habitum inter se, mediantibus Magistro Dominico Marangono de Padua, qui habitat Utini, et Decano Rivose. Et hoc in pena, et sub pena quinquaginta marcharum Aquilegensis monete. Pro quo fidejussores fuerunt in solidum Domini Hector testis predictus, et Hermanus de Attens. Et si aliquis defectus esset in reparatione et fortificatione hujusmodi, videlicet quod D. Patriarcha diceret quod juxta ea, que tractata et ordinata sunt, non esset factum, et quod fieri deberet, voluerunt quod prefatus Magister Dominicus hoc haberet discutere, determinare, et videre. Volentes quod quidquid dixerit et ordinaverit, ita observetur, et fiat. C. F. o.

N. 720.

1332 3 *Febrajo.*

Convenzione tra i Signori di Spilimbergo e di Valvasone.

Memoriale Belloni.

Sententia arbitraria D. Odorlici er Artichi de Prampergo super differentiis vertentibus inter D. Pregoniam

militem de Spegnimbergo, et D. Bartholomeum ejus fratrem ex una parte, et D. Rizardum et Oderlicum filios q.[m] D. Simonis de Chucanea ex altera.

Qui declaraverunt, quod predicti Pregonea et Bartholomeus, et eorum heredes in perpetuum pro suo jure habeant, et possideant, regant, atque agant garittum, et jurisdictionem capiendi malefactores, latrones, fures, predones, violatores, et cujuslibet conditionis malefactores; et eos capere, et capi facere, et tormentare, et illos sententiare, et punire in villa S. Georgii et suis pertinentiis, et in villa Rauseti, Domanins, Aviani, Provesani, Putei, et aliis villis circumstautibus; ita quod iu perpetuum teneant quiete Garittum et jus villarum suspendendi, capiendi, judicandi, puniendi eo modo quo jus est in plebe Cose, et S. Georgii.

Item quod D. Rizardus et Odorlicus de Valvasono et sui heredes in perpetuum habeant et possideant, et suo jure regant, atque agant Garittum sanguinis capiendi latrones, fures, predones, violatores, homicidiarios, et quoslibet alios malefactores, et illos puniendi, tormentandi, suspendendi, et puniendi, secundum eorum merita, et secundum habent jus in plebe Cose a confinibus S. Georgii inferius, in S. Martino, in Pustuncico, in Arzino, et in Arziuutto, in Valvasono et eorum confinibus sine contradictione supradictorum Dominorum de Spegnimbergo.

Mandant ultimo loco, quod supradicti observare debeant omnia supradicta sub pena marcharum trecentarum Aquilegensis monete nove, medietas sit D. Patriarche, et alia medietas partis observantis. C, P. c.

N. 721.

1332 5 *Febrajo Cividale.*
Sigurtà per la sommessione di Tolberto e Manfredo di Prata al Gastaldo di S. Vito.

Gubertino da Novate Can. P.

Die v. Februarii. Presentibus Magistro Condeo et Franciscolo de Casate testibus, et aliis. Constituti in presentia Reverendi patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Domini Odoricus de Strassoldo Canonicus Civitatensis, Gerardus de Coneglano, Maynardus de Prata, et Ulvinus de Canussio, precibus Dominorum Tolberti et Manfredi de Prata ibidem presentium, se constituerunt fidejussores pro eisdem Dominis Tolberto et Manfredo, quod parebunt juri in omnibus et per omnia coram dicto D. Patriarcha, super eo de quo eos culpat Mauritiolus de la Turre Gastaldio S. Viti, et propter quod eis noviter accepit certa bona. Et ipsi Tolbertus et Manfredus steterunt dictos fidejussores indempnes conservare.

Actum Civitate, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 722.

1332 26 *Febrajo, Udine.*
Investitura feudale di Guariento di Azzano.
Gubertino da Novate Can. P.

Die xxvi. mensis Februarii. Presentibus venerabili viro D. Petro Mora Vicario, Magistro Condeo medico

D. Patriarche infrascripti, et Sagino de Parma Gastaldione Civitatis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Discretus vir Petrus de Cero commorans Prate, procurator, et procuratorio nomine Domine Zilie relicte q.m D. Mastini ad infrascripta specialiter constitutus, prout de procuratorio hujusmodi constat per quoddam publicum Instrumentum scriptum anno et indictione predictis, die XXIV. presentis mensis Februarii, manu Stephani de Prata Notarii, a me Notario infrascripto visum et lectum, pure, sponte et libere renuntiavit et resignavit in manibus Reverendi Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche feudum habitantie, quam dicta Domina et heredes dicti q.m D. Martini habebant et tenebant ab Ecclesia Aquilegensi in terra Medune, nec non omnia jura ab ipsam habitantiam spectantia. Quam quidem renuntiationem idem D. Patriarcha, suo et Ecclesie Aquilegensis nomine, admisit et acceptavit. Et post hoc ipse D. Patriarcha volens sibi et eidem Ecclesie fidelem habitatorem acquirere et habere in hujusmodi habitantia, donec heredes supradicti adulti fuerint; ac de fidelitate Guarienti de Azano plene confidens, per se suosque Successores, et nomine Aquilegensis Ecclesie, dictum Guarientum, suo et heredum suorum nomine recipientem de predicto feudo habitantie cum omnibus juribus et pertinentiis suis, per quoddam caputium, quod in suis tenebat manibus, presentialiter investivit usque ad quinque annos proxime futuros ad habendum, tenendum, et possidendum, ac onera ejusdem habitantie substinendum. Ita quod in fine dictorum quinque annorum feudum habitantie hujusmodi cum omnibus juribus et per-

tinentiis antedictis ad heredes predicti q.m D. Mastini libere revertatur.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 723.

1332 21 *Marzo Udine.*
Il Patriarca denunzia la tregua da lui fatta con Volvino di Steymberch.

Gubertino da Novate Can. P.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Paganus etc. nostro et omnium nostrorum Subditorum, servitorum, et amicorum nomine, facimus treguas cum Volvino de Steymberch, ac ejus sociis, servitoribus et amicis a die hodierna usque ad proximum festum S. Georgii per totam diem et noctem. Quas quidem treguas nostro et predicto nomine, sine omni dolo promittimus firmas, ratas et inviolabiles observare. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus nostri sigilli impressione munitas.

Datum Utini, xxi Martii m.ccc.xxxii. Indictione xv. A. N. U. o.

N. 724.

1332 23 *Marzo Udine.*
Investitura di Odorico ed Ottobono di Valvasone.
Gubertino da Novate Can. P.

Die xxiii. mensis Martii. Presentibus viris Dominis Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et Petro

Mora Vicario, ac Magistro Condeo de Calio medico, infrascripti D. Patriarche, nec non nobilibns militibus D. Odorico de Cucanea et Hectore Savorgnano testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Constitutus in presentia Reverendi in Christo patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Odoricus filius q.m Gompreti Notarii de Fagedis habitator Valvasoni, humiliter supplicavit eidem D. Patriarche, ut cum dictus q.m pater suus ab uno anno citra diem clauserit extremum, de feudo recto et legali, quod ipse q.m pater suus habebat et tenebat in vita sua ab Ecclesia Aquilegensi, ipsum recipientem suo nomine, et Ottoboni fratris sui investire dignaretur. Qui D. Patriarcha ejus precibus inclinatus, credens et sperans quod Fratres ipsi erunt fideles sibi et Ecclesie Aquilegensi, per se, suosque Successores et nomine Aquilegensis Ecclesie prefatum Odoricum suo, et dicti fratris sui, ac eorum heredum nomine recipientem, de dicto feudo, eo jure quo dictus pater suus illud habuit ab Ecclesia Aquilegensi, cum uno caputio, quod in suis tenebat manibus, presentialiter et legittime investivit, salvo jure Aquilegensis Ecclesie. Dictus vero Odoricus suo et dicto nomine recepta hujusmodi investitura, statim prestitit ipsi D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi fidelitatis debite juramentum, quod fidelis vassallus domino suo prestare tenetur et debet.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 725.

1332 7 *Aprile Gemona.*

Credenziale, con cui il Comune di Gemona chiede sicurezza per certi Commessi spediti a Trivigi per trattar aggiustamento di rappresaglie.

Verci Doc. 1187.

Nobilibus, et sapientibus viris Dominis Potestati, Consilio, et Communi Civitatis Tervisii, Federicus de la Turre Capitaneus, Consilium, et Commune Glemone salutem, et prosperitatis augmentum. De vestra Nobilitate et sapientia confidentes, providos viros Arthusium, et Johannem vicinos nostros dilectos ad vestram presentiam destinamus cum instantia exorantes, ut eos securos in bonis, et personis una cum eorum famulis velitis facere nostris precibus, et amore. Ita ut vobiscum, seu cum illis quorum interest, procurare, et tractare valeant super facto represaliarum factarum per vos contra homines Fori Julii id propter quod homines, et Mercatores nostri de Glemona per vestrum districtum ire, et redire, ac stare cum eorum bonis, et personis valeant liberi, et securi; eisdem super eodem tractatu, tamquam nobis fidem plenariam adhibentes.

Data Glemone, die VIII. Aprilis Ind. XV.

N. 726.

1332 15 *Aprile.*
Risposta di Trivigi alla soprascritta Lettera di Gemona.

Verci Doc. 1188.

Nobilibus, et sapientibus viris Dominis Federico de la Turre Capitaneo Glemone ac Consilio, et Communi Terre ejusdem, Antiani, et Commune Tervisii salutem cunctis prosperitatibus affluentem. Noviter vestras recepimus litteras continentes quod viros providos Artuxium, et Joannem vicinos vestros dilectos ad nos destinabatis, ut nobiscum, seu cum illis quorum interest, procurare, et tractare possent super facto represalearum factarum per nos contra homines Fori Julii. Quibus intellectis, vobis duximus respondendum, quod cum predictis vestris litteris contentis ad presens tractari, nec ad tractatum procedi non potest per nos, nec aliquos dicti nostri Communis tum propter absentiam Nobilis militis Domini Petri de Verme Potestatis nostri Tervisii, qui nunc abest a Civitate Tervisii, tum etiam cum vos ex predictis nostris litteris contenti non sitis illis qui habent dictas represaleas tollere vel respondere, nec super ipsis tractare, cum hoc solum spectet ad Dominum Patriarcham Aquileg. Super quibus vobis etiam recordamur, quod alias similiter tempus modicum est elapsum, quod per dictum Dominum Patriarcham ex una parte, et per dictum Dominum Potestatem, et Commune Tervisii ex altera extitit ordinatum de mittendo hinc inde ambaxa-

tores, et tractatores Sacilum vel Cavolanum super dictis represaleis amovendis, vel suspendendis, et secundum terminum stabilitum nostros Ambaxatores misimus Cavolanum, nec tunc, nec imposterum venerunt aliqui ex parte dicti Domini Patriarche, prout fuerat ordinatum, quod dicti Domini Potestatis, et Comunis Tervisii videtur quod fuerit derisio satis magna. Sed de predictis, vobis tandem presentibus declaramus, quod si ex parte dicti Domini Patriarche ad nos littere, vel nuncii transmittantur super predictis, offerimus nos paratos, quod super dictis represaleis concordia pertractetur.

Data Ter. Die xv Aprilis xv Ind.

N. 727.

1332 24 *Aprile Treviso.*

Comando universale dei Trivigiani di ajutare uno che aveva rappresaglie contro quelli del Friuli, danneggiandoli nella vita e nella roba.

Verci Docum. N. M. CLXXXIX.

Nos Petrus de Verme Potestas Ter. Universis, et singulis Maricis, juratis, Comunibus et hominibus Regularum, et locorum districtus Tervisii, et quibuscumque aliis Officialibus Comunis Tervisii ad quos presentes advenerint districte (pena et banno, nostro arbitrio auferendis) tenore presentium precipiendo mandamus, quatenus Paulino Cartolario, ad ejus petitionem latoribus Nunciis, et Preconibus nostri Comunis Tervisii ad deti-

gendum et capiendum personaliter, et realiter omnes et singulos de Forojulii subjectos Domini Patriarche Aquilegensis, et eos, et eorum res, et bona sic captos, et detentos infra tertiam diem post captionem hujusmodi sub fida custodia presentandum coram nobis, vel nostro Vicario usque ad summam et quantitatem contentam in reppresaleis eidem Paulino concessis per Comune Ter. prestare debeatis auxilium, consilium et favorem cum a dicto Paulino, seu latoribus presentis ejus nomine, fueritis requisiti. Alioquin contra inobedientes graviter procedemus, prout nobis videbitur procedendum. In cujus rei testimonium has sigillo Comunis Ter. munitas eidem Paulino duximus concedendas, de quarum presentatione latori earumdem ceu publico dabimus plenam fidem.

Data Tervisii, die xxiv. Aprilis xv. Indictione.

N. 728.

1332 28 *Aprile Cividale.*
Investitura de' Signori di Tricano.

Gubertino da Novate C. P.

Die xxviii. Aprilis. Presentibus venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario, presbitero Nicola Plebano Flambri, Capellano D. Patriarche infrascripti, nobili milite D. Jacobo de Cormono, ac D. Bernardo de Strassoldo testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Constitutus in presentia Reverendi in Christo patris

et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Nobilis vir Gerlochus de Tercano habitator Cormoni filius q.m D. Eberardi, supplicavit eidem, ut ipsum suo nomine, et fratrum, et heredum suorum, investire dignaretur de feudis, que dictus q.m pater suus, et antecessores sui habuerunt hactenus et tenuerunt ab Ecclesia Aquilegensi. Qui D. Patriarcha ejus precibus condescendens, credens et sperans quod ipse et Fratres sui fideles erunt sibi et Ecclesie Aquilegensi, per se, suosque Successores, et nomine Aquilegensis Ecclesie eundem Gerlochum, suo et dicto nomine recipientem, de dictis feudis, eo jure que dictus pater suus, et Antecessores ejus habuerunt, cum uno caputio, quod in suis tenebat manibus, presentialiter et legitime investivit. Dictus vero Gerlochus recepta hujusmodi investitura, statim suo et predicto nomine, prestitit eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi corporale fidelitatis debite juramentum, quod fidelis vassallus prestare debet Domino suo.

Actum Civitate, in Patriarchali Palatio. A. N. U. o.

N. 729.

1332 30 *Aprile Udine.*

Questione tra il Capitolo d' Aquileja ed i Signori di Castello da una parte, ed i Signori di Strassoldo Avvocati della villa di Mortegliano dall' altra pel Pascolo di Castions e di Carlins.

Gabriele da Cremona Not.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem nativitatis Millesimo trecentesimo tricesimo secundo. Indictio-

ne quintadecima. Die ultimo mensis Aprilis. Utini, in Castro Patriarchali, super saleta Castri predicti. Presentibus Venerabilibus viris dominis Petro Mora de Mediolano Vicario infrascripti domini Patriarche, Morando de Porcileis, ac nobilibus viris dominis Federico de Sevorgnano, Francisco de Tercano, Federico de Murucio, Magistro Condeo de Calio Medico ipsius domini Patriarche testibus, et aliis pluribus. Cum lites, questiones, at discordie verterentur, et essent inter Venerabiles viros dominos Ottolinum de Pergamo Vicedecanum, Canonicos, et Capitulum Aquilegense, ad nobiles viros dominos Nicholaum, et Johannem Franciscum fratres de Castello ex una parte, et dominos de Strassoldo Advocatos Ville de Morteglano ex alia super quibusdam pascuis, silvis, paludibus, et territoriis sitis infra aquas Arwinchi et Corni, quibus utuntur Ville Castigloni, et de Carlino, et quibus uti dicuntur homines Ville de Morteglano, dicentibus dicto Capitulo, et ipsis dominis de Castello, prefatos de Morteglano nullum jus habere in pascuis, et silvis predictis, nec super ipsis et dicto territorio uti debere, et quod nullus pons super aquis predictis esse debet, per quem homines de Morteglano ire et transire possint ad territorium antedictum. Volentes dicte partes hujusmodi questionem et dubium tolli, et omnem super predictis amputari discordiam: Ipse coram Reverendo Patre, et D. D. Pagano Dei gratia sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha constitute, videlicet dominus Franciscus de Laturre Canonicus Aquilegensis procurator, et procuratorio nomine dictorum dominorum Vicedecani, et Capituli Aquilegensis, prout constat pu-

blico instrumento confecto manu Martini notarii de Flambri ibidem ostenso, et dominus Joannes Franciscus de Castello pro se et domino Nicholao fratre suo absente, qui promisit quod ratum habebit compromissum hujusmodi, et quidquid sequetur ex ipso, pro se, et pro hominibus villarum de Castiglono et de Carlino. Et dominus Ossalchus de Strassoldo pro se et fratribus suis, et pro domino Hendrico de Strassoldo Consanguineo suo absentibus, qui promisit quod ratum habebunt compromissum hujusmodi, et quidquid sequetur ex ipso, tamquam Advocati Ville Morteglani pro se ipsis, et Communi et hominibus dicte Ville concorditer commiserunt, et compromiserunt in Venerabilem, et nobiles viros dominos Guidonem de Manzano Decanum Civitatensem absentem, Federicum de Sevorgnano presentem, Asquinum de Colloreto presentem, et Franciscum de Manzano absentem, tamquam in arbitros, arbitratores, et amicabiles compositores super omnibus litibus, et questionibus antedictis. Dantes ipsis plenam et liberam potestatem deffiniendi, declarandi, sententiandi, pronunciandi, ordinandi, et mandandi quicquid sibi de jure tantum videbitur super pascuis, silvis, paludibus, et territorio antedictis a dominica proxima, usque ad xv dies etc. Promittentes dicte partes ratum, et gratum habere, ac inviolabiliter observare quicquid dicti Arbitri, vel major ipsorum pars dixerint, declaraverint, diffiniverint, pronunciaverint, sententiaverint, et observari mandaverint, sub pena, et in pena Centum Marcharum Frixachensium Aquilegensis monete, que totiens commitatur etc. Pro qua quidem pena fidejussores fuerunt pro ultra-

que parte, et pro rata domini Federicus de Sevorgnano, et Federicus de Murucio etc. C. F. o.

N. 730.

1332 1 *Maggio.*
Morte di Rinaldo della Torre:

Necrologio Aquilejese.

Kalendis Mai, M. CCC. XXXII. Indictione XV. Hodie circa horam Vesperarum venerabilis vir D. Raynaldus de la Turre Thesaurarius et Canonicus hujus Aquilegensis Ecclesie migrando ad Dominum, diem suum clausit extremum; qui pro anima sua legavit Capitulo fructus Prebende sue intrinsecos et extrinsecos, et ultra hoc XXXV. marchas, juxta formam Testamenti sui, de quibus fructibus et denariis emantur redditus pro suis Anniversario, septimo, trigesimo singulis annis, cum pleno officio faciendis, cum oblationibus in Missa, sine potu in Vesperis, et Eho consueta in die Anniversarii tantum. Tres denarii efferantur in Missa communi: tres denarii dentur tribus Sacerdotibus qui celebrent singuli eorum singulas Missas pro anima sua, et quinque denarii dividantur inter pauperes Clericos semper in Anniversario, septimo, et trigesimo. Quibus diebus Capitulum teneatur in Vesperis ire ad tumulum suum cum Cruce argentea; et quod medietas reddituum, qui emantur, dividantur in die Anniversarii, tertia autem et quinta dictorum reddituum in die septimi et trigesimi. In quorum omnium divi-

sione redditunm Decanus hujus Capituli et Canonici sint in portione equales, et Mansionarii sint in statu consueto, videlicet quod unusquisque Mansionarius habeat sicut medius Canonicus, et medius Decanus etc. A. C. U. c.

N. 731.

1332 3 *Maggio Cividale.*
Compromesso tra Maestro Ognibene muratore e il Comune di Cividale per la costruzione del Ponte.

Antonio da Cividale Not.

Die III. intrante mayo. In Civitate Austrie. Presentibus etc. D. Saginus de Zamoreis de Parma commorans Civitate, Provisor Communis Civitatis, et nomine dicti Communis Civitatis ex parte una, et Magister Omniabonus murator commorans Civitate, filius q.m Magistri Girardini de Cremona ex altera, de lite et questione, que inter eos vertebatur, seu verti poterat super eo quod dictus Magister Omniabonus petierat sibi satisfacere per dictum Commune de eo quod laboraverat, et laborari petebatur per Commune predictum lapides ad secundum voltum seu arcum pontis supra Natissam desuper primum voltum; et super eo quod dictus Magister Omniabonus dicebat quod opus dicti Pontis fiebat amplior et largior a primis pactis habitis inter eos; et super eo quod pro defensione dicti pontis facta fuerat de suis lapidibus quedam sponda muri ultra dictum pontem, versus Hospitale S. Martini, et super

omnibus aliis ... in D. Guilliehnum q.^m^ Magistri Walteri de Civitate, Jacobum q.^m^ D. Johannis Ottonelli de Civitate, et ... arbitros ... compromiserunt. C. P. G. c.

N. 732.

1332 5 *Maggio Sesto.*
Licenza di costruire una nuova Chiesa accordata dall' Abbate di Sesto a Francesco di Sbrojavacca.

Pietro di Portogruaro Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi M. CCC. XXXII. Indictione XV. die V. intrante Mayo. In Sexto, in Claustro. Presentibus Dominis Guilielmo de Parma, Hermano de Marca, Marcolino Stationario de la Marca, Portolano Notario de Portugruario, et aliis.

Congregato Capitulo Sextensis Monasterii, more solito, coram venerabili viro D. Fratre Lodovico, permissione divina, Monasterii S. Marie Sextensis Abbate, comparuit discretus vir D. Presbiter Odorlicus de Sbrogliavacca, flexis genibus, tamquam procurator D. Francisci de Sbrogliavacca, et procuratorio nomine ipsius, prout dicebat contineri in publico instrumento manu Portulani Notarii subscripti, refutavit et dimisit in manibus ipsius D. Abbatis quendam campum terre situm et positum inter territorium Sbrogliavacche; cujus hii sunt confines: ab uno latere possidet D. Franciscus predictus, ab alio idem D. Franciscus, a tertio via publica, et a

quarto Magister Franciscus murator. Qui procurator supplicavit humiliter eidem D. Abbati et Conventui, ut eidem, nomine quo supra, investire et dotare dignaretur ipsum territorium occasione edificandi et construendi unam Ecclesiam ad honorem Dei, et Matris, ac Beati Johannis. Qui D. Abbas de communi consilio et consensu dicti supra Conventus, videlicet de Minorum Fratrum Nicolai, Leonardi, Thomasii, Johannis et Francisci, ipsum D. Presbiterum Odorlicum, nomine quo supra, investivit et indotavit ipsam Ecclesiam edificandam cum ipso territorio; dans et concedens eidem procuratori plenam et liberam potestatem, auctoritatem et mandatum de omni jure patronatus. A. D. U. o.

N. 733.

1332 7 *Maggio Udine.*

Procura del Patriarca per essere prosciolto dalla Scomunica.

Gubertino da Novate Can. P.

Die VII. mensis Maii. Presentibus ven. viris D. Fr. Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Aquil. Diocesis, et Petro Mora de Mediolano Rectore Ecclesie S. Marie de Turri, Mediolanensis Diocesis, Vicariis, Jacobo de Papia Plebano Plebis de Lavant Capellano, Magistro Condeo de Callio medico, Francino q.m D. Montanini de Villanova Notario, Leone q.m Bonazoli de Oppreno domicello infrascripti D. Patriarche, ac Marchiolo q.m D.

Conradi de Bononia habitatore Utini, testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Rev. in Christo pater et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha suo, et Ecclesie Aquil. nomine, fecit, constituit, et ordinavit ven. viros D. Ludovicum da la Turre Canonicum Aquilegensem, et Jacobum de Carraria Canonicum Civitatensem, Aquil. Diocesis, absentes tanquam presentes, et utrumque eorum in solidum, ita quod occupantis conditio potior non existat, et quod unus incepit, alter mediare valeat, prosequi et finire, suos certos, veros, et legitimos procuratores ac nuntios speciales ad comparendum, et se presentandum coram pedibus Sanctissimi Patris D. Johannis divina Dei providentia sacrosante Rom. ac universalis Ecclesie summi Pontificis, nec non ad supplicandum eidem humiliter et devote, quod prefatum D. Patriarcham a sententia excommunicationis, si qua noscitur esse ligatus occasione debiti Rom. Ecclesie, seu communis servitii non soluti, aut alia quacumque de causa, dignaretur absolvere, et ad dictum absolutionis munus pro dicto D. Patriarcha, et ejus nomine, suscipiendum, et ad jurandum in animam ipsius D. Patriarche de stando, et obediendo mandatis S. Romane Ecclesie, et dicti D. Summi Pontificis, et ad se submittendum Camere ejusdem D. Summi Pontificis, ac sacri Collegii, et ad obligandum se ipsos, et utrumque eorum in solidum, nomine prefati D. Patriarche, de recidendo in pristinam et eandem excommunicationis sententiam, si contingat ipsum D. Patriarcham in termino, aut terminis prefixis, aut prefigendis per ipsum D. Summum Ponti-

ficem, et sacrum Collegium jam dictum, aut illos sive illum quibus, aut cui dictus D. Summus Pontifex et Collegium predictum taxationem pecunie solvende et terminorum ordinationem duxerint committendum; nec non ad supplicandum eidem D. Summo Pontifici, ut super residuo dicti debiti non soluti dignetur misericorditer, et generose dilationem et terminum unum, aut plures, prout Sanctitati sue placuerit, impendere: in quo, aut quibus promittant procuratores prefati, aut alter eorum cum juramento in animam ipsius D. Patriarche prestando, et aliis firmitatibus opportunis, hujusmodi residui pecuniam persolvere. Et generaliter ad omnia et singula facienda et complenda in predictis, et circa predicta, que necessaria videbuntur, et que ipse D. Patriarcha facere posset, si presens esset, etiam si mandatum exigant speciale. Promittens ratum, et gratum habere, et tenere perpetuo quidquid per procuratores suos predictos, aut alterum eorum dictum, factum, et procuratum fuerit in premissis sub ypotecha, et obligatione omnium suorum et Aquil. Ecclesie bonorum. A. N. U. o.

N. 734.

1332 23 *Maggio Gemona.*

Feudo d' Abitanza in S. Vito concesso dal Patriarca ad Ermano di Muggia.

Gabriele da Cremona Not.

Die xxiii. mensis Maii. Super Castro Glemone. Presentibus venerabilibus viris D. D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario infrascripti D. Patriarche, Fra-

tre Giberto Abbate Monasterii Mosacensis, ac Nobilibus viris D. D. Anfossio et Mauriciolo de la Turre de Mediolano, Guilielmo de Victuono habitatore S. Viti testibus, et aliis pluribus. Accedens ad presentiam Reverendi patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche discretus vir Carismanus filius q.^m^ Boni de Septimo, pure, sponte, libere, et ex certa scientia renunciavit et cessit in manibus ipsius D. Patriarche omnibus feudis et bonis feudalibus cujuscumque conditionis essent, que fuerunt q.^m^ Zanini consanguinei sui, et que idem Zaninus, dum viveret, habuit et recognovit a D. Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi, et de quibus idem Carismanus, post mortem dicti Zanini, ab ipso D. Patriarcha dicitur investitus, salvis semper bonis feudalibus, que fuerunt q.^m^ Boni patris sui. Renunciavit etiam et cessit, tutorio nomine neptis sue, filie q.^m^ dicti Zanini in manibus ejusdem D. Patriarche, habitantie site in S. Vito, et feudo habitantie eidem annexo. Quas quidem renuntiationes prefatus D. Patriarcha recepit, et acceptavit. Factis igitur et acceptatis renuntiationibus antedictis, ipse D. Patriarcha volens discretum virum D. Hermannum de Muja filium D. Jacobi dicti Fantussii de la Fratina suum, et Ecclesie Aquilegensis servitorem fidelem, volente et consentiente Carismano predicto, favore prosequi gratioso, dictum Hermanum ibidem presentem, et devote suscipientem, de feudis et bonis prefatis, tamquam rectis et legalibus, ac de habitantia et feudo ad ipsam spactante, per capucium quod habebat in manibus liberaliter investivit, suo et Aquilegensis Ecclesie nomine, mandans prefatum D. Hermannum per ...... cui commisit specia-

liter, in predictorum feudorum et habitantie corporalem possessionem induci. C. F. o.

N. 735.

1332 7 Giugno Udine.
Notizie estratte dai libri del Camerarо del Comune.

Guecello da Portogruaro Cancel. Com.

Die septimo Junii dedit pro duobus curribus super quibus portate fuerunt Balistre, Papesii, et alia necessaria Castellerium Denarios xvi.

Item Johanni de Lavariano pro sex lignis necessariis ad faciendam Manganellam, que conduci debebat Castellerium.

Item Magistro Zerando Marangono pro uno ligno de Ulmo de quo facta fuit perticha Manganelle predicte, empto ab ipso, Denar. xx.

Item Nicolo calcifici q.[m] Orsi de Talmasono, pro octo assidibus emptis ab ipso in ratione denariorum trium pro qualibet, pro faciendo Cassam dicte Manganelle, Den. xxiv.

Item Bartholotto calcifici pro quatuor assidibus causa faciendi Galleriam predicte Manganelle emptis ab ipso pro tribus denariis una, Den. xii.

Item Novelle de Cramis pro fune ipsius Manganelle empta ab ipsa, Den. xxiv.

Item Henrico Sellario pro coppo ipsius Manganelle empto ab ipso, Den. xxiv.

Item Jacobo Blancho qui conduxit cum suo curru

lapides in Broylo D. Federici causa ponendi ipsos in cassam ipsius Manganelle, quia probata fuit qualiter proiciebat, Denarios octo.

Item dedit duobus nuntiis missis unum Goritiam, et alium Duinum cum duabus literis ad sciendum, et inquirendum, si per Dominam Comitissam, et illum de Duino preberetur auxilium illis de Castellerio, Denarios xxxii.

Item die vigesimo Junii dedit Magistro Jacobo Marangono, qui laboravit sex diebus ad faciendum Scalas domus Magistri Manini super qua fit Consilium, et ad segandum Scalerios dicte Scale, et Poiolum in capite ipsarum scalarum faciendarum, in ratione denariorum novem pro die, Den. liv.

Item dedit Guirussio manuali, die xxix. Junii, qui laboravit quatuor diebus ad requirendam terram, et actandam, et implendam foveam infra Palatium Communis, et domum Consilii, in ratione denariorum quatuor pro die, Denar. xvi.

Item die ultimo Junii dedit pro sexaginta assidibus emptis in ratione trium denariorum una, occasione faciendi banchos super domo Consilii, pro ut sibi extiterat ordinatum per D. Gastaldionem et per homines Consilii, quia non habebant ubi possent sedere quando faciebant consilium, Marcham unam et Denar. xx.

Item Rizardo staderario pro actaturis Statere magne Communis cum qua ponderatur Fenum, Caseus, et alia necessaria, denar. xv.

Item die xx. Augusti, dedit Sabatino filio Lazari de Burgo superiori, qui laboravit septem diebus in burgo

superiori in Canipa cujusdam de Villis in qua dicebatur esse quidam fons, et sub monte filiorum D. Federici de Andreottes, sub quo facta fuit quedam alia magna fovea, occasione inveniendi dictum fontem, in ratione denariorum quatuor pro quolibet die, Denarios xxviii.

Item dedit dictis octo laboratoribus qui laboraverunt quatuor diebus ad reportandum terram in dictis foveis, et actandum dictas foveas, quia dictus fons non potuit inveniri, in ratione denariorum quatuor pro quolibet die, Fortonos tres, et denarios octo.

Item die xxiv. Augusti. Dedit Parussio et Spontono missis Tervisium causa inquirendi de facto illorum Dominorum de la Scala, qui dicebantur velle venire Forojulium, mediam Marcham.

Item Henrico Cursori qui ivit Savorgnanum, Osopium, et Flagoneam, et portavit litteras D.D. Hectori et Fredericho ex parte Communis, ut deberent Utinum pervenire, occasione novorum que dicebantur de illis Dominis de la Scala, Denarios xxiv.

Item prefato Henrico pro una littera quam portaverat Florentie magistro qui invenire debebat aquam, qui Henricus iverat Florentiam ad petitionem quorundam Tuscorum, Denarios xx.

Item Thomasino Tamesario, et Spontono missis Tervisium causa inquirendi de novis illorum Dominorum de la Scala, qui dicebantur velle mittere gentem suam in Terram Forojulii. Et ordinatum fuit eisdem, quod si aliqua nova scirent, quod unus ipsorum statim Utinum veniret ad narranda predicta, et alter remaneret ibi, ut posset melius inquirere claritatem, mediam Marcham.

Item die xxviii. Augusti dedit Henrico Cursori misso Cavolanum et Sacilum causa inquirendi de novis illorum Dominorum de la Scala, si erant gentes forenses Cavolani, aut alibi circumquoque, Denarios xxviii.

Item Spontono Cursori misso Porciliis pro inquirendo de novis, que dicebantur de gente illorum Dominorum de la Scala, Denar. xxviii.

Item Bordono Preconi qui portavit litteram unam Sacilum ex parte Communis D. Francischino, ut rescriberet nobis de novis illorum Dominorum de la Scala, si sciebat, quid illi Domini facere intendebant, super eo quod dicebatur quod illi venire volebant in Forumjulium. Denar. xxviii.

Item die xxix. Augusti dedit Bordono misso per Commune Serravallum, Cenetam et Coneglanum causa inquirendi de novis illorum Dominorum de la Scala, si venturi erant in Forumjulium aut non, et si aliquid scire posset de intentione sua, Denar. xl.

Item die primo Septembris dedit Parisino et Benevenuto notariis qui iverunt Ambaxatores pro Commune Civitatis Austrie in servitio illorum de Glemona, pro expensis et naulo equorum, Denar. xxvi.

Item die sexto Septembris dedit D. Thobie de Utino qui deputatus erat ad faciendam Turrim porte Burgi Civitatensis, de voluntate D. Gastaldionis et Consilii Marchas xii.

Item die xxv. Septembris dedit D. Leonardo de Savorgnano, Lovatto et aliis sex suis sociis de voluntate D. Gastaldionis et Consilii, qui ad requisitionem D. Pa-

triarche iverunt in auxilium Piscater, in ratione medie marche pro quolibet, marchas quatuor.

Item die xxviii. Septembris dedit Marcho filio Petri Baldini de mandato D. Gastaldionis et Consilii, qui stetit supra Turrim castri Utini pro custodia facienda quando dicebatur, quod illi Domini de la Scala intendebant Forumjulium venire diebus octo, in ratione denariorum octo pro quolibet die, Denar. lxiv.

Item uni alteri socio ipsius Marci, qui stetit secum super dicta Turri pro custodia facienda octo diebus, denarios lxiv.

Item uni spie misse Gonars ad inquirendum de gente illius Domini de Castello quid facere intendebat, et si erat in magna quantitate, Denarios viii.

Item die primo Octubris dedit Valentino Mercatori pro quinque brachiis stametti viridi clari empti ab ipso in ratione quindecim grossorum brachii, dati Mussio Fornatori qui portavit novam Utinum, quando D. Nicolaus de Castello fuit captus apud Turridam, marcham unam, Denar. xi. et parvulos vi.

Item Rizotto de Grezano, qui ivit eques Cividatum, et portavit ex parte Communis unam litteram Communi et hominibus de Civitate notificando eis de victoria nostra habita contra D. Nicolaum de Castello, pro naulo, equo, et labore ejus, Denar. xii.

Item Clericho hospiti, de mandato D. Gastaldionis et Consilii pro expensis factis in ejus hospitio per D. Conradum filium D. Pauli Boyani quando fuit Turride cum gente nostra contra D. Nicolaum de Castello, marcham unam et mediam et denar. xxvi.

Item filio Missutti pro naulo unius Charrette qua conducebet panem Turridam illa vice quando gentes nostre iverunt Turridam contra D. Nicolaum de Castello Denar. xvi.

Item pro pane empto quem misit Turride, quod non fuit necesse, et propter nostram victoriam de mandato D. Gastaldionis et Consilii dictum panem dedit pauperibus amore Dei, marchas tres et mediam, denarios xiv. et parvulos quatuor.

Item die sexto Octubris, dedit Sclavucio qui ivit cum uno Precone circumquaque Terram Utini ordinando peditibus et equitibus quia pararent se armis et aliis necessariis causa eundi Turridam contra D. Nicolaum de Castello, Denar. xvi.

Item Franciscutto filio Dominici Becarii, qui ivit cum uno Precone tribus diebus dando scriptos circumquaque Terram Utini, tempore quo imponi debebat Colta, Denar. xxiv.

Item Mathie Preconi, qui ivit cum ipso Francisco precipiendo hominibus, ut persolverent id quod impositum erat eis, Denar. viii.

Item die xii. Octubris dedit Venerio Preconi qui iverat Faganeam pro Capitaneo Faganee, qui cum armigeris suis Utinum venire deberet, tempore quo homines Utini iverunt Turridam contra D. Nicolaum de Castello, Denar. xii.

Item Mathie Preconi pro satisfactione ejus, qui ivit Sedejanum tempore quo D. Nicolaus de Castello ivit Turridam, ad inquirendum quid agere intendebat, et de quantitate ejus gentis, Denar. xii.

Item die xviii. Octubris dedit Bordono Preconi, qui ivit Savorgnanum pro D. D. Biello, Folcherio, et Leonardo, ut Utinum venirent ad faciendam monstram eorum militie, Den. viii.

Item Pitte notario qui ivit Glemonam tempore quo questio erat inter homines Utini, et illum de Castello, ad requirendum auxilium ab eis si fuerit oportunum, pro expensis et naulo equorum, Denarios, xliv.

Item Nicolussio Magistri Conradi tunc temporis misso Cividatum et Zuculam simili de causa, pro expensis et naulo equorum, Denar. xxiv.

Item uni nuncio, qui portavit litteras ex parte Communis Utini illis Dominis de Valvasono, qui erant in Portugruario illa de causa, Denar. xxiv.

Item uni spie que ivit eques Castellum, quando questio erat inter nos et D. Nicolaum de Castello ad inquirendum de gente que dicebatur ibi esse, pro labore suo et naulo equi, Den. xx.

Item tribus Nunciis missis Gonars, quelibet Spia pro se, in pluribus vicibus ad inquirendum de illa gente que dicebatur ibi esse. Denar. xxiv.

Item Rodulphucio, qui ivit Ossopium pro D. Federico de Savorgnano, ut Utinum veniret super quibusdam negotiis Communis peragendis, pro labore suo et naulo equi, Den. xx.

Item Preconibus in die Aringi, qui iverunt per Terram Utini proclamando, ut homines venire deberent ad Aringum, in duabus vicibus, Den. viii.

Item duabus spiis missis Castellum ad inquirendum

quid tractaretur ibi, ad hoc ut sciremus nobis precavere, Den. xii.

Item Rodulphucio qui iverat Glemonam in servitio Communis pro gente armigera, pro labore suo et naulo equi, Denar. xx.

Item Grosso Sartori misso Cividatum causa loquendi D. Paulo Boyano et filiis, quia preberent nobis auxilium, si nobis fuerit opportunum, pro expensis et naulo equi, Denar. xii.

Item xxii. Octubris. Pro duabus spiis missis Castellum ad inquirendum si verum esset quod quidam magnus tractatus per quamplures de Forojulii fiebat ibidem, Den. xlvi.

Item Bordono Preconi misso ex parte Communis Serravallum ad inquirendum si D. Rizardus Novellus daret auxilium illis de Castello, Denar. l.

Item die xxv. Octubris dedit Magistro Andree Trombette de mandato D. Gastaldionis et Consilii pro provisione sibi facta de eo quod fuerat Turride cum gente nostra Utini, Denar. lxxx.

Item uni Nuncio, qui portavit unam litteram Serravallum D. Rizardo Novello ad inquirendum ipsum ut nobis preberet auxilium, si nobis fuerit opportunum, et ad inquirendum de novis que fiebant ibidem, Den. lii.

Item die xxviii. Octobris dedit Rubeo Cursori, qui portavit litteras Tricesimum, Glemonam, et ad Sanctum Danielem requirendo illos nostros amicos, ut nobis venirent consultum super facto respondendi hominibus de Forojulii, super negotio D. Nicolai de Castello, Denar. xx.

Item uni famulo D. Guillelmi de Ungrispach misso Reyfemberch causa inquirendi de gente D. Comitis Federici, si veniebat in Forumjulii, sicut dicebatur, pro labore suo et naulo equi, Denar. XLVIII.

Item pro duobus palis de ferro causa faciendi inquirere aquam ubi dicebatur fons esse in burgo Superiori, Denar. XIV.

Item uni famulo D. Guillelmi de Ungrispach, qui ivit Goritiam ad inquirendum de gente D. Comitis Federici, si veniret, pro expensis, naulo equi, et labore suo, Denar. XXXVI.

Item Venerio Preconi qui portavit unam litteram D. Hectori de Savorgnano ex parte Communis super facto Ballarum acceptarum Theotonicis, et uni de Civitate, Denar. VIII.

Item Odorico Miuftte misso Civitatum super facto Consilii facti in Civitate per D. Patriarcham, pro expensis et naulo equorum, Denar. XXVIII.

Item Uttussio q.m D. Guicardi misso per Consilium Glemonam ad notificandum D. Fedrigino de la Turre Capitaneo Glemone de rusticitatibus super ipso dictis per Biscontum D. Comitis Federici, pro equis et expensis, Den. XXXII.

Item die ultimo Octubris dedit Bordono Preconi misso Serravallum cum litteris D. Rizardo Novello ex parte Communis ad supplicandum eidem, ut nobis preberet auxilium, si nobis fuerit opportunum, Denarios L.

Item uni Nuncio misso Guritiam ad inquirendum si ibi fiebat varnimentum causa veniendi super dampnis

nostris, qui stetit pluribus diebus, pro expensis et naulo equi, et labore suo, Denar. L.

Item die primo Novembris dedit uni Nuncio de Montefalcono, qui aportavit unam litteram Communi, quam Manpheus de Cramis existens in Trieste miserat Montefalconum significando de D. Comite Federico, qui veniebat ad partes Forojulii, Denar. XII.

Item uni Nuncio misso Goritiam ad inquirendum de Gente D. Comitis Federici, et de novis si ipsa gens veniebat, et quid fiebat ibi, Denar. XX.

Item die VII. Novembris. Parussio qui portavit litteras ex parte Communis Communi Glemone notificando ei de gente D. Comitis Federici que venibat, ut precaverent sibi, Denar. XII.

Item die XII. Novembris dedit uni de Postcollo qui portavit litteras ex parte Communis D. Francischino Sacilum ad inquirendum de novis, et portavit litteras Serravallum D. Rizardo Novello super facto concordii D. Nicolai de Castello, Denar. L.

Item die XII. Decembris duobus Cravattis qui morabantur in domo Henrici spatarii, pro medio milliario scaptorum factorum, impennatorum et positorum in pillottis per ipsos quos impennare debebant cum pennis, in ratione denariorum decem pro quolibet centenario. Qui Cravatti recesserunt insalutato hospite, et secum portaverunt pillottos predictos, ita quod perditi fuerunt, Denarios L.

Item magistro Rizardo staderario pro novem lumeris novis emptis ab ipso in ratione denariorum sexdecim pro qualibet, que date fuerunt Capitibus de Quarteriis

causa faciendi custodiam in nocte, Fortonos tres et denarios xxiv.

Item Johannino q.^{m} Philippini pro libris trecentis et sexaginta de collaciis de sepo ad dictas lumeras, tempore quo Cravatti erant Reane, qui dati fuerunt hominibus facientibus custodiam in Terra Utini, et equitibus qui ibant in nocte ad faciendam custodiam per villas Utini, ne Cravatti, aut alii venissent furtim ad offendendum nobis, in ratione denariorum duorum pro qualibet libra, marchas quatuor et mediam.

Item die xx Decembris Favono cursori qui portavit unam litteram Petro de Toppo ex parte Communis, ut mitteret nobis pedites, Den. xxiv.

Item uni Nuncio qui portavit unam litteram D. Patriarche Capitaneo de Fagania, ut Utinum perveniret, Denar. x.

Item uni Spie misso Reanam ad exercitum Cravattorum causa explorandi quid faciebant, et qualiter permanebat exercitus, Denar. x.

Item uni nuncio quem Consilium misit S. Vitum pro peditibus nobis necessariis, Denar. xx.

Item uni nuncio qui aportaverat litteras Communi Utini ex parte illius de Offenstayn, Denar. x.

Item Uttussio q.^{m} D. Guicardi qui ivit Glemonam ex parte Communis significatum Communi et hominibus de Glemona de conditione D. Patriarche, qualiter graviter se habebat, pro expensis et naulo duorum equorum, Den. xliv.

Item uni nuncio qui aportavit Communi Utini unam litteram ex parte cujusdam nostri amici, qui significavit

nobis qualiter frater Comitis Bartholi iverat Ungariam pro gente, et promissum fuerat sibi auxilium sed non datum eidem, propter casum que tunc Ungaris evenit pre manibus, Denar. xxxii.

Item Valentino mercatori pro brachiis quadraginta Bocharami empti ab ipso in ratione denariorum octo pro quolibet brachio, causa faciendi banderas et pinellos tempore guerre Cravattorum, marchas duas et denarios quatuor.

Item Misino sartori et Pedrussio Marquardi pro viginti octo mazis cuchularii empti causa faciendi Banderias, et pinellos, in ratione denariorum octo pro qualibet maza, marcham unam et Den. lxiv.

Item eidem Misino pro assuturis et cuchulario tunice facte Mussio pro Communi, pro novis quas aportavit super facto illius de Castello, Denarios octo.

Item Benoardo olim Pricivalli pro triginta duobus astilibus in quibus posite fuerunt banderie et pinelli Communis, in ratione denariorum trium pro quolibet, unam Marcham et Denar. xvi.

Item eidem Benoardo pro novem astilibus positis in lumeris Communis, Denarios novem.

Item Marcho filio Petri Baldini et Socio, qui steterunt supra Turrim Castri Utini pro custodia facienda diebus et noctibus viginti quatuor, in ratione denariorum octo pro quolibet die, tempore quo Cravatti venerunt et steterunt Reane cum eorum exercitu, Marchas duas et mediam.

Item dedit duabus guardiis, que steterunt supra Turrim Campanarum Castri pro custodia facienda simili

de causa, viginti quatuor diebus et noctibus, in ratione denariorum sex pro quolibet, et qualibet die et nocte, marcham unam, Fortonos tres, Denar. xx.

Item uni Guardie que stetit super muro Nicolussii et D. Andreottes causa intimandi ea que dicebant Custodes qui custodiebant supra Turrim Castri Utini, quia audiri non poterant bene, nec intelligi propter rumorem gentium, pro sex diebus, tempore Cravattorum, in ratione denariorum sex pro die, Denar. xxxvi.

Die vigesimo sexto Decembris dedit Pive Cursori de Postcollo, qui portavit litteras ex parte Communis, Seravallum D. Rizardo Novello significando sibi de Concordio facto inter Comitem Bartholomeum de Vegla, et homines de Utino, qui non invenit ipsum Seravallo, et ivit cum dictis litteris usque Pischeram, Denar. lxxii.

Item dedit illis armigeris familiaribus illius D. de Pethovia, qui venerunt nobis in auxilium, quando morabantur Faganee, tempore quo Cravatti cum exercitu suo venerunt Forumjulium, et dicebatur quod volebant venire sub Utinum, et nobiscum permanserunt pluribus diebus, pro eorum expensis, et pro provisione facta eis per homines Consilii, Marchas decem et octo.

Item Petro de Serraturis pro actaturis serraturarum portarum Burgorum quando Claves portarum date fuerunt D. Federico de Savorgnano, tempore Cravattorum, Denarios xxiv.

Item duabus spiis missis Reanam ad exercitum Cravattorum tempore guerre ad explorandum qualiter permanebat exercitus, Denar. xvi.

Item uni Nuncio qui aportavit unam litteram

75

Communi ex parte illius D. de Offenstayn, Denarios x.

Item Philippussio D. Raynerotti pro uno nuncio quem miserat Cormons ad inquirendum de novis tempore Cravattorum, solidos xx parvorum.

Item uni nuncio misso Portumgruarii ad inquirendum de gente extranea que dicebatur ibidem venisse, Denar. xvi.

Item Nicolussio Magistri Conradi qui ivit ex parte Communis Ponteuba causa loquendi cum Domino de Offenstayn super tractatu pactorum fiendorum cum ipso, pro expensis factis per ipsum pro se et sociis, et pro naulo quatuor equorum, et expensis ipsorum equorum, in quo itinere stetit pluribus diebus, Marchas duas, et Denarios lx.

Item uni nuncio misso Goritie ad D. Comitem Bartholomeum super facto Uroseri qui fuit deputatus in exercitu, quando ivit cum captivato, quem in custodia habuerat, pro solutione denariorum quos habere debebat ab ipso, Denar. xx.

Item uni spie misse cum exercitu Cravattorum quando recesserunt de Forojulio, et cum ipso exercitu ire debebat usque Reyfemberch causa inquirendi de novis, Denar. xl.

Item pro naulo sex equorum quos habuit Wecelus notarius Communis quando ivit Reanam pluribus vicibus, super facto Concordii inter D. Comitem Bartholomeum et Commune Utini, pro satisfactione puerorum, et ejus labore, mediam Marcham.

Item D. Conrado filio D. Pauli Boyani pro expen-

sis factis per ipsum in tribus vicibus quando venit in auxilium nobis, tempore guerre D. Nicolai de Castello, et tempore guerre Cravattorum, et Utinum permansit pluribus diebus, pro provisione sibi facta per Sapientes per Aringum deputatos super negotiis Communis, Marchas triginta.

Item D. Nicolao de Bottenstayn pro stipendio unius mensis pro septem Elmis in ratione trium marcharum pro Elmo, et duobus Balisteriis in ratione duarum Marcharum pro Balisterio, de qua solutione Commune habet ab ipsis instrumentum solutionis finis, scriptum per Guecellum notarium Communis Utini, Marchas xxv.

Item Fratri Jacobo Zurcellutto de Ordine Predicatorum misso cum uno socio Bononiam ad D. Legatum, super negotio D. Patriarche qui defunctus erat, solidos xv. Grossorum.

Item Mampheo olim D. Ambrosii misso una die, hora tardiva Chuchaneam ad D. Odoricum, ut Utinum veniret, super facto providendi quid esset agendum quia D. Patriarcha mortuus erat. Pro expensis et naulo equorum, Denar. xxxii.

Item uni nuncio qui portavit unam litteram Communi de Marano significando hominibus de Marano de morte D. Patriarche, Denar. xii.

Item uni nuncio qui portavit litteras hominibus et Communi Glemone ex parte Communis Utini significando eisdem de morte D. Patriarche, ut percaverent sibi, et providerent de eorum statu, Denar. xii.

Item Magistro Nicolao Marangono, qui actavit Rostam apud Molendinum Magistri Bini ad hoc, ut aqua

non exiret de Gurgo propter defectum Roye, que fracta fuerat per Cravattos, pro ejus labore, assidibus, clavis, et aliis necessariis ad dictam Rostam, Den. LX.

Item Petro de Budrio et Odorico Miullitte qui emerunt ligna et sorgale et alia necessaria causa faciendi quod Roya perveniret Utinum, que fracta fuerat per Cravattos, Fortonos tres, Den. XIV.

Item uni nuncio qui portavit litteras ex parte Communis D. Nicolao de Castello significando sibi de Fratre, qui iverat sub Maranum, et quod sibi displicere deberet de hiis que faciebat, Denar. X.

Item uni nuncio qui ex parte Communis portavit litteras D. Johanni Francisco qui erat in obsidione Terre Marani, ut sibi placeret recedere ab inde, Den. XII.

Item Lappo Tusco qui fecit actari unum foramen extra portam Grazani ad hoc ut bestie non devastarentur, Den. quatuor.

Item uni nuncio qui portavit litteram unam Communi Glemone, ut mitteret Ambaxiatores suos Utinum causa eligendi unum Vicedominum, qui manuteneret Terram Forijulii in pace.

Item uni nuncio qui portavit litteras Capitulo Aquilegensi, et D. Abbati de Bellunia simili de causa, Denarios XIV.

Item Philippussio, Johanni Notario, et Nicolussio Magistri Conradi missis Villaltam ad Colloquium Castellanorum, occasione providendi de statu pacifico Terre Forijulii, pro expensis et naulo equorum. Den. XXXVI.
Può vedersi l' originale esistente presso l' eccel.mo Signor Dottore Domenico Ciconi.

N. 736.

1332 19 *Giugno Udine.*
Pagano assicura il Commercio de' Sudditi del Purgravio di Veldz coi Friulani.

Nos Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha notum facimus universis et singulis presentes litteras inspecturis, quod omnes, et singulos homines, mercatores, et alios subditos nobilis viri Domini Henrici Purgravii in Weldz veniendo in nostrum districtum causa emendi vel vendendi, seu alia negotia peragendi, ac stando, et redeundo, per nos, et omnes nostros subditos affidamus in bonis pariter et personis.

Datum sub nostro sigillo Utini, die xix. Junii anno Dominice Nativitatis M. ccc. xxxii. Indictione xv. A. C. C. o.

N. 737.

1332 21 *Giugno Sesto.*
Determinazione dei Pascoli delle Ville di Cimolais e di Claut.

Bertolo di Gruaro Not.

Anno Domini M. ccc. xxxii. Indictione xv. die xxi. mensis Junii. In Sexto, sub Turri. Presentibus D. Vulvino de Maniago, D. Fantussio de Fratina, Magistro Vilielmo de Parma qui nunc moratur in Sexto, et aliis.

Cum lis et questio verteretur et esset inter homi-

nes et Commune Cimulai ex una parte, et homines et Commune Clauti ex altera, occasione Pineti, et aliarum Comumugnarum coram Reverendo patre et D. D. Lodoyco Dei gratia Abbate Monasterii S. Marie Sexti; inter dictas partes sententiam protulit, quod homines et Commune de Cimulai pasculare et comugnare debeant usque Fossadellas superius versus Cimulai, et ultra locum sibi assignatum non pertrausire, donec mittemus Franciscum nostrum Gastaldionem illuc; et homines de Clauto et Commune comuguare et pasculare debeant usque dictas Fossadellas inferius versus Clautum.

Item sententiavit quod Commune et homines ville Cimulay comugnare et pasculare debeant tam in montibus, quam in planitiis, a valle Monteselle et a termino ibi posito, et a valle de Dosola idem recte, usque ad summitatem montis; et a medio ayrale de Stavialle inde recte ad saxum Album inferius, et inde recte per vallem de Claveda usque ad saxum Album superius in recta versus Cimulay sit terra et pasculum Communis Cimulay; et exinde versus Clautum sit terra, et pasculum Communis Clauti, et ultra non pertrausire locum per nos assignatum, sub pena librarum mille denariorum Venetorum parvorum in Communi, et in diviso librarum centum denariorum parvorum. Sed tamen damus et concedimus si homines de Cimulay ultra locum assignatum irent, quod homines de Clauto eis accipere possint pignore Frixachenses quatuor; simili modo homines de Cimulay possint eisdem accipere, si ultra pertransirent locum assignatum. Et omnia et singula in hoc publico Instrumento contenta, firma,

et rata habere et tenere, et non contra facere, aut venire sub pena predicta in singulis capitulis hujus contractus stipulata, promissa, et solvenda toties committetur in eam. Et ea soluta vel non, presens sententia, et instrumentum istud in sua maneant firmitate.
A. D. U. o.

N. 738.

1332 8 *Luglio Udine.*

Il Patriarca è obligato a pagare due mille fiorini d'oro all' anno fino all' estinzione del di lui debito verso la Camera Pontificia.

Gubertino da Novate Can. P.

Die viii. mensis Julii. Utini, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus Nobilibus viris D. Francisco de Manzano, Fredigino de la Turre Capitaneo Glemone, Fantino de Cuchanea, discreto viro Gabriele q.m D. Henrighini de Cremona Utini commorante, et aliis. Stephanus de Mediolano Cursor infrascripti D. Patriarche dedit ipsi D. Patriarche, et assignavit quas de Romana Curia hodie attulit litteras patentes infrascripti tenoris.

Universis presentes litteras inspecturis Gasbertus, permissione divina, Arelatensis Archiepiscopus D. Pape Camerarius salutem in Domino.

Ad universitatis vestre notitiam, presentium tenore, deducimus, quod intellecta mole gravaminum, que

pro parte venerabilis in Christo Patris D. Pagani Patriarche Aquil. in Concistorio coram domino nostro Summo Pontifice exposita die date presentium litterarum, eundem dominum Patriarcham ad solvendum residuum sui Communis Servitii, nec non et quatuor servitia integra familiarium et Officialium domini nostri Pape, in quibus est Camere domini nostri Summi Pontificis obligatus, reddebant, et adhuc reddunt verosimiliter impotentem, ad que solvenda jamdudum sub certis penis et sententiis, ac terminis jam elapsis tenebatur, et adhuc tenetur adstrictus, idem Dominus noster Summus Pontifex ordinavit, quod de omnibus summis per ipsum D. Patriarcham debitis, tam ratione sui Communis Servitii, quam Servitiorum familiarium et Officialium, prefatus D. Patriarcha anno quolibet a die date presentium in antea continue computando, persolvat duo millia florenorum auri. Et sic deinceps annis singulis, quousque de omnibus prelibatis summis per eum debitis fuerit integre satisfactum. Insuper ipsum Patriarcham a suspensionis, interdicti, et excommunicationis sententiis, reatu perjurii, ac penis aliis quas, quodve pro eo quod suum commune, et familiarium, ac Officialium servitia in prefixo sibi termino non persolvit, noscitur incurrisse, auctoritate qua fungimur, duximus absolvendum. Ita tamen quod si anno quolibet dicta duo millia florenorum auri non solverit, aut in ultimo anno, id quod pro complemento dictorum servitiorum ad solvendum restabit, in penas et sententias, quibus tenebatur antea, relabatur. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli Camerariatus nostri appensione muniri.

Datum Avenione, die sexta mensis Aprilis. Anno Domini M. CCC. XXXII. Indictione XV. Pontificatus Sanctissimi Patris et domini nostri D. Johannis divina Providentia Pape XXII. anno XVI. A. N. U. o.

N. 739.

1332 9 *Luglio Udine.*

Pagano, convalida le cose da lui operate durante il tempo della Scomunica.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die Jovis VIIII. mensis Julii. Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus veu. viro D. Eusebio de Romagnano Canonico Aquilegensi, ac Nobilibus viris D. Fedrigino de la Turre Capitaneo Glemone, Fantino de Pertenstain, Francisco de Manzano, Jacobo dicto Pavesio Clerico, et multis aliis.

Rev. in Christo Pater et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, receptis litteris absolutionis sue, sibi portatis de Romana Curia per Stephaninum nuncium et Cursorem suum, innovavit, et confirmavit omnes collationes, sententias, processus, et actus quoscumque per ipsum factos, et Vicarios suos in Curia sua usque ad presentem diem; volens ipsos, et ipsas ejusdem roboris et valoris existere, ac si presentialiter fierent. C. F. o.

N. 740.

1332 10 *Luglio Udine.*

Il Patriarca ordina al Capitano e Comune di Gemona che le Collette s' impongano secondo le facoltà de' contribuenti.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus etc. Dilecto Nepoti nostro Fedrigino della Turre Capitaneo, ac discretis viris Consilio, et Communi Glemone salutem, ac omne bonum.

Urget nos officii nostri debitum, ut cum expedit, subditorum nostrorum incommodis debita sollicitudine occurramus. Igitur sicut nuper accepimus, cum nos ad sanationem debitorum vestri Communis intendentes quandam ... collectam inter cives vestros, ex cujus distributione improvida, nulla equitate servata, cives vestri infrascripti ultra juris debitum et possibilitatem eorum gravari noscuntur, videlicet Josephus Curciliarius Marchas xxv. Hermanus et Blasius fratres q.m Johannis Boni Marchas D. Flumianus hospes Marchas L. Octalinus de Portis Mar. xx. Philippus q.m Jacobi Agoleani, et Catharina ejus mater Mar. LXXX. Volentes eorum gravitatibus, eo quo possumus et tenemur moderamine providere, dictam Collectam taliter impositam, quo ad personas prefatas, tollimus, cassamus, et remittimus mandantes, et statuentes, vigore presentium litterarum nostrarum, quod super portionibus ejusdem Collecte imponende prefatis, tres ex di-

scretioribus civibus vestris eligantur, et per ipsos Sacramento adstrictos Collecta hujusmodi dictis hominibus infra x dies, juxta eorum facultatem et possibilitatem imponatur: Et sicut imponetur per ipsos sex, ita observari, et ipsam persolvi mandamus; cum quibus sex si concordari non poterint, nosmet ipsi pro utriusque partis compositione communi intendimus interesse. Preterea ut omnis inter vos cesset ambitio, Terraque vestra Glemone dulcius acquiescat, prefatos Josephum, Hermannum, Blasium, Flumianum, Octolinum, Philippum, et Catherinam in nostra protectione recipimus, ita quod in hiis que Commune vestrum respiciunt et tangunt, nullam super ipsis, preter dispositionem et ordinationem nostram, potestatem habere possitis, ne in casu simili graventur ulterius, cum ipsos et bona eorum sub protectione nostra positos in futuris honoribus vestri Communis, juxta possibilitatem eorum, et de conscientia nostra volumus includi. Quidquid autem in contrarium fieret ex nunc vacuum reputamus; has litteras nostras patentes vobis et ipsis tradentes in testimonium hujus rei. Datum Utini, in Castro nostro, die decimo mensis Julii, anno ut supra. A. C. U. c.

N. 741.

1332 18 *Luglio Udine.*

L' Abbate di Obruburch s' obbliga a pagare a Giovanni di Plachenstain un' annua retribuzione.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xviii. mensis Julii. Coram Rev. Patre et D.D. Pagano Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil.

Patriarcha, ven. et religiosus vir D. Fr. Leopoldus Abbas Monasterii Obruburgensis, Aquil. Diocesis suo, et dicti sui Monasterii et Conventus nomine, et de ipsius Conventus speciali licentia et consensu, prout constare dicebatur publicis et patentibus litteris ipsius Conventus sigillo munitis, in recompensationem et retributionem gratorum obsequiorum per ven. virum D. Johannem de Planchenstayn Archidiaconum Seonie eidem Monasterio fideliter impensorum, et ut devotius ad ejusdem Monasterium, et ipsius D. Abbatis, et Successorum suorum obsequia animetur, per speciale pactum et expressum, quod nullo modo, aut tempore infringi, violari, aut revocari possit, dare stetit, et promisit in omnem eventum per se, et Successores suos anno quolibet D. Johanni prefato, aut procuratori suo legittimo, in festo S. Martini, quoad vixerit dictus D. Johannes, marchas septuaginta quinque denariorum solidorum bonorum veterum. Obligans ad hoc ipse D. Abbas suo, et dicti Conventus nomine, eidem D. Johanni omnia ipsius Monasterii bona mobilia et immobilia, presentia et futura. Ita quod liceat eidem D. Johanni, si solutio sibi facta non fuerit tempore predicto, de bonis prefati Monasterii, ubicumque illa invenerit, auctoritate propria, sine requisitione et licentia D. Patriarche, aut alterius dominii accipere, et accipi facere, vendere, et vendi facere usque ad satisfactionem suam integram, cum refectione dampnorum et expensarum passarum occasione predicta, de quibus credatur soli, et simplici verbo dicti D. Johannis, sine Sacramento, et alia probatione. Promittens nihilominus idem D. Abbas prefato D. Johanni, cum fuerit

in partibus illis, bonam et ydoneam cautionem, seu securitatem prestare per personas ydoneas de quibus idem D. Johannes contentabitur. A qua quidem solutione ipse D. Abbas et Conventus per guerram, aut tempestatem, aut alium casum supervenientem excusari non possit. In cujus contractus firmitatem et robur perpetuum prefatus D. Patriarcha omnia et singula antedicta laudavit, ratificavit, et confirmavit, suam supra predictis auctoritatem interponens, et judiciale decretum. Monens nihilominus ipsum D. Abbatem semel, secundo, et tertio peremptorie sub penis excommunicationis in suam et Monachorum suorum personas, suspensionis in Conventum et Capitulum suum, et interdicti in Monasterium et Ecclesiam antedictam, quas, si contrafecerint ipso facto incurrant, quatenus pecuniam prefatam in statuto termino eidem D. Johanni singulis annis persolvant, et omnia et singula observare procurent, que superius sunt expressa. Ita quod si defecerint in solutione predicta, ipse D. Patriarcha facere denunciari possit eos, nulla alia citatione, aut monitione premissa. Quam monitionem ipse D. Abbas suo, et dicti Conventus sui nomine, ac pro se, et Successoribus suis sponte, et devote suscepit. Ad majorem autem certitudinem premissorum, et valorem perpetuum voluit et mandavit idem D. Patriarcha presens publicum privilegium sui sigilli appensione muniri.

Actum Utini, Aquilegensis Diocesis. In Castro Patriarchali et in camera prefati D. Patriarche. Presentibus ven. viris D. Fr. Johanne Ab. Monasterii S. Petri de Rosaceo, Petro Mora de Mediolano Vicariis, Eusebio de Romagnano Canonico Aquil. Capellano sepefati D. Pa-

triarche, ac nobili viro D. Fedrigino de la Turre Capitaneo Glemone, D. Magistro Johanne Physico de Aquilegia, Leone de Oppreno Clerico Mediolanense, Osgualdo Not. et familiare D. Abbatis Obruburgensis prefati testibus, et aliis pluribus ad hoc vocatis specialiter et rogatis. C. F. o.

N. 742.

1332 9 *Agosto Udine.*
Fiera di Monfalcone.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXII. Indictione XV. die nono mensis Augusti, Utini. In Patriarchali palatio. Presentibus venerabilibus viris D. D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis et Petro Mora de Mediolano Vicariis, ac Zonfredino de Oppreno Vicedomino subscripti D. Patriarche, nec non Nobilibus viris D. D. Odoardo et Carlevario de la Turre, et aliis.

Venerabilis pater D. Paganus Patriarcha suprascriptus ad supplicationem Nobilis viri D. Pancerie de la Turre Capitanei, ac Communis, et hominum de Montefalcone ad ipsum, et Ecclesiam suam Aquilegensem pertinentium, pro honore et utilitate ipsius Terre Montisfalconi, et incolarum ejus, ac ceterorum circum adjacentium locorum concessit eisdem de Montefalcono mercatum publicum et universale, faciendum semel in anno, in festo S. Michaelis de Septembri, et per tres dies im-

mediate sequentes ad modum nundinarum prope ipsum locum de Montefalcono, ubi dicitur ad Fontanas, juxta Ecclesiam S. Michaelis, que est Monasterii de Rosaceo; statuens, et ordinans, quod universi undecumque existant, et cujuscumque conditionis, dum tamen non sint publici latrones, aut banniti Patriarchatus Aquilegensis, venientes ad hujusmodi mercatum, sive nundinas, sint salvi et securi cum omnibus bonis et rebus suis, et sub protectione ipsius D. Patriarche et Ecclesie sue Aquilegensis, in veniendo, stando, et redeundo, non obstantibus quibuscumque rappresaleis alicui persone quacumque occasione, aut sub quavis forma verborum concessis. Et ad majorem firmitatem dictus D. Abbas Rosacensis, ad cujus Monasterium pertinet locus predictus in quo ordinatum est fieri dictum mercatum, suo, et ejusdem Monasterii nomine, consensit. Propter quod idem D. Patriarcha voluit, et ordinavit, ut massarii ejusdem Monasterii, qui morantur circa ipsam Ecclesiam, si aliquo tempore imponeretur Datium super rebus aliquibus que venderentur, aut emerentur in ipso mercato, non teneantur solvere aliquid pro rebus suis quas ibi venderent, aut pro illis quas emerent pro suis usibus. C.F.o.

N. 743.

1332 9 *Agosto, Udine.*

Pagano accorda a Panciera della Torre il diritto di rappresaglia contro i Fiorentini.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXXII. Indictione XV die IX mensis Augusti. Utini, in Patriarchali pa-

latio. Presentibus venerabilibus viris Dominis, Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et Petro Mora de Mediolano Vicariis, ac Zonfredino de Oppreno Vicedomino suprascripti D. Patriarche, et aliis. Venerabilis pater D. Paganus predictus Patriarcha concessit nobili viro D. Pancerie filio q.^{m} D. Napini de la Turre de Mediolano pro se, et fratribus suis rapresalias contra Florentinos debentes ipsis fratribus et heredibus certas pecunie summas pro stipendiis dicti q.^{m} Patris sui, super quibus sepius requisiti, sepius in communi per litteras ejusdem D. Patriarche, nullam dicti heredes solutionem potuerunt habere. A. F. o.

N. 744.

1332 31 *Agosto Udine.*

Provvedimenti stanziati nel General Parlamento onde opporsi all' invasione degli Scaligeri, e Lega colla Contessa di Gorizia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

In Dei nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXXII. Indictione XV.

Infrascripta facta sunt in Colloquio generali celebrato Utini, in inferiori sala Castri, et Palatii Patriarchalis, die lune ultimo mensis Augusti: in quo interfuerunt, more solito, Prelati, Liberi, Ministeriales, Communitates, et alii vocati, ex quibus legebantur infrascripte notabiles Persone.

D. Frater Johannes Abbas Rosacensis
D. Frater Gibertus Abbas Mosacensis
D. Guido Decanus Civitatensis
D. Franciscolus Prepositus S. Odolrici
D. Ludovicus Canonicus Aquilegensis
D. Eusebius Canonicus Aquilegensis
D. Conradus Canonicus Aquilegensis
D. Pregonia de Spenimbergo) Milites
D. Hector de Utino).
D. Federicus)
D. Johannes) De Villalta
D. Odolricus)
D. Symon de Cucanea
D. Rizzardus de Valvasono
D. Johannes) De Pertinstayn
D. Nicolaus)
D. Asquinus de Colloreto
D. Federicus de Murutio
D. Franciscus de Tercano
D. Conradus de Bernarigio Gastaldio Utini
D. Anfossius)
D. Hermagoras)
D. Carlevarius) Della Turre
D. Antoniolus)
D. Fedriginus)
D. Fedricus de Pers
D. Federicus de Savorgnano
D. Manfredus de Pinzano
D. Franciscus) de Manzano
D. Hendricus)

D. Pertholdus de Manzano
D. Rapotus de Budrio
D. Biachinus de Pulcinico
D. Ugo de Civitate Austrie
D. Mapheus notarius de Aquilegia
D. Federicus q.^m Galvagni de Utino Notarius
Et aliorum plurium tam Nobilium quam Communitatum multitudo copiosa.

Facta igitur per D. Patriarcham propositione sapienter et provide super hiis propter que dictum Colloquium fecerat convocari, et specialiter super custodia et defensione Terre Forijulii, et locorum Ecclesie Aquilegensis, propter verba que insonuerunt de apparatu et adventu Dominorum de la Scala; et exposita postea diserte Ambaxata facta per Conradum de Goritia Ambaxatorem illustris Domine Comitisse Goritie, et ab omnibus diligenter audita, super oblatione et proferta, quam dicta Domina fecit D. Patriarche, et Nobilibus Forijulii pro defensione totius Patrie tam Forijulii, quam Comitatus Goritie, peti et requiri fecit ipse D. Patriarcha ab universis circumstantibus quid consulebant, quidve agendum videbatur. Et petitione facta, ab omnibus, more solito, consultum fuit, provisum et firmatum ibidem ab omnibus, quod D. Patriarcha habeat Consiliarios suos cum quibus melius et salubrius providere posset, tam in predictis, quam per totum: et quod quidquid per ipsos ordinabitur, et statuetur, valeat, teneat, et executioni mandetur, ac si per totum Colloquium factum esset.

Recedentibus igitur omnibus de Colloquio, et rema-

nentibus ibi cum D. Patriarcha Consiliariis suis, qui fuerunt:

D. Guido Decanus Civitatensis
D. Hector de Utino
D. Pregonia de Spenimbergo
D. Rizzardus de Valvasono
D. Asquinus de Colloreto
D. Federicus de Pers
D. Johannes de Villalta
D. Federicus de Savorgnano
D. Federicus de Murutio
D. Ugo de Civitate
D. Mapheus Notarius de Aquilegia:

Firmatum fuit et ordinatum ibidem, quod impositio militie fiat universis de Forojulio, secundum antiquum modum, et impositionem alias factam, et quod mandentur littere universis, quod unusquisque se preparet equis et armis, juxta impositiones suas, usque ad proximum festum S. Mathei Apostoli; et quod Monstra fiat in crastinum S. Michaelis cum equis et armis in Campoformio, et hoc tam Prelatis, Capitulis, Monasteriis, Decanatibus, quam aliis.

Item quod pedites imponantur in Forojulio, videlicet pro unaquaque decena omnium villarum Forijulii unus pedonus munitus sicut decet; qui sint, et esse debeant parati in locis, sicut mandabitur eis cum tempus ingruerit.

Item quod Cortine omnes de Forojulio vacuentur, et devastentur; et hoc fiat citius quam poterit: Et si

non vacuentur, quod bona que sunt intus posita auferri possint licite ab unoquoque.

Item si contingat Dominos de la Scala intrare, seu intrari velle Terram, quod permittatur, et habeatur gens armigera forensis maxime illa de Petovia, expensis communibus, secundum numerum qui sibi videbitur pro defensione totius Terre.

Item quod respondeatur Ambaxatori Domine Comitisse, quod regratiatur Domina Comitissa de proferta sua benevola et gratiosa, et quod dicta Domina mittat Nuncios ad Consilium D. Patriarche die decimo proximo pro complendis hiis, que dicta sunt pro sua, et nostra defensione.

Consilium.

Die Dominico vi Septembris, Utini, super saletta superiori Castri et Palatii Patriarchalis convenerunt in unum ad Consilium, more solito, simul cum D. Patriarcha Consiliarii infrascripti, videlicet

D. Abbas Rosacensis
D. Decanus Civitatensis
D. Odoricus miles de Cucanea
D. Hector miles de Utino
D. Asquinus de Colloreto
D. Federicus de Savorgnano
D. Rizzardus de Valvasono
D. Federicus de Murutio
D. Johannes de Villalta
D. Federicus Pizzolus de Mels
D. Thomasinus de Pertinstayn

D. Johannes de Curanea
D. Franciscus de Manzano
D. Ugo de Civitate

Et Ambaxiatores illustris D. Comitisse Goritie, videlicet nobilis D. Jacobus miles de Cormono, et Wolvinus de la Turre de Goritia, et Albertus scriba de Goritia pro faciendo, atque firmando ligam et unionem inter D. Patriarcham et servitores Ecclesie Aquilegensis, ex una parte et D. Comitissam et Servitores Comitatus ex alia, pro custodia et defensione honoris et status utriusque Dominii. Dicti Ambaxiatores super potestate et baylia eis concessa per D. Comitissam, dederunt et porrexerunt quasdam patentes litteras ipsius D. Comitisse majori sigillo impressas cere rubee, sano et integro munitas, tenoris et continentie infrascripte: Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod nos Beatrix Comitissa Goritie concessimus, atque dedimus fidelibus nostris Jacobo de Cormono militi, Volvino de la Turre, et Alberto Scriba de Goritia, aut duobus ex ipsis, si tertius deficeret, plenum arbitrium, et liberam potestatem tractandi et complendi cum Reverendo in Christo Patre D. Pagano S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, et cum Nobilibus, et fidelibus ipsius et Ecclesie Aquilegensis iniendi ligam et unionem pro defensione Terre Forijulii et Comitatus nostri; et ad faciendum in animam nostram omne Sacramentum, quod eis videbitur fore opportunum. Promittentes quod quidquid per eos factum fuerit et firmatum in predictis, firmum habebimus atque ratum. In cujus rei testimo-

nium presentes scribi fecimus, et sigilli nostri soliti impressione muniri. Datum in Castro nostro Goritie, anno Domini MCCCXXXII. Indictione XV. die V. mensis Septembris.

Quibus litteris visis et lectis ibidem, dictus D. Patriarcha simul cum Consiliariis suis predictis, omni modo et forma, quibus melius potuerunt, juxta potestatem eis traditam per totum Colloquium, pro se ipsis, et Ecclesia Aquilegensi, et pro fidelibus et servitoribus ejusdem Ecclesie, et dicti Domini Jacobus de Cormono, Volvinus de la Turre, et Albertus Scriba pro dicta D. Comitissa Goritie, et pro omnibus fidelibus et Servitoribus Comitatus Goritie, juxta potestatem eis traditam per Dominam Comitissam predictam, pro honore et defensione status utriusque dominii, fecerunt et inierunt ligam et unionem invicem firmam et bonam perpetuo duraturam, contra quascumque personas volentes offendere, invadere, et usurpare terras, et honores et bona Ecclesie Aquilegensis, et Comitatus Goritie, vel eis guerram movere; et maxime contra Dominos de la Scala, qui dicuntur ad hoc velle intendere. Promittentes sibi invicem omnes et singuli antedicti solemniter, sacrosanctis Scripturis corporaliter tactis, ligam et unionem predictam bona fide, et sine fraude manutenere, et inviolabiliter observare, ac se vicissim juvare, et cum casus acciderit, auxilium unus alteri prestare in quantum poterunt, juxta negotii qualitatem.

Die Dominico XIII. Septembris. Utini, in Castro et palatio Patriarchali, in saletta dicti Palatii. Convocatis et congregatis in unum ad Consilium simul cum

D. Patriarcha Consiliariis infrascriptis ad tractandum et providendum super statu totius terre, et securitate et defensione ejus: In quo Consilio interfuerunt

D. Frater Guido Episcopus Concordiensis
D. Frater Johannes Abbas Rosacensis
D. Odoricus miles de Cucanea
D. Articus miles de Prampergo
D. Pregonia miles de Speuimbergo
D. Johannes de Villalta
D. Asquinus de Colloreto
D. Federicus de Murutio
D. Odoricus notarius de Utino
D. Ugo D. Quoncii de Civitate:

Provisum fuit per ipsos atque ordinatum, et firmatum, quod electio peditum, de qua alias tractatum fuit per ipsos, per modum decenarum procedat, et pro qualibet decena ponatur unus Pedonus, et si expedierit, tunc electio fiat de duobus pro qualibet decena; et sic facto computo decenarum que date sunt in scriptis, invente sunt decene duo millia quindecim cum dimidia.

Item putantes dictus D. Patriacha et Consiliarii predicti, quod militia imposita infra tam modicum tempus sibi datum, equos parare congrue non posset, et decenter Monstre ordinate interesse, terminum dicte Monstre, qui erat die ultimo presentis mensis Septembris, prorogaverunt usque ad primam diem futuri mensis Novembris, et dicta die fiat, videlicet in die Festi

Omnium Sanctorum, sicut imposita est, et ordinata, et qui non intererint dicte Mostre parati equis et armis, sicut decet militi et balistario, incurrant penam infrascriptam, videlicet quod pro unoquoque elmo deficiente dicte monstre accipiatur pena unius Marche, et deinde pro unoquoque die subsequenti, si defecerit, pena XL. Frixachensium. De balistario autem qui defecerit in Monstra, pro unoquoque die accipiatur pena dimidie Marche, et deinde singulis subsequentibus diebus quibus defecerit XX. Frixachensium penam incurrat. Que pena nemini parcatur, sed plene modis omnibus exigatur. A. C. U. c.

N. 745.

1332 *7 Settembre, Udine.*

Le Gastaldie di Manzano e di Ajello date per due anni col consenso del Capitolo di Aquileja a Sagino di Parma.

Stefano da Cividale Not.

Noverint universi et singuli presentes litteras inspecturi quod nos Vicedecanus et Capitulum Sancte Aquilegensis Ecclesie recepimus, vidimus, et legimus quasdam patentes litteras Reverendi Patris et D. nostri D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, sigillatis ejus vero sigillo cum cera rubea integro et illeso, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte corruptas, quarum tenor sequitur in hac forma:

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilecto nobis Sagyno de Parma Civitate Austrie commoranti, gratiam nostram et omne bonum.

Quia necessitate urgente pro solvendis quibusdam debitis, que habemus cum Ecclesia Romana, nobis de certa pecunia subvenisti, tibi, de quo pleniorem gerimus in Domino fiduciam, Castaldias nostras de Manzano et de Ajello cum garittis, jurisdictionibus, fictis, redditibus, proventibus, copulaticis, collectis, obventionibus, et juribus universis ad Gastaldias, et mensam nostram inibi spectantibus, usque ad duos annos proximos et completos, inchoandos in Festo S. Georgii proxime venturo, tenore presentium duximus concedendas: mandantes universis et singulis dictarum Gastaldiarum subjectis, seu eisdem debentibus quoquo modo, quatenus, durantibus dictis duobus annis, de omnibus antedictis tibi, aut tuo nuncio speciali integre respondeant, et fideliter obediant tanquam nobis. Alioquin penas, seu mulctas, quas rite tuleris in rebelles per te, seu alios ratas et gratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, eas inviolabiliter observari, dilectorum in Christo Decani, seu Vicedecani, et Capituli nostre Aquilegensis Ecclesie huic nostre concessioni interveniente assensu. In cujus rei testimonium presentes fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Datum Utini, die septimo Septembris, ind. xv. anno Dominice Nativitatis M.CCC.XXXII.

Quibus visis et diligenter perlectis, ad requisitionem ejusdem D. Patriarche, nos Vicedecanus et Capitulum dicte Aquilegensis Ecclesie videntes manifestam neces-

sitatem dicti D. Patriarche, et commodum Ecclesie quod in posterum ob hanc causam poterit pervenire, predicta omnia et singula, ex certa scientia ratificamus, approbamus, et nostrum in premissis, et quolibet premissorum prestamus, tenore presentium, consensum pariter et assensum. In quorum testimonium presentes nostri sigilli mandamus impressione muniri. Datum Aquilegie, in dicta Aquilegensi Ecclesia, anno Domini M.CCC.XXXII. die nono intrante mense Septembri. A.N.U.O.

N. 746.

1332 12 *Settembre Udine.*

Il Vicario del Patriarca ordina a Guido Vescovo di Concordia di pagar le somme di cui il di lui Antecessore era debitore al Cardinale Legato, e a Corrado di Gorizia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Venerabili Patri Domino Guidoni Dei Gratia Episcopo Concordiensi, Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Aquilegensis Diocesis Executor ad infrascripta deputatus a Rev. in Christo Patre D. Bertrando, miseratione divina, Ostiensi et Velitrensi Episcopo Apostolice Sedis Legato, salutem, et mandatis nostris, imo potius ipsius D. Legati, firmiter obedire.

Pridem vivente q.^{m} Domino Artico Predecessore vestro, recepimus litteras patentes venerabilis Patris et D. D. Bertrandi, miseratione divina, Ostiensis et Veli-

trensis Episcopi, Apostolice Sedis Legati formam hujusmodi continentes:

Bertrandus miseratione divina Ostiensis et Velitrensis Episcopus, Apostolice. Sedis Legatus ven. in Christo Patri Dei gratia Episcopo Civitatis nove, et dilectis nobis in Christo Abbati Monasterii de Rosalio ac ... Preposito Ecclesie de S. Stephano Aquil. Diocesis, salutem in Domino.

Cum Episcopus Concordiensis pro residuis procurationum Legationis nostre per nos sibi, et clero suo pro retroactis temporibus, prout in diversis aliis litteris nostris super hoc eidem Episcopo directis, plenius continetur, impositarum, nobisque ab eo debitarum, nobis de mille triginta novem florenis auri satisfacere teneatur; ac Conradus de Goritia laycus Aquilegensis Diocesis, qui in servitio Ecclesie diutius militavit pro stipendiis ei propter hoc debitis, nongentos decem et octo florenos auri ab Ecclesia recipere debeat antedicta, nos volentes ut eidem Conrado de illis integre satisfiat, discretioni vestre, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus, vos, aut duo, aut unus vestrum per vos, aut per alium, seu alios, predictos mille triginta novem florenos ab eodem Episcopo, nomine nostro, vobis exhiberi facientes, Episcopum ipsum ad id, tam per Censuram Ecclesiasticam, quam etiam per occupationem, et distractionem reddituum suorum, si expedierit, compellendo: invocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Postquam illos mille triginta novem florenos ab Episcopo memorato receperitis, cui de hiis que ab eo recepietis quietationem vice nostra

plenariam facietis, prefato Conrado de ipsa quantitate nongentorum decem et octo florenorum de predictis mille triginta novem florenis recipienda, ejusdem Ecclesie nomine satisfacere procuretis, facientes de hiis, que ab Episcopo predicto recipietis, et de hujusmodi satisfactione, quam dicto Conrado feceritis, et quomodo idem Conradus de dictis nongentis decem et octo florenis sibi ab Ecclesia predicta reputet integre satisfactum, confici publicum Instrumentum, illud nobis postmodum transmissuri. Residuum vero dictorum mille triginta novem florenorum Camere nostre studeatis postmodum fideliter assignare. Ceterum volentes eidem Episcopo, qui ob defectum solutionis dictarum procurationum est per nos seu auctoritate nostra diversis interdicti, suspensionis, et excommunicationis sententiis innodatus, ac Ecclesie sue occasione predicta Ecclesiastico interdicto subjecte, si Episcopus ipse, ut predicitur, satisfecerit, de opportuno absolutionis et relaxationis beneficio providere, absolvendi predictum Episcopum, auctoritate nostra, post satisfactionem premissam, juxta formam Ecclesie, ab omnibus sententiis memoratis, ac interdictum cui dicta Ecclesia, ut premittitur, subjacet relaxandi liberam vobis, et vestrum cuilibet concedimus, tenore presentium facultatem. Datum Bononie Kalendis Decembris. Pontificatus Sanctissimi Patris D. Johannis Pape xxii. anno quintodecimo.

Receptis igitur litteris memoratis, nos Abbas Rosacensis predictus, volentes mandatum dicti D. Legati reverenter exequi, ut tenemur, eidem vestro Predecessori sub certa forma scripsimus, ut infra certos terminos, sibi

per nos ad hoc statutos, nobis nomine ejusdem D. Legati, pecuniam supradictam, mille videlicet et triginta novem florenos auri assignare, et solvere procuraret. Sed cum idem Predecessor ad id laboraret, ut videbatur pro posse, morte preventus, adimplere nequivit. Unde ad vos, qui successistis eidem, in honore et onere, super exactione pecunie memorate, de necessitate nos urgente mandato jamdicti D. Legati habere oportet recursum. Et ideo Paternitatem vestram, presentium tenore, semel, secundo, tertio et peremptorie requirimus et monemus, vobisque districte, auctoritate qua in hac parte fungimur, sub infrascriptis penis precipiendo mandamus, quatenus infra Kalendas Octubris proxime venturas supradictam pecuniam, mille videlicet et triginta novem florenos auri nobis, nomine prefati D. Legati, peremptorie solvere et assignare curetis. Alioquin, cum reverentia tamen debita, in hiis scriptis vobis ingressum Ecclesie interdicimus, et si per octo dies post hujusmodi terminum immediate sequentes satisfacere non curaveritis, vos suspendimus a Divinis. Quod si, suspensione hujusmodi durante, infra alios octo dies proxime sequentes non solveritis, in vos excommunicationis sententiam promulgamus. Ad occupationem et distractionem reddituum vestrorum, et invocationem auxilii brachii secularis, juxta mandatum nobis factum, nihilominus processuri, prout exegerit facti qualitas, et contumacia vestra. De presentatione vero presentium, quas in actis nostris fecimus registrari, earum latori nuncio nostro jurato, dabimus plenam fidem.

Datum Utini, in Patriarchali Palatio. Die xii. Septembris, anno Dominice Nativitatis m.ccc.xxxii. Indictione xv. C. F. o.

N. 747.

1332 27 *Settembre Udine.*
Vendita dei Dazj di Udine.

Guezzello da Portogruaro Cancellier del Comune.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem m.ccc.xxxii. Indictione xv. die xxvii. mensis Septembris. Infrascripte Provisiones Datiorum Communis Utini vendite et delivrate fuerunt a die S. Michaelis nunc proxime venturo, hinc ad unum annum tunc proxime subsequentem ad terminos deputatos per discretum virum Zenellussium olim Varigenti Sibilite de Utino Camerarium Communis Utini, et per Juanum q.m Machalini procuratorem Terre Utini, personis et hominibus infrascriptis, prout inferius continetur, de voluntate, verbo, et consensu Nobilis viri D. Conradi de Bernardigio Gastaldionis Utini, et hominum Consilii Terre Utini ibi existentium, et more solito congregatorum.

In primis vendita et delivrata fuit Provisio Datii Panis per predictos Zenellussium Camerarium et Juanum procuratorem de voluntate predicti D. Gastaldionis et hominum Consilii Terre Utini ibi existentium

ad terminos deputatos, Danieli filio olim Johannis Vidoni de Utino, a festo S. Michaelis nunc proxime venturo, ad unum annum tunc proxime subsequentem. Cujus precibus et instantia Benevenutus, olim Odorici de Nimes, et Juanus predictus Utini permanentes, fidejussores pro ipso extiterunt pro rata, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum: pro March. xxxviii. et uno Denario Aquilegensis monete.

Item Provisio Datii Vini vendita et delivrata fuit per eosdem Petro Naurino simili modo, ut supra ad terminos deputatos. Cujus precibus et pro ipso fidejussores extiterunt pro rata Buschinus Cramarius, Missius filius olim Andree tabernarii, et Petrus hospes olim Boni, omnes Utini permanentes, cum obligatione omnium suorum bonorum. Pro marchis quatuor centum et septuaginta Denariorum Aquilegensium.

Item provisio Datiorum Becharjarum Utini vendita et delivrata fuit per eosdem ad terminos deputatos, ut superius continetur Danieli q.^m Johannis Vidoni de Utino, a Festo S. Michaelis proximi hinc ad unum annum tunc proxime subsequentem et completum. Cujus precibus, et pro ipso, Magister Aulinus aurifex, Adubatus q.m Pirucii et Mussinus tabernarius Utini comorantes, Fidejussores extiterunt pro rata, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Pro marchis centum, et uno Denario.

Item Provisio Datii Salis vendita et delivrata fuit per eosdem ad terminos deputatos ut supra, Nicolao Rusitto q.m Fratris Nassutti de Utino. Cujus precibus et pro ipso Maninus ejus nepos extitit Fidejussor, cum

obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Pro marchis vigintiquatuor.

Item Provisio Datii Olei, et omnium eorum que ad dictum Datium olei spectant, vendita et delivrata fuit Zerando Bechario q.m Magistri Armani de Utino ad terminos deputatos ut supra. Cujus precibus, et pro ipso Daniel q.m Johannis Vidoni de Utino, Leonardus dictus Calderinus, Nicolaus filius Venerii de la Porta Notarius, et Comellus filius Magistri Petri de Carnea, omnes tres commorantes in Burgo Superiori Utini, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum extiterunt fidejussores. Pro marchis quinquaginta et media, et Denario uno.

Item provisio Datii Draperie vendita et delivrata fuit per eosdem simili modo ut supra, Missio filio Harmanni de Percoto Utini permanenti. Cujus precibus, et pro ipso fidejussores extiterunt pro rata Buschinus Cramarius, et Nicolaus Notarius filius Venerii de Burgo superiori Utini, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Pro marchis triginta et Denariis viginti. *Può vedersi l'originale presso il Sig.r Dot.r Domenico Ciconj.*

N. 748.

1332 4 *Ottobre.*

Elezione dell' Abbate del Monastero di S. Pietro in Silva nella Diocesi di Parenzo.

Gubertino da Novate Can. P.

M.CCC.XXXII. Die IV. mensis Octubris. Presentibus ven. viris D.D. Fratribus Johanne Rosacensi, Guim-

berto Mosacensi Monasteriorum Abbatibus. Petro Mora de Mediolano Rectore Ecclesie S. Marie de Turri, Mediolanensis Diocesis, Anselmo filio D. Andrioti de Marano de Parma, Marchiolo et Johannolo de Sonvico, ac Francino de Villanova de Laude testibus.

Vacante nuper Monasterio S. Petri in Silva, Parentine Diocesis, subjecto immediate D. Patriarche Aquilegensi, per obitum q.^{m} Fratris Conradi ejusdem Monasterii Abbatis; Rev. in Christo Pater et D. D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, ad quem ejusdem Monasterii provisio pertinet pleno jure, tum ex antiqua consuetudine, tum quia nullus in ipso Monasterio est Monachus, vel persona, que potestatem habeat eligendi; cupiens eidem Monasterio providere de pastore ydoneo, et Abbate, ne diuturne vacationis detrimenta substineat, sue in providum virum D. Fr. Nicholaum Priorem Monasterii Mosacensis, honestum, litteratum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, Regulam B. Benedicti expresse professum, et in Monasterio suo laudabiliter conversatum, oculos mentis direxit, et ipsum D. Fr. Nicholaum per cujus previdentiam sperabat Monasterium hujusmodi laudabiliter regi et fideliter gubernari, in Abbatem ejusdem Monasterii prefecit pariter, et instituit, ipsumque per anulum suum de Abbatia et regimine ipsius Monasterii presentialiter investivit. Qui D. Frater Nicholaus, volens, ut tenetur, prefato D. Abbati Mosacensi reverentiam debitam servare, et sine licentia ipsius nullatenus consentire provisioni jamdicte, ipso D. Abbate Mosacense ibi presente ad partem aliquantulum segregato, petivit ab eo consilium super suo

assensu prestando ipsi provisioni. Cui responsum extitit per ipsum D. Abbatem, quod consideratis omnibus que circa hujusmodi negotium sunt attendenda, consulebat ei, ut provisioni eidem consentire deberet. Cum in consensu ipso multipliciter moraretur, ut liberius valeret onus suscipere memoratum, suum idem D. Abbas Mosacensis ei assensum prestitit pariter et consensum, transeundi ad hujusmodi regimen, sibi licentiam plenariam concedendo. Qua licentia habita, idem D. Fr. Nicolaus, flexis genibus coram prefato D. Patriarcha, provisioni jamdicte humiliter et devote consensit.

Actum in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 749.

1332 8 *Ottobre Udine.*

Tregua coi sudditi della Chiesa di Bamberga.

Gubertino da Novate Can. P.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, treguas per nos factas usque ad proximum festum S. Martini cum Commune et hominibus de Villaco, aliisque subditis Ecclesie Bambergensis, tenore presentium sub eisdem forma, pactis, et conditionibus per nos, ac universos servitores et subditos nostros a dicto festo S. Martini, usque ad unum annum proxime subsequentem continuum et completum, duximus prorogandas. Volentes quod universi de Villaco, et alii Ecclesie Bambergensis subditi per terras et loca nostre Aquilegensis Ec-

clesie cum mercandiis, rebus, et personis suis ire, stare, et redire possint libere ac secure. Ac mandantes omnibus et singulis subditis nostris, sub obtentu nostre gratie, quatenus prefatis Villacensibus, et Ecclesie Bambergensis subditis nullam inferant molestiam, vel gravamen usque ad tempus predictum. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus nostri sigilli impressione munitas.

Datum Utini, VIII. Octobris. Anno Dominice Nativitatis M.CCC.XXXII. Indict. XV. A. N. U. o.

N. 750.

1332 22 *Ottobre Udine.*

Feudo d' Abitanza dato dal Patriarca a Filippo di Artegna.

Gabertino da Novate Can. P.

M.CCC.XXXII. Die XXII. mensis Octubris. Presentibus nobilibus viris D. D. Odoardo q.m D. Musche, et Gentilino q.m D. Pagani de la Turre, ac Conrado de Bernadigiis Gastaldione Utini, et aliis.

Constitutus in presentia Reverendi in Christo Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Philippus filius q.m Johannis de Artenea, humiliter supplicavit eidem, quod ipsum suo nomine et heredum suorum investire dignaretur de infrascriptis feudis habitantie, que dictus q.m Pater suus habebat et tenebat ab Ecclesia Aquilegensi. Qui D. Patriarcha credens et sperans quod idem Philippus fidelis habitator

erit Ecclesie Aquilegensis, per se, suosque Successores, et nomine Aquilegensis Ecclesie, de premissis feudis habitantie, eo jure quo dictus q.m pater ejus hubuit et obtinuit, eundem Philippum pro se, et suis heredibus recipientem, cum uno Capucio, quod in suis tenebat manibus, presentialiter et legitime investivit, salvo jure Aquilegensis Ecclesie et cujuscumque persone. Qua quidem Investitura facta et recepta, ipse Philippus de fide et fidelitate adhibenda, et oneribus ipsorum feudorum habitantie sustinendis, statim corporale et solitum prestitit juramentum. Feuda vero habitantie sunt hec: in primis domus una, seu Castrum inferius de Artenea: Item duo mansi siti in Campoformio quorum unus regitur per Leonardutium, et alius per ... filium Vidue et Bandini de Campoformio. Item duo alii mansi siti in villa de Runchis Castaldie Sorphimbergi, quorum unus regitur per Runchesium, et alius per Symonem de Runchis.

Actum Utini, in Palatio Patriarchali. C. P. c.

N. 751.

1332 3 *Novembre, Udine.*
Feudo d' abitanza in Tricesimo dato dal Patriarca a Pertoldo di Traberch.

Gubertino da Novate Can. P.

M. CCC. XXXII. Die tertia Novembris. Presentibus venerabili viro D. Petro Mora de Mediolano, Vicario in-

frascripti D. Patriarche, nobili viro D. Thomasio de Cucanea Gastaldione Tricesimi, Feriana de la Turre filio q.m Maphei, et Paganolo Barazza de Mediolano, Utini commorante, et aliis ad hec specialiter vocatis et rogatis.

Constitutus in presentia Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegeusis Patriarche Petrus dictus Borela de Pergamo, familiaris ejusdem D. Patriarche, pure, sponte, et libere, et ex certa scientia, habitantiam, quam habebat et tenebat in loco Tricesimi ab ipso D. Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi, et omnibus juribus pertinentibus ad eandem, quam olim habuit et tenuit q.m Conradus de Tricesimo; suo, et heredum suorum nomine, in manibus ejusdem D. Patriarche renuntiavit, et resignavit expresse. Quam quidem renuntiationem idem D. Patriarcha suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine admisit, et acceptavit: et post hec ipse D. Patriarcha, volens sibi et eidem Ecclesie utilem et fidelem vassallum et habitatorem acquirere, et Pertoldo de Traberch, nunc commoranti in Mels, servitiorum, que dudum fecit, et continue, et liberaliter facit ipsi D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi, grato affectu complacere, per se, et Successores suos, ac suo et Ecclesie predicte nomine, dictum Pertoldum pro se et suis heredibus recipientem, de dicta habitantia, et omnibus juribus ad eam pertinentibus, jure feudi habitantie, sicut eam habuit et tenuit prefatus q.m Conradus, ac dictus Borela, per quoddam Capuccium quod in suis tenebat manibus, presentialiter et legitime investivit. Qui Pertoldus statim dicto D. Patriarche et Ecclesie Aquile-

gensi de fidelitate debita adhibenda sibi, et oneribus ejusdem habitantie sustinendis, corporale prestitit juramentum.
Actum Utini, in Palatio Patriarchali. C. P. c.

N. 752.

1332 5 *Novembre Udine.*
Invilino concesso dal Patriarca in feudo ad Endrico e fratelli di Carnia.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die quinto mensis Novembris. Utini, in Castro et Palatio Patriarchali, in camera D. Patriarche infrascripti. Presentibus venerabilibus viris D. Fratre Johanne Abbate Monasterii S. Petri de Rosaceo, Petro Mora de Mediolano Vicariis, Zonfredino de Oppreno Vicedomino D. Patriarche, ac Nobilibus viris D. Federico de Savorgnano filio q.m D. Costantini militis de Utino, Marchiolo de Casate Mediolanensi Gastaldione Landri, Brisino filio q.m D. Brise de Toppo, et Nicolussio filio q.m D. Federici de Hendriotis de Castro Utini testibus vocatis et rogatis.

Reverendus in Christo Pater et D.D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha cupiens, prout ad debitum suum spectat, honores, utilitates, et commoda Ecclesie Aquilegensis modis et studiis quibus potest, augere, et diligenti sollicitudine ampliare, ac videns et scrutabiliter intelligens, quod Collisellus montis Invillini omni cultura et habitatione

totaliter vacuus, nullius erat, et est Ecclesie sue predicte utilitatis et fructus, licet fortis et aptus ad fortificandum, in tantum quod si ad alicujus Emuli Ecclesie Aquilegensis manus perveniret, de levi dicta Ecclesia dampna et dispendia plurima posset incurrere, sicut tempore illius de Cauriacho tenentis locum ipsum, tunc Ecclesie predicte rebellis patuit evidenter: unde futuris periculis volens provide obviare, et discretis viris dilectis sibi Hendrico, Hermano, et Francisco Fratribus filiis q.^{m} D. Mathie de Carnia, commorantibus Utini, fidelibus servitoribus suis, et ejusdem Ecclesie devotis, ex quibus idem D. Patriarcha et Ecclesia sua grata suscepit obsequia, et suscipere poterit in futurum, gratiam facere specialem, ipsosque dignis et gratis favoribus prosequi, locum, seu Collisellum prefatum eisdem Hendrico, Hermano et Francisco fratribus recipientibus pro se et heredibus suis, in feudum habitantie per se, et Successores suos, ac suo, et Ecclesie Aquilegensis nomine concessit, et dedit: prefatumque Hermanum pro se, et Fratribus suis predictis recipientem, per quoddam Capucium de loco et Collisello predicto Invilini gratiose et liberaliter investivit. In quo possint edificare, et edificari facere Turrim, et domos, et alia fortilicia pro defensione honorum Ecclesie Aquilegensis, et offensione inimicorum ejusdem. Quem locum Fratres et habitatores prefati et heredes eorum teneantur et debeant prefato D. Patriarche et Successoribus suis, et eorum Nunciis, pro defensione jurium et honorum Aquilegensis Ecclesie, et offensione inferenda eamdem Ecclesiam inimicantibus, aut alias causa solatii et animi sui recreatione, aperire et

claudere quandocumque, et quotiescumque casus occurrerit, aut ipsi placuerit, et reliqua facere que veri, recti, et fideles habitatores Domino suo facere tenentur, et ad que ceteri habitatores Aquilegensis Ecclesie sunt astricti. Ita tamen quod habitatores prefati nullo modo possint aut debeant Massarios D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, ac quorumcumque aliorum; et personas quascumque habitantes in partibus illis, aut existentes, aut transeuntes, in custodiis, collectis, aut angariis, aut aliis quibuscumque oneribus gravare, aut molestare, seu violentias eis in personis et bonis inferre, exceptis Massariis propriis habitatorum predictorum. Que omnia et singula antedicta prefati Hendricus et Hermanus suis, et Francisci fratris sui absentis nominibus, ad sancta Dei Evangelia, Scripturis corporaliter tactis, firmiter attendere, et observare inviolabiliter juraverunt: prestantes nihilominus eidem D. Patriarche solitum fidelitatis debite juramentum, quod veri, recti et fideles habitatores Domino suo prestare tenentur. Et tunc dictus D. Patriarcha dedit eis in Nuncium D. Zonfredinum Vicedominum testem predictum, ad ponendum ipsos in tenutam et corporalem possessionem loci predicti de Iuvilino. C.F.o.

N. 753.

1332 12 *Novembre Udine.*

I Signori di Prampergo chiamati a render conto dello spoglio de' mercanti.

Gubertino da Novate Can. P.

Paganus etc. Artico, Fanfino, et Hendrico fratribus de Prampergo gratiam nostram, si volueritis eam habere.

Tenore presentium vobis precipiendo mandamus, quatenus octava a die crastina coram nobis in Utino comparere curetis facturi excusationem vestram, si poteritis, super spoliis et detentionibus mercatorum noviter per vos factis, prout lator presentium, nuncius noster juratus, vobis precipiet ex parte nostra. Cognoscentes quod vos affidamus veniendo, stando, et redeundo in bonis et personis, salva justitia. Et si timueritis in itinere veniendo, rescribatis nobis per dictum nostrum nuncium, quia dicta die mittemus bonum Galaytum et magnum. Has autem nostras literas ad cautelam fecimus registrari, de quarum presentatione, ac mandato vobis fiendo per dictum nostrum nuncium super premissis, eidem nuncio, sine probatione alia, dabimus plenam fidem.

Datum Utini, XII. Novembris. Indictione XV. A. N. U. o.

N. 754.

1332 23 *Novembre Udine.*
Pagano approva l' amministrazione di Zonfredino d' Oppreno di lui Vicedomino.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die XXIII. mensis Novembris, Utini, in castro et Palatio patriarchali, in camera D. Patriarche infrascripti. Presentibus ven. viris D. Fratre Johanne Ab. Monasterii Rosacensis, Petro Mora de Mediolano Vicariis, ac Nobilibus viris D. Franciscolo de la Turre

Preposito Ecclesie S. Odorici supra Tulmentum, Johanne de la Turre ejus fratre Canonico Aquilegensi, Carlevario de la Turre nato q.m D. Johannis, Antoniolo de la Turre nato q.m D. Zonfredi, omnibus quatuor nepotibus D. Patriarche infrascripti, Federico de Savorgnano nato q.m D. Constantini militis de Utino, Hendrico ed Hermano fratribus, filiis q.m D. Mathie de Carnia habitatoribus Utini, Marchiolo de Casato de Mediolano Gastaldione Landri, Magistro Condeo Medico de Calio testibus, et aliis pluribus.

Rev. in Cristo Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha pure, mere, et ex certa scientia recognovit, et dixit, quod D. Zonfredinus de Oppreno Vicedominus suus bene, fideliter, legaliter, et discrete tam in partibus Lombardie, quam in partibus Forijulii, et ubique locorum ipso existente in Officio Vicedominatus, et ante dictum officium sibi commissum, procuraverat et administraverat, dispensaverat, et ordinaverat bona sua et Ecclesie Aquil. que ad ipsius manus pervenerant, ac de ipsis bonis, et redditibus quibuscumque bonam fecerat et exhibuerat, ac justam, legalem et integram rationem. Propter quod idem D. Patriarcha suo, et Ecclesie sue nomine, ac per se et Successores suos approbans, et ratificans rationem predictam, et expensas factas per ipsum, tamquam bonas, necessarias, et utiles, ipsum a ratione predicta ulterius non prestanda absolutum reddidit, et liberum, faciens sibi de omnibus et singulis antedictis, quo nomine dicti Patriarche quocumque modo percepit usque ad presentem diem, finem, re-

remissionem, et quietationem perpetuam de ratione predicta, et restitutione aliqua ulterius non petenda. In cujus rei testimonium etc. et de hoc fieri mandavit publicum Instrumentum ejusdem tenoris, si expedierit. C. F. o.

N. 755.

1332 29 *Novembre.*
Novità in Friuli

Stefano da Cividale Not.

Die Dominico, penultimo Novembris, anno Domini millesimo tricentesimo trigesimo secundo. Dominus Comes Bartulus filius D. Comitis Friderici de Vegla venit Goritiam cum magna gente, ubi fuerunt cum eo D. Comes Henricus de Ortimburgh, et Volvinus de Steybergh, habens Castrum Arispergi in servitio Domus de Castello, et combusserunt totum Risanum, et steterunt in Reana, ita quod, omnibus equis computatis, fuerunt septem millia equorum in obsidione Utini, et tamen finaliter facta fuit pax. Interim D. Nicolaus de Castello, et certi Ungari cum eo capti per Utinenses, die mercurii post elapsum diem S. Michaelis in Turrida, fuit libere relaxatus, damnis hinc inde factis cassatis: sed D. Nicolaus fecit securitatem de quingentis marchis pro pace observanda, et juravit utraque pars, et fecit securitatem de solvendis septuaginta tribus marchis pro expensis

factis in carcere in domo D. Federici de Savorgnano in Utino, positus in ferris ad pedes in die S. Andree, prout ego Stephanus vidi, et sibi locutus fui. Et D. Paganus Patriarcha tempore dicte guerre infirmus stans in Utino, habuit ad pedem, ut vidi, et stetit bene per mensem cum gutta. C. P. c.

N. 756.

1332 15 *Dicembre Udine*

Procura per riscuotere dai Veneti il solito canone per la cessione ad essi fatta della giurisdizione su alcuni luoghi dell' Istria.

Gubertino da Novate Can. P.

M.CCC.XXXII. Die XV mensis Decembris. Presentibus ven. viro D. Francisco de la Turre Preposito Ecclesie S. Odorici supra Tulmentum, discretis viris D. Magistris Condeo de Calio et Manino de Cremona Phisicis, Jacobo de Papia Plebano Plebis de Lavariano, et Leone filio q.m D. Bonaccii de Oppreno Mediolanensi, testibus etc. Venerabilis Pater, et D.D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha suo et Aquilegensis Ecclesie nomine fecit, constituit, et ordinavit suum verum et legittimum procuratorem discretum virum D. Zonfredinum de Oppreno Vicedominum suum, ibidem presentem, et mandatum hujusmodi suscipientem ad petendum, exigendum, et recipiendum a magnificis Dominis Francisco Dandulo Dei

Gratia Venetiarum, Dalmatie, atque Croatie Duce, e Domino quarte partis et dimidie totius imperii Romani, et Commune ejusdem illas ducentas et viginti quinque marchas Aquilegensium novorum, quas eidem D. Patriarche, et Ecclesie Aquilegensi predicti D. Dux et Commune Venetiarum dare tenentur in Kalendis mensis Martii proxime venturi pro juribus Istrie, secundum pacta inita inter ipsos D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem, et Dominos Ducem et Commune prefatos; nec non ad faciendum eidem finem, et quietationem, et pactum de ulterius non petendo, et ad omnia alia et singula facienda, que in predictis, et circa predicta fuerint opportuna. Promittens mihi Notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti nomine omnium quorum interest, aut intereret se ratum, gratum, et firmum perpetuo habiturum quidquid per dictum procuratorum suum factum fuerit in predictis, et circa predicta, sub suorum et Ecclesie Aquilegensis bonorum omnium ypotecha. In quorum omnium testimonium presens publicum instrumentum per me Notarium infrascriptum fieri jussit, ipsumque sui sigilli appensione muniri.

Actum Utini in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N. 757.

18 *Decembre Udine.*
Aggiustamento del Patriarca con Federico di Savorgnano, e morte del Patriarca.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die Veneris xviii. mensis Decembris, hora tertia, Utini in Castro et Palatio Patriarchali, in Camera Domini Patriarche. Presentibus Nobilibus viris Dominis Francischolo Preposito Ecclesie Sancti Odorici supra Tulmentum, Carlevario et Antoniolo, omnibus della Turre Nepotibus Domini Patriarche, Presbitero Nicola de Mediolano Plebano Plebis de Flambri Capellano, Francischolo de Casate de Mediolano Seneschalco, Aymerico de la Turre, et Cristophano Cavalo de Mediolano Domicellis ejusdem Domini Patriarche testibus vocatis, et rogatis. Reverendus in Christo pater, et Dominus Dominus Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha recognovit, et confessus fuit, quod post quamdam aliam quietationem factam per ipsum Nobili viro Domino Federico de Savorgnano filio q.m Domini Constantini Militis de Utino, Hendrico filio q.m Domini Mathie de Carnea, et Philipussio filio q.m Domini Rayneroti de Venzono Mutariis suis in Clusa et Montefalchouo die ultimo mensis Junii proxime preteriti, pro ut patet publico instrumento scripto manu mei Gabrielis Notarii infrascripti, ipse Dominus Patriarcha, et Officiales sui

ejus nomine super terminis futuris post terminum quietationis prefate Sancti Georgii habuit, et recepit ab ipso Domino Federico ibidem presenti, et a sociis suis prefatis in pecunia numerata mutuo Marchas septingentas denariorum novorum Aquil. monete. In cujus mutui sive debiti satisfactione ex nunc deputavit eisdem illas quingentas marchas, quas daturi erant in termino futuro Beate Marie Mensis Augusti. Et ducentas marchas super illis Trecentis quas daturi erant in termino ultimi diei mensis Decembris tunc proxime subsequentis. De quo quidem mutuo taliter prestito, et pecunia taliter persoluta, et recipienda in terminis antedictis ipse Dominus Patriarcha per se, et Successores suos, eidem Domino Federico, et sociis suis fecit finem, remissionem, et quietationem omnimodam atque pactum de amplius non petendo, dicens, et recognoscens, ac ore proprio confitens, quod prefatarum septingentarum Marcharum mutuum recompensandarum modo predicto contraxerat, et acceperat, seu accepi fecerat ante terminos antedictos, et alias quingentas dudum mutuo acceptas, et reconpensandas pro futuro termino Sancti Georgii a Mutariis suis prefatis, licet non sine magna incommoditate eorum specialiter et occasione solutionis debiti Romane Ecclesie, in quo idem Dominus Patriarcha adhuc eidem Ecclesie obligatus existit. Et quod dictam pecuniam pro satisfactione dicti debiti ad dictam Curiam jam transmiserat, seu transmitti mandaverat. Quibus Domino Federico et sociis ad majus robur, et firmitatem ipsorum idem Dominus Patriarcha privilegium Apostolicum super gratia sibi concessa mutua, et debita con-

trahendi dari, et consignari mandavit, et jussit. Et eadem die de nocte migravit ad Dominum ipse Dominus Patriarcha.

Die Dominico xx Mensis Decembris, Utini in Castro Patriarchali. Presentibus Dominis Francischolo de la Turre Preposito Ecclesie Sancti Odorici supra Tulmentum, Federico de Savorgnano, Magistro Odorico Notajo de Utino, Presbitero Nicola de Flambri, Francino de Laude Notario Testibus, et aliis pluribus. Cum bone memorie Dominus Paganus Aquilegensis Patriarcha diem clausisset extremum, Nobilis Vir Dominus Gerardus filius Domini Odorici Militis de Cucanea rogavit, et requisivit instanter Dominos Francischolum testem predictum, Carlevarium, Antoniolum, et Johanellum de la Turre nepotes q.m ipsius Domini Patriarche per se, et illos de Domo de Cucania, ut juxta sui juris debitum, ipsi Domino Gerardo assignarent, et assignari facerent sigilla ipsius Domini Patriarche, et camera ejus. Qui Domini, habita deliberatione, videntes petitionem suam justam esse, introduci fecerunt ipsum Dominum Gerardum ad cameram ipsius Domini Patriarche, et assignari fecerunt sibi duo sigilla argentea, unum magnum, et aliud parvum ligata simul cum quadam cathenela de argento, et quidquid in camera predicta erat: in qua erant quoddam Materacium, et due lecterie, et alique banche, et una cassa vacua. Et tunc ipse Dominus Gerardus in presentia predictorum testium, et aliorum quam plurium, dicta dua sigilla confregit in pluribus partibus. C. F. o.

INDICE DE' DOCUMENTI

—— *Lettera del Patriarca al Conte di Gorizia. N.* 46.

1318

5 Gennajo. *Rottura de' sigilli del Vescovo e consegna al Capitolo delle Carte e privilegi che lo riguardono. N.* 47.
12 Gennajo. *Odorico di Cucagna Capitano del Popolo di Padova. N.* 48.
13 Gennajo. *Ordine ai signori di Villalta di sospendere l' ostilità. N.* 49.
21 Gennajo. *Lega proposta dal Comune di Trevigi. N.* 50.
—— *Il Vicario Patriarcale assente alla Lega. N.* 51.
12 Febrajo. *Matrimonio tra servi di Masnata. N.* 52.
24 Febrajo. *Statuto di Cladrezis. N.* 53.
8 Marzo. De ponderando Bladum. *N.* 54.
5 Marzo. *Lettera del Patriarca a Rinaldo di lui Vicario. N.* 55.
—— *Procura trasmessa dal Patriarca al di lui Vicario. N.* 56.
8 Aprile. *Pace tra i signori di Atems. N.* 57.
28 Maggio. *Contratto pel trasporto del Patriarca da Marsiglia a Napoli. N.* 58.
1 Giugno. *Cavallo del Vescovo di Concordia dovuto a' signori di Meduno. N.* 59.
4 Giugno. *Artico di Castello Vescovo di Concordia. N.* 60.
5 Giugno. *Artico di Castello prende il possesso del Vescovato N.* 61.
5. Giugno. *I Canonici di Concordia, giurano fedeltà al novello lor Vescovo. N.* 62.
6 Giugno. *Il Comune di Portogruaro giura fedeltà al suo Vescovo. N.* 63.
7 Giugno. *Sicurtà prestata al Vescovo di Concordia da Enrico Squara. N.* 64.
7 Giugno. *Compromesso dei Signori di Meduno e Cordovado. N.* 65.
8 Giugno. *Carcerati rimessi dal Vescovo al Podestà di Portogruaro. N.* 66.
15 Giugno. *Inquisizione all' Abbate di Somaga. N.* 67.
20 Giugno. *L' elezione del Conte di Gorizia a Podestà di Portogruaro è abrogata. N.* 68.
11 Giugno. *Rendiconto approvato dal Patriarca N.* 69.
23 Giugno. *Filippo di Quonzio Marchese d' Istria. N.* 70.
28 Giugno. *Corrado Beccajo prosciolto dalla scomunica. N.* 71.
1 Luglio. *Questioni tra Vergendo e Federico di Atems. N.* 72.
11 Luglio. *Colletta pagata dall' Ab. di Somaga. N.* 75.
14 Luglio. *Manumissione di Antonio di Carnia. N.* 76.
17 Luglio. *Procuratore nominato dal Capitolo di Concordia ond' esser prosciolto dalla scomunica N.* 77.
18 Luglio. *Vendita di Decime giudicata invalida. N.* 78.
24 Luglio. *Aggiustamento fra il Capitolo e il Comune di Portogruaro N.* 79.
29 Luglio. *Taddeo da Palude Parroco di Circhnivis. N.* 80.
29 Luglio. *Dichiarazione de' signori di Maniago e di Pinzano. N.* 81.

1319

1320

1321

1323

1324

VOLUME SECONDO

1326

1327

1328

1329

1332



FINE.

